6
15-D
43

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 I
36

6-15-D-43

~~I. B. 21~~

PAVSANIÆ DE FLOREN-TISS. VETERIS GRAECIAE REGIONIBVS COMMENTARII

A ROMVLO AMASAEO, uiro utriusq; linguæ peritiſs. ſumma fide ac diligentia, conuerſi.

Cum indice & rerum & verborum locupletiſsimo.



Dom. Probat. Rom. Schol. Piar.
ex P. Ildefonſo.

BIBLIOT. ROMA VITTORIO EMANUELE

6. 10. I. 36.

DECEM REGIONVM A PAVſania luculentiſsimè deſcriptarum, elenchus.

ATTICA
CORINTHIACA
LACONICA
MESSENICA
ELIACORVM PRIOR
ELIACOR. POSTERIOR
ACHAICA
ARCADICA
BOEOTICA
PHOCICA.

ROMVLVS AMASAEVS ALEXANDRO FARNESIO CARdinali Pauli III. Pontificis maximi nepoti S. P. D.

CVM ſæpe animaduerterim, Alexander Farneſi, ſolere te ab aſsiduis curis atq; occupationibus quaſi reſpirantem, vel in literatorum hominũ ſermone, & cõſuetudine, vel in optimorũ ſcriptorũ lectione cõquieſcere, de varijs, ac multis lucubrationibus meis, latinè iam, ni fallor, mea opera loquentẽ Pauſaniã, tibi, cui iam pridẽ, non magis fortunæ amplitudine, quàm virtutis tuæ adductus excellentia, me ipſum addixi, nominatim dedendũ cenſui: non quia Græcorum autorum à puero lectione aſſuefactus, Græca illum vtentẽ lingua non fueris planiſſimè intellecturus, ſed quòd omnino Romani Principis auribus Latinæ orationis ſonum aptiorẽ, & grauiorem fore exiſtimaui. Atque is quidem veterem Græciam in libros decem deſcriptã oculis penè ſubijciens, parem propè tibi voluptatem poterit apportare, ac ipſa ſolita eſt ad exteros Europæ populos ſuſcepta iam toties peregrinatio: Cùm peradoleſcens, magna cum tua laude, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, de maximis Reipub. negotijs legatis obijſti:

Atque eo tibi erit fortaſſe lectio hiſtoriæ iucundior, quòd quæ ſemel placuerint loca, non vt illa curſim, & feſtinanter, ſed inter quieſcendum, quoties libitum fuerit, licebit reuiſere. Neq; verò te magis (credo) eas regiones animo luſtrantē, in quibus deos ipſos libenter ac propè familiariter verſatos olim vulgus putauit: Et vnde illuſtris magnorū herôum natio extitit, ipſa terrarum pulchritudo, & amœnitas capiet: quam iuuabit cùm primordia, & veluti incunabula, tum res geſtas, Athenarū, Spartæ, Thebarum, Corinthi, Meſſenes, Sicyonis, Megalopolis, & aliarū compluriū belli, paciſq; artibus florētiſsimarū vrbium, ac populorū cognoſcere: Et ſummorum hominum, quos illæ genuerint, & eduxerint ciuitates, Themiſtoclis, Miltiadis, Lyſandri, Ageſilai, Epaminundæ, Ariſtomenis, Arati, Philopœmenis, Pelopidæ, tamq; multorum, quorum paſsim legentibus occurrent nomina, illuſtrium virorum virtutes & gloriam, quam ſibi eorum quiſque, vel defenſa, vel liberata, vel aucta, & illuſtrata patria pepererint, intueri. Iam verò priſcorum artificū opera, qui vel templis metādis, & exædificandis, vel ſignis, & ſtatuis fingendis, ac fabricandis claruerūt, non minore fermè, cùm leguntur, quàm cùm cernūtur, animum delectatione complent. Habuit ſanè nihil olim Græ

cia, quòd ſpectaretur dignũ, vel ex ære, auro, argento, vel ex ebore, ligno, marmore factum & elaboratum, quod hic noſter non eleganter, atq; intelligenter explicauerit. Qui præterea ludorum, & munerum apparatus, aut quæ in his euentorum varietas, feſtiuius ſpectatorem detinere poſsit, quàm elegantiſsimi ſcriptoris, athletarum, aurigarúmue, Olympici, vel Pythici pulueris palmas expetentium, certamina, elogia, ſtatuas, accuratiſsimè exprimentis, & adumbrantis, pura, ac polita oratio. Accedunt quædam veluti ſuperuacanei operis corollaria, cùm modò populorũ in ſacris, profaniſue rebus, ritus, & inſtituta, modò animalium quorundam minus vulgo cognitorum, vel ſtirpium naturas, & formas, vel terrarum, & aquarum perſequitur miracula. Abducent hæc (ni fallor) omnia à moleſtioribus curis cogitationem tuam. Sed inter hæc tam variæ, tamque eruditæ lectionis oblectamenta, dum quibus vetus olim Græcia domi, foriſque artibus, atq; opibus effloruerit, conſiderabis: non magis illorum temporum felicitatem admiratione, quàm eas, quibus nunc oppreſſa, & confecta eſt, calamitates, miſeratione proſequêre. Quis enim eſt, qui ſi priſcam Græciæ quaſi formam illuſtribus clariſsimorum ſcriptorũ monumẽtis, & ipſius in primis Pau-

ſaniæ deſcriptionibus illuminatā intueatur, Cumq́ ea nouam hanc (illius ne dicam vmbram, an cadauer) conferat, non & illam beatiſſimam fuiſſe, & hanc eſſe omnium miſeriarum inſtar iudicet? Illa olim & ingeniorum præſtantiam, & artium quarumcunq́, quibus vita hominum excolitur, elegantiam, ſibi pro iure ſuo, omniū conſenſu gentium vindicabat. Hæc, rudis, & iam propè rerū omnium ignara, patrios ritus, leges, victum, ſtudia oblita, ſtupore veluti quodā, & veterno obtorpeſcit: illa deductis in diuerſas, & vltimas plerunque terras, pulcherrimis colonijs, exteris gentibus literas & artiū ac diſciplinarū quoduis genus impertiuit: Hæc, Barbarorum colluuie fœdata, aut efferata potius, non modò non incorruptam illam ſermonis, & morum integritatem: ſed vix iam vllum priſcæ illius elegantiæ atque humanitatis veſtigiū retinet. Illa magnorum, atq́ imperioſorum regum, cùm domeſtico cōſilio, & bellica virtute, tum terreſtrib. maritimiſq́ copijs, & conatus fregit ſæpiſſimè, & impetus debilitauit: Hæc, & multis antè ſeculis, acerrimis diuulſa, ac propè diſcerpta diſſidijs, vecordiam ſuam clariſſimarū ciuitatum, & populorum internitione luit: Et ab hinc iam annū paulominùs centeſimū, Othomanico impedita, ac deuincta dominatu, tam

intole-

intolerabili ſeruitutis premitur iugo, vt aquæ, terræq; amiſſo iure omni, ac poteſtate, ſpiritum etiam ipſum, non è cœlo magis quàm ex ipſo ducat inſolentiſsimi victoris nutu, & arbitrio. Illa poſtremo plura, quàm reliquæ omnes orbis terræ partes ornamenta, & operum oſtentabat inſignia: Hæc, quod ſpectandum, aut viſendũ ſit, nihil omnino amplius habet, quàm ruinoſa mœniorũ veſtigia, & veluti laceri, ac putris cadaueris, ipſa iam cõſumptas, & abolitas temporis diuturnitate reliquias. Magna nimirũ Fortunæ cõmutatio, quæ tam ingenti & miſerabili clade veterẽ Græciã perculit. Quo tamen vehementius nos afficere, & commouere poteſt eius rei cogitatio, eò maiores præpotẽti, ac ſempiterno Deo gratias debemus, quòd eius clementia effectũ eſt, vt in auguſtiſsimo aui tui, ſanctiſsimi, & ſapientiſs. Principis pontificatu cum in reliquis Europæ partib. tum verò maximè in Italia, omnis humanitas, & vitæ expoliendæ ratio, ipſius iam ſe antiquæ Græciæ laudibus adæquaris. Nam præterquàm quòd virtutum omnium exemplis, legum ſanctitate, literarum elegantia hæc ætas mirificè effloreſcit: Viget præterea, & regendarum ciuitatum, & ducendorum exercituum peritia: Aedificandi, pingendi, fingendi, canendi etiam, pſallendiq; artes, nihilo ferè ſunt dete-

riores, quàm priſcis temporibus fuiſſe dicuntur. Elo quẽtiæ, & liberaliũ diſciplinarũ ſtudia, ita ſe efferũt cum ingeniorũ numero, & excellẽtia, tum verò omnis doctrinæ recta intelligẽtia, vt nihil iam perfectius, aut elimatius requiri poſſe videatur. Quòd ſi per XV. ſuperiores proximos huius pontificatus annos, tãta frui potuimus felicitate, inter graues & pernicioſos magnorũ imperiorum motus, eundem hunc Pont. Max. ſi nobis tot in poſterum tempus, quot ſperare poſſumus, & optare debemus, Deus ſeruarit annos, dubitandum nihil profectò fuerit, quin diuino eius conſilio, pace terra mariq́ue parta, vniuerſa Chriſtianorũ Reſpub. omnem, omnium, quæ literarum monumentis prodita fuerint, temporum ſit gloriã ſuperatura. Tu verò intereà ALEXANDER, vitæ, ac fortunarum mearum patrone, non deſines, optimis quibuſq; & doctiſſimis viris, domeſticis, atq; intimis familiaribus tuis tuendis & ornandis, præclara heroicæ indolis, & virtutis tuæ documenta dare: Atque ijs ſocijs, atq; adiutoribus, ſucceſſiui temporis aliquid, è ſummis occupationibus, & grauiſſimis curis ereptũ, in ea ſtudia conferre, quibus à puero deditus fuiſti. In peruolutandis certè Pauſaniæ libris, è Græci hominis facundia, & eruditione, non mediocrem tum fructum,

tum

tum voluptatem capies: Conuerſos verò illos à me, vt fortaſſe non ſatis feliciter iudices: Conatũ tamen hunc meum referendi tibi gratiam, cum pro tuis erga me meritis, tum verò maximè pro mirifico quodam, & maximè perſpicuo de me quàm optimè merendi ſtudio, à te non improbatũ omnino iri & ſpero & maiorem in modum cupio.

Vale. Romæ, Idib. Martij,

LVII.

SCRIPTORVM, QVORVM PAVSAnias in hoc opere uel teſtimonijs utitur, uel ſaltem meminerit, nomina.

AEſchylus
Aeſchylus Euphronis F.
Agis
Alcman
Alexander Pleuronius poëta
Amphion
Anaximenes hiſtoricus
Anacreon
Androtion
Antimachus
Antiochus Syracuſanus hiſtoricus
Archilochus
Arcus
Ariſtias Proconeſius
Ariſtias
Argiuorum hiſtoriæ
Aſius poëta

B

Bacis poëta
Bœò mulier poëtica

C

Callippus Corinthius
Cinæton Lacedæmonius
Cherſias
Chærilus Athenienſis
Clitodemus
Commentarij rerum geſtarum
Corinna mulier fatidica
Cteſias
Creophylus
Cypriorum carminum autor

E

Eleorum cõmentarij
Ennius
Eoeæ magnæ verſus dicti
Ephialtes
Epimenides
Euanoridas
Eumelus
Eumelius
Euphorion Chalcidenſis
Eupolis Comicus

H

Hecatæus Mileſius
Hegeſinus
Hegias Troëzenius
Hellanicus
Hermeſianax Elegius
Herodotus
Herophanes Troëzenius
Heſiodus
Hieronymus Cardianus
Hippocrates
Homerus
Hyperochius Cumanus

I

Ibicus
Iliadis paruæ auctor

Io-

Iophon Gnoſius
Iſocrates
L
Leſcheus Pyrrhæus
Leucas
Linus
Lyceas
Lycius Lyricus
M
Mininermus Elegus
Minyas poëſis ſic appellata
Muſæus
Myron Byſantius
Myron Prienenſis
N
Naupactia carmina
Nicias Nicodomenſis
O
Olen
Onomacritus
Orpheus
P
Pamphus
Paniaſsis
Phaëmus
Philiſtus
Phœnix
Phrynichus
Pindarus
Piſander Camirenſis
Plato
Poëſis quæ Noſti
Polybius
Polimneſtus Colophonius
Pratinas
Praxilla
Proclus Carthaginenſis Eucratis
Pyrrhon
R
Rhianus Cretēſis, Benęus cognomento
S
Sappho Lesbia
Sybilla
Simonides
Solon
Sophocles
Steſichorus Himeræus
T
Teleſilla
Theodorus
Theopompus Damaſiſtrati filius
Theſprodites
Tyrtæus
X
Xenophon

ARTIFICVM, QVI AD VETERIS *Græciæ ornamenta ædificando, ſculpendo, pingendo, fingendo, cælandoq́; elaborarunt, nomina.*

AGamedes
Agapilus architectus (us
Ageladas Argiuus ſtatuari
Alcamenes ſtatuarius
Alypus Sicyonius
Amphion Calaureus ſcalptor (ber
Amphion Areſtoris filij fa-
Amycleus (ptor
Anaxagoras Aegineta ſcal-
Andreas Argiuus fictor
Androſthenes ſtatuarius
Angelion ſtatuarius
Antenor
Antiphanes Argiuus
Antiphanes Cleonis doctor
Antiphilus
Apelles pictor
Arceſilaus pictor
Ardalus Vulcani filius
Ariſtander Parius
Ariſtocles Cydoniates
Ariſtogiton ſtatuarius
Ariſtomedes Thebanus
Ariſtomedon Argiuus
Ariſton Lacedæmonius
Aſcarus Ageladis Sicyonij diſcipulus
Ariſtomus Aegineta
Athenodorus Arcas
Attalus Athenienſis

B

Baticles Magneſius
Boëtus Carthaginenſis ſcalptor
Broteas Tantali filius
Bryaxis ſtatuarius
Bupalus

C

Calamis ſtatuarius
Calides Megarenſis fictor
Callimachus artifex
Calliſtonicus faber
Calliteles
Callon Aegineta
Callon Eleus
Calyintas ſtatuarius
Calyphon Samius
Cantharus Sicyonius
Canachus Sicyonius fictor
Cephiſodotus Athenienſis
Charta Spartanus figulus
Chius pictor
Chionis ſtatuarius (rius
Chœrilus Olyntus ſtatua-
Clearchus Rheginus figulus
Clœeta ſtatuarius
Cleon Sicyonius

Co-

Colotes Parius faber lignarius
Cratinus Spartanus fictor
Critias Atticus
Cuclides ſtatuarius

D

Dædalus Sicyonius
Dætondas Sicyonius ſtatuarius
Daippus fictor
Danias
Damophon ſtatuarius
Democritus ſcalptor
Dinomenes
Dionyſicles Mileſius ſtatuarius
Dionyſij Argiui opera
Dipœnus ſtatuarius
Diyllus
Dontas Lacedæmonius
Doryclidas Lacedæmonius

E

Ectinus architectus
Eleuthereus ſtatuarius
Emilus
Endius faber
Endæus Dædali diſcipulus
Epeus ſtatuarius
Erecteus ſtatuarius
Eucherus Corinthius
Euchir Athenienſis ſtatuarius
Eurydices
Eubius Thebanus
Eubulides
Euphranor pictor
Eupolemus Argiuus architectus
Euthelidæ & Chryſothemidis opera
Eutychides Sicyonius

F

Filij Praxitelis

G

Gitiadas Lacedæmonius
Glaucias Aegineta
Glaucus Argiuus
Glaucus Chius

H

Hermogenes Cytherius
Hermon Troezenius
Hippiæ opus
Hypatodorus

L

Lacrates
Laphaus Phliaſius ſtatuarius
Learchus Rheginus
Leocharis opera
Libon
Locrus Parius
Lycius Miconis filius
Lyſippus Sicyonius
Lyſon
Lyſus Macedonius ſtatuarius

M

Medon
Megades
Menedorus ſtatuarius
Micon pictor
Micon Syracuſanus

Muſus
Myron ſtatuarius
Mys artifex
N
Naucides ſtatuarius
Nicius Nicomedis filius pictor
Nicodamus
Nicodemo
O
Olympus
Omphalion pictor
Onatas Aegineta
Onaſias pictor
Onaſsimades ſtatuarius
Orathus & Thylacus fratres & eorum filij
P
Panænus Phidiæ frater
Pantias Ariſtoclis diſcipulus
Parrhaſius Euenoris filius pictor
Paſiteles Colotem habuit diſcipulum
Patrocles Crotoniata
Patrocles
Patroclus
Pauſanias Apolloniata
Pauſias pictor
Pericletus Antiphanes magiſter
Phileſeus Eritrienſis
Philotimns Aegineta
Phradmon Argiuus
Piſias ſtatuarius
Piſon Calaureus
Poeſon
Polichus Aegineta ſtatuarius
Polydes fictor & eius diſcipuli
Polydetus
Polygnotus pictor
Pothæus
Praxias ſtatuarius
Praxiteles
Protogenes Caunius
Pteras
Phtolicus Corcyræus
Pyræchmes Aetolus
Pyrilampes Meſſenius
Pyrilampes
Pyrrhus
Pythagoras Rhegmus
Pythagoras Argiuus
Pythagoras Pariu s pictor
R
Rhæcus Samius
S
Samolas Arcas
Scopa
Scyllis
Serambas Aegineta ſtatuarius
Silanion Athenienſis
Simon Aegineta
Socrates Thebanus
Somis
Soſtratus Chius Dantię pater
Spintarus Corinthius
Sta

Stadicus Athenienſis
Sthenides Olynthius
Stomius fictor
Straton ſtatuarius
Strongylion
Syadra Spartanus

T

Tectæus
Teletas Lacedæmonius
Thæſius pictor
Theocles Lacedæmonius ſculptor
Theocoſmus Megarenſis ſtatuarius
Theodorus Samius
Theodorus
Theomneſtus Sardianus ſtatuarius
Theopropus Aegineta faber
Theron Bœotius
Thraſimedes Arignoti fil. Parius
Thylacus & Oræthus fratres,& eorum filij
Thymilus
Timænetus pictor
Timarchides Atticus
Timotheus ſtatuarius
Timocles Atticus
Tiſagoras
Tiſander
Trophonius architectus

V

Vulcanus

X

Xenophon Athenienſis
Xenocratus Thebanus
Xenophilus ſtatuarius

F I N I S.

PAVSANIAE
VETERIS GRÆCIÆ DESCRIPTIO,
Romulo Amaſæo interprete.

ATTICA.

IN ea continentis Græciæ parte, quæ Cycladas inſulas, & Aegæum mare ſpectat, Sunium prominet Atticæ promontoriũ, in cuius ora portus, in uertice Suniadis Mineruæ templum eſt. Hinc porrò nauigantibus breuis ad Laurium uia, ubi olim argenti metalla Athenienſibus fuere. Proximè iacet parua ac deſerta inſula, Patrocli dicitur, quòd Patroclus præfectus Aegyptiarũ triremium, quas Ptolemæus Lagi filius Athenienſibus auxilio miſit, clàm occupatam, muro eam & uallo munijt, cum Antigonus Demetrij filius ipſe cum exercitu agrum popularetur, & maritimam partem claſſe obſeſſam teneret. Piræeus uerò, antequã Themiſtocles ad remp. accederet, non nauale, ſed curia fuit: nam Phalerũ (ab ea enim parte ut minimum urbs diſtat à mari) nauale fuerat: unde & Mneſtheum cum aliquot nauibus ad Troiam, & Theſeum multò antè in Cretam, Minoi ob Androgei mortem pœnas daturum, ſoluiſſe, memoriæ proditum eſt. At Themiſtocles, poſteaquã ſummæ rerũ præfuit, quòd multo opportuniore loco nautis Piræa ſitum putaret, cùm pro unico Phaleri, triplex eius portus eſſet, in eo nauale exædificauit: & nauium quidem ſtationes ad meam uſq; ætatem ſtetere: et non longè à maximo, de tribus, portu, Themiſtoclis ſepulchrũ: ſiqui-

dem Athenienſes, ſui aliquando facti in Themiſtoclem pœnituiſſe tradunt, atq; eius oſſa ex Magneſia recepta, ab ipſius neceſſarijs in patriam reportata. Themiſtoclis ſanè liberos conſtat reduces in Parthenone tabulã eam dedicaſſe, in qua etiam ipſe ineſt pictus Themiſtocles. In Piræo uerò quæ ſpectentur, hæc ſunt. Iouis, & Mineruæ fanũ. Aenea ſunt deorum ſigna. Iupiter ſceptrum & uictoriam, Minerua haſtas tenet. Eodem in loco Leoſthenen, eiuſq; liberos pinxit Arceſilaus. Hic ille eſt Leoſthenes, qui Athenienſium atq; aliorum Græcorum dux, Macedonas duobus prælijs uicit: uno in Bœotia, altero ultra Thermopylas, ac poſtremò ad Lamian flumen, quod ex aduerſum Oetæ monti eſt, compulſos obſedit. Longa ibidem quædam porticus eſt, qua pro foro utuntur, qui proximè ad mare habitant. Nam qui longius à porticu abſunt, forum & ipſi ſuum habent. In ultima uerò porticus parte Leocharis extant opera, Iupiter & populus. Veneris uerò ædem, quæ mari proxima eſt, Lacedæmoniorũ triremibus ad Gnidum in Cariæ Cherſoneſo profligatis, Conon erexit: Gnidij enim Venerem in primis colunt: cuius templa apud eos ſunt uarijs deæ cognominibus: uetuſtiſsimum omnium, Doritidis, Acreæ alterum: poſtremum, quam Gnidian plerique omnes: at Gnidij, Euplœan Venerem, non Gnidian appellant. Sunt & alij Athenienſibus portus. In Munychia unus, cum Munychiæ Dianæ templo. In Phalero, de quo iam diximus, alter, cui adhæret Cereris ædes: & proximè, Sciriadis Mineruæ, & Iouis paulò longius. Aræ præterea & deorũ, & heroũ, qui ignoti uocantur. Quin & Theſei filiorum, & ipſius Phaleri eo ipſo in loco ſunt: hunc autem Phalerum Athenienſes Iaſoni Colchicæ expeditionis comitem fuiſſe dicunt. Extat &

Andro-

Androgei Minois filij ara, ſub herois tantùm nomine: ſed Androgei eſſe norūt, qui priſcas patriæ res diligentius exquirunt. Hinc XX. *fermè ſtadia Colias promontoriū abeſt, quô* Perſarum *claſſe deleta, nauium fragmenta æſtu delata ſunt.* Illic *& Veneris Coliadis, & dearū, quibus Genetyllides nomē, ſigna ſunt.* Has *ego, quæ in* Coliade *coluntur, eaſdem cū illis eſſe ſuſpicor, quas* Phocenſes Ioniæ *populi,* Gennaidas *nominātur. In uia uerò quæ ex* Phalero Athenas *ducit, Iunonis ſine foribus et tecto ædes eſt. Incendiſſe eam* Mardonium Gobriæ *filium fama prodidit, cùm tamen adhuc in ea extet deæ ſignum,* Alcamenis *(ut aiunt) opus, quaſi uerò id* Perſæ *non fuerint uiolaturi. Ad urbem propius accedenti,* Antiopes Amazonis *monimentū in conſpectu eſt. Hanc certe* Antiopen *à* Theſeo *&* Pirithoo *raptam, ſcriptū reliquit* Pindarus. Troezenius *uerò* Hegias *hæc propémodum de ea ſcripſit:* Herculem *non prius* Themiſcyran *ad* Thermodontem *amnem, quam diu oppugnarat, cepiſſe, quàm* Antiope Theſei *amore capta (in ea enim oppugnatione* Herculi *ſocium fuiſſe* Theſeum*) oppidū tradiderit.* Hæc Hegias. Athenienſes *uerò cùm ad urbem* Amazones *aduentarent, à* Molpadia *ſagitta confixam* Antiopen *memorant,* Molpadiam *à* Theſeo *occiſam. Eſt enim &* Molpadiæ *apud* Athenienſes *ſepulchrum. Sunt in uia quæ ex* Piræo *ducit ad urbem, ruinæ murorum, quos* Conon *poſt nauale ad* Gnidum *prælium reſtituit.* Illi *enim quos poſt repulſos* Perſas Themiſtocles *extruxerat,* XXX. *tyrannorum temporibus deiecti fuere. Viæ adiuncta ſunt uirorum minimè ignota ſepulchra,* Menandri Diopithis *filij, &* Euripidis, *illud quidem honorarium. Nam* Euripides *cùm in* Macedoniam *ad* Archelaū *profectus eſſet, illic ſepultus eſt. Mortis uerò genus, quale*

à multis uulgatum eſt, tale per me fuerit. Ac cum regibus quidem etiam poëtæ uixerunt. Ante Euripidem enim, cum Polycrate Sami tyranno uixit Anacreon: & ad Hieronem Syracuſas Aeſchylus & Simonides ſe contulere. Dionyſio poſteriori Philoxenus, Antigono Macedonum regi Antagoras Rhodius, & Aratus Solenſis familiares fuere. Nam Heſiodus, & Homerus, regum familiaritates aut nacti non ſunt, aut conſultò ſpreuerunt: ille, quod agreſtem uitam amplexus, ab erroribus abhorruerit: hic, quod in ultimas terras peregrinatione ſuſcepta, potentium hominum opes, gloriæ, quã ſibi apud omnes gentes maximã comparauit, poſthabuerit: cum alioqui & Demodocũ Alcinoo familiarem inducat, & Agamemnonem, poëtam neſcio quem, apud uxorem reliquiſſe cõmemoret. Non longè uerò à porta, ſepulchrum uideas, in cuius faſtigio equeſtris eſt militari ornatu ſtatua: ipſum quidem equitem, quis ſit, non noui: uerùm tam equitem quàm equum fecit Praxiteles. In primo urbis ingreſſu cella eſt pomparum, quas aliàs ſtatis diebus quotannis, aliàs uero incertis temporum interuallis tranſmittunt, apparatibus deſeruiens. Proximum eſt Cereris templum, in quo ſigna ſunt deæ ipſius, & filiæ, Iacchi etiam facem præferentis. Inſcriptum in pariete Atticis literis, opera eſſe Praxitelis. Non longè ab hoc templo Neptunus eſt, ex equo Polybotem gigantem, ad quem apud Coos de teſtudinis promontorio fabula pertinet, haſta petens: ſed inſcriptio, quæ noſtra ætate extat, alium eum eſſe quàm Neptunũ, teſtatur. A porta ad Ceramicũ, porticus aliquot ſunt: et ante ipſas uirorum et fœminarũ, quorũ nõ obſcura gloria eſt, ænea ſigna. Habet una quidem earum ſacella quædam & Mercurij (ſic enim appellatur) gymnaſium. in eademq; eſt Polytionis domus,

mus,in qua ad Eleuſiniorum propè ritum,initia ab hominibus inter cæteros Athenienſes minimè obſcuris agitari ſolita,traditum eſt. Sed ea in præſentia Libero Patri cōſecrata fuerat,ei nempe, quem Canentem, eadem ſanè de cauſa uocant, qua Muſarum ducem Apollinem. Eodem etiā in loco Pæoniæ Mineruæ, Iouis, Mnemoſynes, Muſarumq; ſigna ſunt, & Apollinis poſtremò, quod & dicauit & fecit Eubulides. Ad hos Acratus Genius,unus de Bacchi comitibus, cuius os è pariete extat. A Dionyſij æde cella eſt,in qua multæ ſunt fictiles ſtatuæ,& inter eas Athenienſiū rex Amphictyon,tum alios deos, tum Liberum Patrem conuiuio accipiens. Adeſt & Eleutherienſis Pegaſus, qui primus Liberi ipſius religiones Athenienſibus tradidit, atq; id ex Delphico oraculo, quo prædictum recordabatur, deum Icarij temporibus aduenturum. Regnum autem ad hunc modum ad Amphictyonem peruenit. Actæum,quo in loco nunc Attica eſt, memorant, primum regnaſſe. Ei ſucceſsit Cecrops, qui cum Actæi filia nupta erat. Huic filiæ fuere,Herſe, Aglauros, et Pandroſos: filius Eriſichthon,qui ad Athenienſiū regnum non acceſsit: fortè enim ita accidit, ut uiuente patre è uita decederet: quo factum eſt, ut Cecrope mortuo, Cranaus, qui opibus & potentia Athenienſibus præſtabat,regno potiretur. Cranao uerò & alias fuiſſe filias ferunt, & Atthiden,à qua tota regio,quæ prius Actæa dicebatur, Attica nominata eſt.Sed Cranaum Amphictyon, nihil affinitatem ueritus (ſiquidem eius filiam in matrimonio habebat) regno per uim expulit. Verū et ipſe poſtea ab Erichthonio, facta coniuratione,oppreſſus eſt.Patrem certè Erichthonio mortalium neminem fuiſſe aiunt, ſed Vulcano ex terra genitum putāt.At Ceramicus urbis uia,à Ceramo heroe, Libe

ri Patris Ariadnes (id enim de eo prædicant) nomen accepit: in quo quæ prima ad dexteram ſe oſtendit porticus, Re*gis dicitur: nam illic tribunal eius eſt, qui annuum magiſtratum gerit, quod* Regnum *appellant. Circa eius porticus tectum fictiles ſunt aliquot ſtatuæ,* Theſeus Scironem *in mare abijciens,* Aurora Cephalũ *rapiens. Eſt enim in fabulis, egregia ſpecie iuuenem* Cephalum *ab* Aurora *raptũ, quòd eius amore capta eſſet.* Cephali *ſatu* Phaëthontem *natum, quem illa templi æditũum fecerit: ſic enim & ab alijs, & ab* Heſiodo *in eo, quod de mulieribus ſcripſit, carmine traditum eſt.* Prope *porticum eam,* Cononi, *eiusq; filio* Timotheo *poſitæ ſunt ſtatuæ.* Cypriorum *etiam regi* Euagoræ, *cuius ſuaſu* Artaxerxes Phœniſſas *triremes* Cononi *tradidit: quod ſanè tanquam ciuis* Athenienſibus *officium præſtitit, quippe qui originis ſuæ primordia ad* Salamina, Teucrumq; *&* Cinyræ *filiam referebat. Ibidem* Iupiter *ſtat cognomento* Eleutherius: *&* Imperator Adrianus, *uir cùm de alijs quibus imperabat gentibus, tum de* Athenienſibus *optimè meritus.* Porticus *altera, quæ à tergo huius extructa eſt, pictos habet deos, qui* XII. *appellantur, & in extremo pariete* Theſeũ, *cumq; eo unà popularem ciuitatis ſtatum, & populum.* Ea *ſanè pictura argumento eſt,* Theſeum *æquabilem* Reipub. *adminiſtrationem* Athenienſibus *cõſtituiſſe.* Inolcuit *tamen & alia apud multos fama,* Theſeum *ſummã rerum multitudini tradidiſſe, ex eo popularem adminiſtrationẽ ad id uſq; tempus manſiſſe, quo repub. oppreſſa tyrannidem* Piſiſtratus *inuaſerit.* Sunt *certè de hac ipſa re & alij minus ueri hominum ſermones, eorum nempe qui priſcarũ rerum (quòd eas ſcilicet ex literarum monimentis non didicerunt) ignari, quæcunq; à pueris ex choris ac tragœdijs acceperunt,*

uera

uera eſſe exiſtimant. Non defuerunt qui memoriæ prodiderint, ipſum etiam regnaſſe Theſeum, & poſt Mneſthei mortem regnum ad quartum uſq; poſteritatis gradum in familia eius permanſiſſe. Quòd ſi mihi de gentilitate eſſet hiſtoria inſtituta, omnes qui à Melantho ad Clidicũ uſq; Aeſimidæ filium, & qui poſt eos deinceps regnaſſent, enumeraſſem. Eadem pictura nauatam ab Athenienſibus in prælio ad Mantineam Lacedæmonijs, quibus auxilio uenerant, operam præfert. Belli autem eius totius ordinem, Cadmeæ oppreßionem, Leuctricam Lacedæmoniorũ cladem, Bœotiorum in Peloponneſum irruptionem, quæ Lacedæmonijs Athenienſes auxilia miſerint, tum alij, tum Xenophon conſcripſere. Picturæ argumentũ, illud habet equeſtre præliũ, in quo ex Athenienſibus Grylli Xenophontis filij, in Bœotio equitatu Thebani Epaminundæ uirtus enituit. Atq; hæc omnia pinxit Athenienſibus Euphranor. Et idem in proxima æde Apollinem fecit, cognomine Patroum: pro foribus uerò Apollinem unum Leochares, alterum Alexicacon cognomento (quod eſt ac ſi Aueruncum dixeris) feciſſe Calamis dicitur. Deo cognomen narrant inde extitiſſe, quòd Peloponneſiaci belli temporibus omnia fœdantem peſtilentiam, è Delphico oraculo reſponſo quodam edito, is deus ſedaſſet. Deorum etiam Matris, quam Phidias fecit, ibi ſacellum eſt, & in proximo Quingentorũ curia (ſic enim appellantur qui apud Athenienſes ſummæ rei præſunt) qua quidem in curia & Apollinis ſunt, & Iouis Conſiliarij ſimulachra, Piſiæ arte perfecta, & populus, Lyſonis opus. Nam legumlatores Caunius Protogenes pinxit. Inter hos locum ſuũ meruit Olbiades Callippi illius filius, qui irruentibus in Græciam Gallis ducem ſe Athenienſium præſidio ad Ther-

mopylarum ingreſſum præbuit. Galli uerò, de quibus nunc incidit mentio, in extremis Europæ oris ad uaſtũ mare accolunt, cuius fines adiri poſſe nauibus negant: eſt enim gurgitis æſtu, ſcopulis, & belluarũ immanitate, quàm mare aliud omne, multò importunius. Horũ fines amnis Eridanus perlabitur, cuius in ripis Phaëthõtis caſum Solis filiæ illius ſorores collachrymari creduntur. Verùm ut Galli appellarentur, non niſi ſerò uſus obtinuit, Celtas enim cùm ipſi ſe antiquitus, tum alij eos nominarunt. Hi contractis undecunque copijs, ad Ioniũ mare conuerſi, omnes Illyrici populos, & quicquid gentium ad Macedonicum uſq; nomen patet, quin & ipſos Macedonas oppreſſere. In Theſſaliam deniq; impetu facto, cùm proximè ad Thermopylas acceßiſſent, Græcorum ſanè multi prorſus nihil ad reſiſtendum excitati ſunt, quippe qui magnis cladibus ab Alexandro, & Philippo etiam prius affecti, poſtremò ab Antipatro et Caſſandro penè deleti, nulli ſibi crimini datum iri ducerent, ſi propter imbecillitatem, auxilium quiq; ſuum deſiderari ſinerent. At uerò Athenienſes, tametſi & Macedonici belli diuturnitate debilitati, & aduerſis aliquot prælijs propè fracti erant, collectis aduentitijs aliorũ Græcorũ copijs, ad Thermopylas cõtendère. Quo quidem tempore, Callippum eius expeditionis ducem declararũt. Occupato autem quamanguſtißimo montis aditu, Barbaros acceſſu prohibebant: ac illi tramitẽ eum nacti per quem Perſas olim Ephialtes Trachinius duxerat, Phocenſiumq; inde præſidio deturbato, in Oeta ſuperanda Græcos impunè fefellerunt: ibi Athenienſes Barbarorum multitudine à lateribus circumuenti, fortiter pugnãdo, Græco ſe nomine dignos, ut qui maximè, præbuerũt. At qui ex ipſis in nauibus remanſerãt, grauiter labo-

laborarunt. Nam cùm Lamiacus ſinus ad ipſas Thermopylas maximè cœnoſus ſit, propter aquas (ut opinor) calidas, quæ ea parte in mare influunt, difficile dictu eſt, quanto labore receptis in ſoros Græcis, graues uiris & armis naues ex ea cœni uoragine exemerint. Et ab Athenienſibus quidem ad hunc modum Græci ſeruati ſunt: at Galli montis anguſtijs ſuperatis, nihil ſua magnopere exiſtimantes intereſſe, alia oppida capere, in Delphos & Apollinis donaria cupiditatis ſuæ omnem conatum conuerterunt. Et illis quidem, & Delphi, & Phocenſes, & ex alijs Parnaſi urbibus multi in unum congregati, accitis Aetolorum copijs, quæ gens per ea tempora iuuentutis robore præſtabat, inſtructa acie occurrerunt: ut uerò ad manus uentum eſt, & crebra de cœlo fulmina, et ſponte auulſa de Parnaſo ſaxa diuinitus Gallorum aciem perculiſſe memorant. Adijciunt miraculo, armatos tris terribili ſpecie cõtra eos ſtetiſſe, quorum duos uſq; ab Hyperboreis, Hyperochũ ſcilicet & Hamadocũ, uenisse: tertiũ Pyrrhum fuiſſe aiunt Achillis filiũ: quo factũ ut annua parentatione ex eo Delphi gratiam Pyrrho retulerint, cùm antea eius ſepulchrum tanquã hoſtis nullis honoribus unquã dignum putaſſent. Sed Gallorum magna pars in Aſiam claſſe tranſuecti, ad illud uſq; tempus maritimam eius partem populationibus infeſtam reddiderunt, quô Pergameni, qui eam quæ olim Theutrania appellata eſt, regionem tenent, eos longè à mari fugatos, in finitimam partẽ, quæ nunc Gallogræcia dicitur, compulerunt, ubi illi Ancyra Phrygum oppido occupata, ſupra Sangarium amnem conſederunt. Eam urbem Midas Gordij filius condiderat, & ad meam ſanè uſq; ætatem permanſit anchora ab eo inuenta, in Iouis æde. Et fons ille, quem Midæ nominant, mon

ſtrabatur, in quem uinum infudiſſe Midam, ut Silenũ capiaret, uulgò creditũ eſt. Neq; uerò Ancyram ſolùm, uerùm & Peſſimuntem ad montem Agdiſtin, nobile Atys tumulo oppidum ceperunt. Sunt adhuc apud Pergamenos Gallorum ſpolia, & pictura, eorum teſtis quæ in Gallos geſſere. Quã uerò Pergameni incolunt terram, eam Cabiris ſacram fuiſſe perhibent. Se ipſi ex eo Arcadum numero eſſe uolunt, qui cum Telepho in Aſiam traiecerint. Bellorum uerò (ſi quæ fortè alia geſſerunt) ad alias gentes fama fortaßis non peruaſit. Tria certè præclara rerum geſtarum monimenta reliquerunt, quorũ illud primũ fuit, quòd inferioris Aſiæ imperiũ adepti ſunt: alterũ, quòd Gallos, ex eo quem prius occuparant loco cedere coëgerunt: tertium, quod Telepho duce cum Agamemnonis copijs manum conſerere auſi ſunt, cùm Græci per locorum inſcitiam ab Ilio aberrantes, è Myſorum agro, Troianũ illum eſſe rati, prædas agere aggreßi eſſent. Sed ad id redeo, unde eſt hiſtoria ab initio digreſſa. Quingentorum curiæ proximus locus eſt, qui Tholus dicitur, ubi Prytanes rem diuinã facere conſueuerunt: quo in loco non ſanè magna ſunt aliquot ex argento ſigna. Paulò uerò ſuperius heroum eorum ſtatuæ poſitæ ſunt, à quibus recentiora nomina Athenienſium tribus acceperunt. Qui certè tribuum numerum auxerit, ut decem pro quatuor eſſent, nouaq; nomina pro priſcis impoſuerit, id ſanè ab Herodoto traditum eſt. Ex Eponymis autem (ſic enim appellantur à quibus tribus nomina ſumpſerunt) unus eſt Hippothoon Neptuni filius, ex Alope Cercyonis filia: alter Antiochus Herculi è Meda Phylantis genitus: tertius Aiax Telamonis filius. Ex Athenienſibus Leo, quem filias ex oraculo pro ſalute publica deuouiſſe ferunt. Habet et inter eos locũ

ſuum

ſuum Erechtheus, *qui* Eleuſinios *prælio uicit, eorumq; ducem* Immaradū Eumolpi *filium interfecit*. Ad hos Aegeus, *&* Pandionis *nothus filius* Oeneus, *& ex* Theſei *liberis* Acamas. Vidi *etiam* Cecropis *ſtatuas &* Pandionis, *inter eos à quibus tribuum ſunt cognomina: ſed utris eorum honorem habeant, non planè dixerim*. Regnauit *enim &* Cecrops *maior, qui cū* Actæi *filia nupta fuit: & minor* Erechthei *filius* Pandionis *nepos, pronepos* Erichthonij, *à quo eſt in* Eubœā *colonia deducta*. Regnauit *etiā* Pandion Erichthonij, *& alter minoris* Cecropis *filius, qui cum filijs à* Metionidis *regno pulſus, cùm ad* Pylam Megarenſiū *regem, cuius filiā in matrimonio habebat, confugiſſet, morbo confectus illic diem ſuum obijt: eſtq; eius mari uicinū monumentū eo in loco* Megarenſis *agri, qui ab* Athenienſibus Mergi *ſcopulus eſt appellatus*. At *filij rurſus eiectis* Metionidis Megaris, Athenas *reuerſi ſunt, ubi regnum maximus natu* Aegeus *obtinuit*. Et Pandion *quidem non ſatis æquo fato eduxit filias: neque filios qui ſuas perſequerentur iniurias, ullos reliquit*. Thraciæ *certè regem, quo opes ſuas firmaret, ſibi affinitate deuinxerat*. Sed *fati uim effugere, nulla poſſunt homines ratione*. Nam *cùm* Tereus, *cui nuptum* Progne *data fuerat,* Philomelæ *eius ſorori, contemptis* Græcorum *legibus, uitium obtuliſſet, & puellæ inſuper corpus ferro uiolaſſet, mulieres ad ſceleris pœnam expetendam prouocauit*. Pandionis *uerò & altera nobilis eſt in arce ſtatua*. Et *hi quidem ſunt priſci homines, à quibus* Athenienſes *tribubus nomina indiderunt*. Natu *autem multò inferiores & alij ſunt,* Attalus *ſcilicet* Myſus, *et* Ptolemæus Aegyptius, *et penes quē ætate mea imperiū eſt,* Adrianus, *qui & deos unus omniū religioſiſsimè colit, & populorū, qui ipſi parent, fe-*

licitati maximè conſulit. Is bellum omnino nullum, niſi inuitus ſuſcepit. Hebræorum duntaxat, qui ſupra Syros ſunt, defectionē ultus eſt. Quæ ſanè Dis templa uel erexerit, uel donarijs et operib. exornarit, quæ itē ultro Græcis, quæq; rogatus Barbaris dona ciuitatibus dederit, Athenis in cōmuni deorum omniū templo conſcriptū eſt. Attali uerò & Ptolemæi rerum geſtarum memoriam, cùm uetuſtas magna ex parte aboleuit, tum eorum negligentiā interijt, qui, ut eam literis mandarent, cum illis uixere: quamobrem mea intereſſe duxi, & quas res geſſerint, & quemadmodum ad eorum maiores, Myſtorum, & Aegyptiorum, finitimarumq; gentium imperium peruenerit, exponere. Ptolemæum quidem Macedones, re Philippi Amyntæ filij, uerbo, Lagi filium fuiſſe exiſtimant: eius enim matrem uterum ferentem à Philippo, Lago uxorem datam ferunt. Hunc & alia in Aſia præclara facinora geſſiſſe memorant: & Alexandro in Oxydracis periclitanti, præ cunctis regis amicis, auxilio fuiſſe. Eundem etiam Alexandro mortuo, ijs qui ad Aridæū Philippi filium regnum deferebant, acriter reſtitiſſe, regnumq; in plures diuidendi autorem in primis extitiſſe. Quo tempore ipſe in Aegyptum profectus, Cleomenem, quē Aegypto præfecerat Alexander, quòd Perdiccæ ſtuderet, ſibi ſuſpectū occidit: atq; ijs Macedonibus, quibus negociū datū erat ut Alexandri cadauer Aegas reportarent, ut ſibi illud traderent perſuaſit, acceptumq; Macedonico ritu Memphi condidit, nihilq; omnino dubitans bellum ſibi Perdiccam illaturū, Aegyptum præſidijs firmauit. Perdiccas uerò ad ſpeciem quandam in exercitu Aridæum Philippi filium, & Alexandrum puerum, Alexandro & Rhoxane Oxyartæ filia genitum habuit, quaſi uerò illis regnum

uindi-

uindicaret, cùm re tamen Aegypti regnũ Ptolemæo eripere conaretur. Verũ ex Aegypto pulſus, amiſſa magna ex parte exiſtimatione quã in bellicis rebus cõſecutus fuerat, & in magnã apud Macedones inuidiã adductus, à ſatellitibus ſuis interfectus eſt. Ptolemæum Perdiccæ cædes ad res gerendas excitauit: Siriã igitur ſtatim, & Phœnicen imperio ſuo adiecit, mox Seleucũ Antiochi filium ab Antigono eiectũ, ad ſe confugientem in fidem recepit. Ad hæc in Antigonum & Caſſandrum Antipatri filiũm, armis eorum ſe impotentiam perſecuturũ profeſſus, bellum mouit. Lyſimachũ Thraciæ imperantẽ facilè ad ſocietatẽ induxit, cùm & Seleuci fugã cõmemoraret, & Antigoni opes cunctis formidoloſas fore ſi quid amplius creuiſſent, moneret. Interea Antigonus bellum utiq; apparabat, belli tamen fortunã tentare prius non eſt auſus, quàm audita Cyrenæorũ defectione, Ptolemæũ in Libyã mouiſſe renuntiatũ eſt: tunc enim & Syros, & Phœnicas primo impetu in poteſtatem ſuam redegit, quibus cũ Demetriũ filium, illum quidem peradoleſcentem, uerũ ſumma uirtute & ſpe iuuenẽ, præfeciſſet, ipſe in Helleſpontũ rediJt. Sed antequàm traijceret, cùm audiſſet à Ptolemæo Demetrium prælio ſuperatũ, retro copias egit. Demetrius nõ prorſus tota prouincia hoſti ceſſerat, quin & Aegyptiorũ non magnam utiq; manum inſidijs oppreſſerat. Appropinquantem Antigonũ Ptolemæus non expectandum ratus, in ſuum ſe regnũ recepit. Hyeme uerò acta, Demetrius Cyprũ cũ claſſe profectus, Menelaũ primũ Ptolemæi præfectũ nauali prælio, deinde Ptolemæũ ipſum propius accedentẽ uicit: mox in Aegyptũ fugientẽ perſecutus terra Antigonus, mari Demetrius urgebat. Ptolemæus omni ex parte periculo circũuentus, præſidio tamẽ ad Peluſiũ conſtituto, trire-

mibus è flumine in hoſtem deductis ita reſtitit, ut ſuum ſibi regnum facilè tutatus ſit. Antigonus quidem *ex præſentium rerum difficultate, occupandi Aegyptum ſpem omnem abiecerat:* Demetrium *tamen cum ingenti exercitu, & nauibus multis contra* Rhodios *miſit, ut qui ſe redacta in poteſtatem ſuam inſula, opportuno aduerſus* Aegyptios *propugnaculo uſurum ſperaret: ſed* Rhodij *cùm ipſi per ſe bellica uirtute, & operibus ac machinis acriter obſiſtebant, tum illos* Ptolemæus *omni ope, copijsq; ſuis iuuabat.* Antigonus *igitur æquè* Rhodienſi, *ac prius* Aegyptiaca *expeditione infeliciter tentata, non ita multò pòſt contra* Lyſimachum, Caſſandrum *&* Seleucum *acie dimicare auſus, magnam exercitus partem amiſit, ac poſtea belli aduerſus* Eumenem *diuturnitate confectus, è uita deceſſit.* Ex *omnibus autem qui* Antigonũ *oppugnarunt regibus, ſumma fuiſſe impietate* Caſſandrum *iudico, qui cùm* Antigoni *opera* Macedoniæ *regnum conſeruaſſet, non dubitauit uiro optimè de ſe merito bellum inferre.* Antigono *uerò mortuo,* Ptolemæus Syriam *et* Cyprum *iterum ſubegit,* Pyrrhumq; *in* Theſprotidem Epiri *reduxit, & per* Magan Berenices, *quam tunc in matrimonio habebat, filium,* Cyrenem, *quæ à ſe deſciuerat, quinto poſt defectionem anno recepit.* Quòd *ſi* Ptolemæus *reuera* Philippo Amyntæ *filio genitus eſt, intemperantem uſq; ad inſaniam in mulieres amorem, à patre nimirum ei quaſi hæreditarium fuiſſe facilè credi poteſt: cùm enim* Eurydicen Antipatri *filiam uxorem duxiſſet, ex eaq; liberos etiã ſuſcepiſſet,* Berenices *nihilominus (quam* Eurydicæ *comitem in* Aegyptum Antipater *miſerat) amore captus, filios ex ea quoq; genuit: ex ijs* Ptolemæũ *iam propè moriens, ſibi regni ſucceſſorem declarauit,*

rauit, à quo Athenienſibus tribus una eſt. At hic etiam Ptolemæus Arſinoës germanæ ſororis amore uictus, eam ſibi matrimonio adiunxit: atq; id non ſanè ex Macedonum, ſed Aegyptiorum, quibus imperabat, lege fecit. Minorem autẽ fratrem Argæum inſidias ſibi comparantem (ut fama eſt) interfecit. Idem etiam Alexandri cadauer è Memphi deportandum curauit. Alterum quoq; fratrem ex Eurydice natũ, cùm ab eo Cyprios ad defectionem ſolicitari perſenſiſſet, de medio ſuſtulit. At Magas, eius ex eadem quidem matre frater, patre uerò Philippo, Macedone illo quidem, ſed ignobili & populari genitus, cùm Cyrenæis, quibus à Berenice præfectus fuerat, ut à Ptolemæo deficerent, perſuaſiſſet, in Aegyptum cum exercitu mouit. Ptolemæus cùm aditus ex omni parte muniſſet, ſe ad Cyrenæorũ impetũ ſuſtinendum cõparabat: ſed ubi Magæ in itinere de Marmaridarũ (ea Libyæ Nomadum gens eſt) defectione eſt allatum, Cyrenas agmen retro agere conatus eſt. Quô cùm illum perſequi Ptolemæus conaretur, id ei fuit impedimento, quòd cùm ad ſuſtinendum Magæ impetũ, & alios mercenarios milites, & Gallorum quatuor fermè millia conducta haberet, & eam manum comperiſſet de Aegypto occupanda conſilia inire; eos in deſertam inſulam per Nilum deduxit, eo in loco ad unum omnes, cùm mutuis confoßi uulneribus, tum fame enecti periere. Magas uerò cùm Apamen uxorem duxiſſet, Antiochi filiam, ſocero perſuadet ut uiolato fœdere, quod eius patri Seleuco cum Ptolemæo ictum fuerat, in Aegyptũ inuadat: quod cùm Antiochus comparato exercitu molitur, Ptolemæus in omnes populos, quibus imperabat Antiochus, copias dimiſit, quæ imbecilliores excurſionib. prædonum more, ac populationibus infeſtos redderent, uali-

diores acie adorirentur. Quod ſanè conſilium, omnem in Aegyptum Antiocho proficiſcendi facultatem eripuit. Hic nempe ille Ptolemæus eſt, qui (ut antè expoſui) auxiliariam claſſem Athenienſibus contra Antigonum & Macedonas miſit, qua tamen re nō magnopere ad ſalutem Athenienſiū profectum eſt. Huic filij ex Arſinoë non ſanè ſorore, ſed ea quæ Lyſimachi filia fuit, nati ſunt. Nam ſoror, quā ſibi matrimonio iunxerat, antequàm pareret, diem ſuum obijt, à qua Arſinoëtes regio cognomen accepit. Poſtulat autem locus, ut etiam quæ ad Attalū pertinent, exponantur, cùm & ipſe ex eorum numero ſit, à quibus Atticis tribubus cognomina indita ſunt. Vir fuit Macedo Docimus nomine, unus de Antigoni ducibus, qui ſe poſtea, opesq; ſuas omnes Lyſimacho tradidit: hic Philetærum Paphlagonem eunuchum habuit, à quo quæ geſta fuerint, cùm defeciſſet à Lyſimacho, & quemadmodum Seleuci partes fuerit ſecutus, inter ea inſerā quæ de Lyſimacho fuerint cōmemoranda. Hic autem Attalus, Attali quidem filius fuit. Regno uerò quod Eumenes frater Philetæro conceſſerat, ſui patruelis potitus eſt. Is omnium quæ geſſit, maximum illud fuit, quòd Gallos in eam, quam etiam nunc tenent terram à mari confugere coëgit. Iam ſecundùm eorū ducem unde tribus appellatæ ſunt, ſtatuas, ſigna deorum, ſpectantur Amphiaraus, & Pax Plutonem puerum ferens. Ibidem Lycurgus ex ære, Lycophronis filius, et Callias, qui pacem, Athenienſibus (ut uulgò memorant) ab Artaxerxe Xerxis filio, confecit. Demoſthenes etiam, quem in Calaureā, quæ inſula iuxta Troëzenen eſt, Athenienſes exilij cauſa cōcedere coëgerunt: reuocatumq; paulò pòſt, iterum poſt Lamiacam cladem in exilium miſere: quo tempore, in eandem inſulam reuerſus, hauſto ueneno in-

no, interijt. Hunc ex omnibus Græcis exulibus, unum ad Antipatrum & Macedonas non traxit Archias. Thurius erat Archias patria. Negotium is planè ualde inhumanum ſuſceperat: nam omnes qui ante cladem à Græcis acceptam in Theſſalia Macedonibus aduerſati fuerant, captos ad Antipatrum pœnas daturos trahebat. Huc igitur Demoſthenis nimius in patriam amor euaſit. Quo mihi illud præclarè dictum uidetur, Hominem nimis reipub. adminiſtrationi deditum, & populari aura fidentem, haud unquam feliciter diem extremum claudere. Prope Demoſthenis ſtatuã, Martis eſt delubrum, in quo duo ſunt Veneris ſigna. Martis Alcamenes, Mineruæ ſignum Parius uir fecit, Locrus nomine. Ibidem eſt etiam Bellonæ ſignum, Praxitelis filiorum opus. Ad templum adſtat Hercules, & Theſeus, & Apollo tænia redimitus. Virorũ autem ſtatuæ ſunt, Calades, quem legumlatorẽ Athenienſes perhibent: & Pindarus, qui quòd Athenienſes carmine laudauit, & ſtatuam, & alia meruit præmia. Neq; longè ſunt Harmodius & Ariſtogiton Hipparchi interfectores, cuius facinoris cauſam & modum alij explicarunt: ex his aliquot Critias, antiquiores fecit Antenor. Has cùm Xerxes urbe capta, quam ciues deſeruerant, cum alia præda aſportaſſet, Antiochus poſtea Athenienſibus remiſit. In theatri uerò (quod Odeum uocant, quaſi cantilenarium dicas) ipſo ueſtibulo, Aegyptiorum regum ſunt ſtatuæ, quibus eſt omnibus idẽ Ptolemæi nomen, inter eos diſcrimen faciente cognomine: nanq; alium Philometora, Philadelphum alium appellarunt: at Lagi filio Soteris cognomentum Rhodij dedêre. Philadelphus uerò is fuit, cuius à nobis mentio, cùm ſermo de ijs eſſet, à quibus tribubus ſunt nomina, facta eſt. Huic Arſinoës ſororis appo

ſita eſt ſtatua. At qui Philometor eſt dictus, octauus eſt à Ptolemæo Lagi filio. Id autem cognominis per illuſionem nactus eſt: neq; enim regum quiſquã fuit unquam ex omnibus, quem maiori mater odio proſecuta fuerit: hunc enim maiorem quamuis natu, regem ſalutari non eſt paſſa, & ut in Cyprum uiuente patre ablegaretur, effecit. Cuius in filiũ acerbitatis, cùm alias fuiſſe cauſas Cleopatræ memorant, tum quòd Alexandrum natu minorem ſibi obſequentiorem fore ſperabat, ob eamq; rem, primùm ut eum Aegyptij regem crearent, ſuadebat: deinde, cùm repugnante plebe id aſſequi nequiſſet, in Cyprum Alexandrum miſit, imperatoris quidem nomine, re uerò, ut per eum Ptolemæo formidoloſior eſſet ipſa. Poſtremò ex omni Eunuchorum numero, quos amantiſſimos eſſe ſui putabat, ſaucios in concionem produxit, Ptolemæum inſimulans, & inſidias ſibi feciſſe, & eunuchos uulneribus fœdaſſe. Qua re Alexandrini cõmoti, nõ multum abfuit quin Ptolemæũ impetu facto opprimerent: ſed cùm ille naui ſe è periculo eripuiſſet, haud ita multò pòſt è Cypro reuerſum Alexandrũ, regem appellant. Digna autem facinore pœna Cleopatram conſecuta eſt: eam enim filius, quem ſuis ipſa conſilijs ad regnum euexerat, peremit: quo ſcelere detecto, cùm ciuium metu aufugiſſet Alexander, Ptolemæus in Aegyptum redijt, ac iterum regno potitus, Thebanis, quòd ab ipſo defecerant, bellum intulit, ac tertio à defectione anno in poteſtatẽ ſuam redactos, tam grauiter mulctauit, ut qui antè Græciæ ditiſſimas quaſq; ciuitates, Delphos etiam ipſos, penes quos erat ſacrata Deo pecunia, & Orchomenios opibus ſuperarant, nullum priſtinæ fortunæ ueſtigium retinuerint. Ipſi quidem, Ptolemæo non ita multò pòſt morbo conſumpto, pro multis eius erga ſe meri-

ſe meritis, Athenięſes, et alia multa quæ nihil neceſſe eſt exponere, decreuerunt, & æneam ſtatuam cum Berenice, *quæ ſola illi è legitimo toro ſuſcepta fuerat, erexerunt. Poſt Aegyptios uerò reges, Philippo & eius filio Alexandro ſtatuæ poſitæ ſunt: quorum res geſtæ maiores fuere, quàm ut alijs de rebus ſuſceptæ hiſtoriæ inſeri debeant. Aegyptijs quidem regibus ad ueri honoris monimentum, tanquam bene de ſe meritis, præmia ſunt conſtituta: Philippo uerò & Alexandro, adulatione potius multitudinis. Nam et Lyſimacho, nõ tam eius ducti ſtudio, quàm temporibus conſulentes, eundem honorem habuerunt. Fuit Lyſimachus natione Macedo, Alexandri ſatelles, quem rex ira incenſus, in eandem cum leone caueam conijci iuſſerat: ſed cùm ab eo beſtiam exanimatam intellexiſſet, uiri perpetua admiratione uirtutem proſecutus, eodem illum, quo optimum quenq; è Macedonibus, loco eſſe uoluit. Mortuo uerò Alexandro, ei Thraciæ parti, quæ Macedoniæ finitima eſt, imperauit: quã Philippus etiam antè, & Alexander tenuerãt. Eſt autem ea regio non ſanè magna: nam reliqua Thracia adeò hominum multitudine abundat, ut, niſi fortè Galliam excipias, cuiuis nationi hominũ frequentia anteponi poſſe uideatur: quod in cauſa fuit, ut uniuerſam ante Romanos nemo imperio ſuo adiecerit. Nunc autem & Thracia tota, et quicquid Gallici nominis eſt, Romano imperio paret: ſed Galliæ bene cultas tantùm partes, quibus imperarent, dignas iudicantes: reliquas, quæ nulli uſui uiſæ ſunt, quòd aut immodicis frigoribus, aut ſoli ſterilitate laborarent, conſultò miſſas fecerunt. Eius igitur Thraciæ partis cõpos factus Lyſimachus, Odryſas primùm bello eſt aggreſſus: deinde in Dromichæten & Getas profectus, cùm prælium initum eſſet cum ho-*

minibus & rei bellicæ nequaquã imperitis, & numero multò ſuperioribus, fuga ſe è ſummo periculo, in quod res ſuas omneis deduxerat, eripuit. In ea pugna Agathocles *eius filius, paterno ductu militaris diſciplinæ rudimentis tunc primùm aſſueſcens, à* Getis *captus eſt*. Quare Lyſimachus *alijs etiam prælijs nihilo ſecundioribus belli fortunã expertus, de ſumma rerum ſolicitus, & quòd filius in hoſtium poteſtatem ueniſſet, minimè leuem cladem numerans, cum* Dromichæte *&* Getis *pace facta, illi, temporum neceßitati obtemperans, & filiam deſpondit, & ea* Thraciæ *parte ceßit quæ trans* Iſtrum *eſt. Sunt qui non* Agathoclem, *ſed ipſum* Lyſimachum *ab hoſtibus captum fuiſſe dicant, deinde ab* Agathocle *ijs cõditionibus quas diximus, fœdere cum* Getis *icto, liberatum*. Vt *uerò redijt* Agathocles, Lyſandrã Ptolemæi, *qui* Lagi *filius fuerat, &* Eurydices *filiam, uxorem duxit. Claſſe deinde in* Aſiã *traiecit, &* Antigoni *regno capto, eam quã nunc quoq;* Epheſij *mari proximam incolunt urbem, cõdidit: in quam* Lebedios *&* Colophonios, *eorum urbibus euerſis, deduxit. Eas uerò urbium exciſiones* Phœnix *iamborum ſcriptor deplorat: nam* Hermeſianacta, *qui elegos ſcripſit, ad illud uſq; tempus ſuperſtitem fuiſſe non crediderim: neq; enim is in aliqua carminũ ſuorum parte exciſam* Colophonem *non defleſſet. At* Lyſimachus Pyrrhum *quoq;* Aeacidæ *filium bello eſt adortus. Eius nanq; ab* Epiro *profectione obſeruata, cũ ſæpe ille domo abeſſe conſueſſet, & reliquam* Epirum *hoſtilem in modum populatus eſt, & regum ſepulchra uiolauit*. Addit Hieronymus Cardianus *(quod ut credam adduci non poſſum)* Lyſimachum *ſepulchris diſiectis, regũ oſſa diſsipaſſe. Sed hic ipſe* Hieronymus *ob id, quo in reges odio laborabat, hæc ſcripſiſſe creditur,*

ditur, cùm unum tamen Antigonum multis idem, & haudquaquam debitis laudibus exornet. Nec ulli dubium fuerit hæc illum de regum Epiri monimentis ad calumniam commentum. Quis enim crediderit hominem Macedonem ſepulchra regum Epiri uiolaſſe? Neſciebat fortaſſe Lyſimachus, eos non Pyrrhi ſolùm, ſed Alexandri etiam maiores fuiſſe, quum Alexander maternum genus ab Epiro, atque adeo ab Aeacidis duceret. Argumēto eſt præterea inter Pyrrhum & Lyſimachū non multò pòſt conciliata ſocietas, nulla per bellum iniuria fuiſſe inter ipſos ad reditum in gratiam ſpem intercluſam. Sed Hieronymus & alias habuit cum Lyſimacho ſimultatis cauſas, & eam proculdubio maximam, quòd ille Cardianorum urbe euerſa, pro ea Lyſimachiam in Iſthmi Thracij Cherſoneſo condiderat. Et Lyſimachus quidem quantiſper Caſſander eiusq; liberi regnarunt, à Macedonū amicitia nō diſceßit: ubi uerò Demetrius Antigoni filius regnū adeptus eſt, ne ſe ille prouocaret metuens, prior contra eum arma mouit. Nouerat enim paternum ei eſſe, de promouendo imperio ſemper cogitare. Vt primū igitur illum in Macedoniā profectum, Alexandro, à quo accerſitus fuerat, interempto, eius regno potitū comperit, probabilē belli cauſam nactus, ad Amphipolim cum Demetrio congreſſus, parum abfuit quin de Thraciæ quoque regno in dubium ueniret. Quo tempore Pyrrhi auxilijs confirmatus, & regnum retinuit, & Neſtijs deinde, ac Macedonum parti imperauit. Nam Pyrrhus cum exercitu ueniens ex Epiro, dum Lyſimachi rebus pro tempore ſtuderet, magnam Macedoniæ ſibi partem uindicarat. Verùm cùm in Aſiam Demetrius contra Seleucum traieciſſet, quanifper nihilo infrior armis fuit Demetrius, in Lyſimachi

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO ...

ſocietate Pyrrhus perſtitit: ubi uerò Demetrius in Seleuci poteſtatem uenit, diſſoluta eſt inter eos amicitia. Bello itaq; utrinq; comparato, Lyſimachus Antigono Demetrij filio & Pyrrho magno prælio ſuperatis, et Macedonia uniuerſa potitus eſt, & Pyrrhum in Epirum redire coëgit. Multæ uerò & magnæ ſolent ex amore hominibus exiſtere calamitates: hic enim Lyſimachus cùm natu iam grandior eſſet, & cùm ipſe ſuſceptis liberis fortunatus haberetur, tum uerò Agathocli filio ex Lyſandra liberi geniti eſſent, Arſinoën tamen Lyſandræ ſororem ſibi matrimonio adiunxit. Eam, cùm timeret ſui ne filij, mortuo Lyſimacho, in Agathoclis poteſtate eſſent, de Agathoclis cæde conſilia iniſſe ferunt. Sunt qui ſcriptum reliquerint, Arſinoën Agathoclis amore captam, cumq́; ad obſequiũ adoleſcens pellici non potuiſſet, ab ea per inſidias de medio ſublatum: Lyſimachum, ubi tam audax facinus uxorem auſam cognouit, quòd nihil tamen uehementius optaſſet, ſupraquàm dici poßit gauiſum: eius itaq; permiſſu, interempto Agathocle, Lyſandra ad Seleucum profugit: ſecum uerò habuit filios & fratres, qui dum ad Ptolemæũ confugerent, de rei atrocitate nuntium acceperant. Fugientibus uerò ſe comitem addidit Alexander, Lyſimachi ille quidem, ſed ex Odryſiade uxore filius. Hi cùm Babylonem perueniſſent, à Seleuco, ut bellum contra Lyſimachum ſuſciperet, ſupplices contenderũt. Eodem uerò tempore & Philetærus, cui omnis Lyſimachi pecunia commiſſa fuerat, Agathoclem interfectum dolens, ſeq́; ob eam rem Arſinoæ ſuſpectum exiſtimans, Pergamum ſupra Caycum occupat, atq; inde per legatum ſe, pecuniamq́; omnem Seleuco tradit. Quod ubi Lyſimacho nunciatum fuit, ſtatim in Aſiam traijcit, ac bellum prior Seleuco infert: collatis ue-

Lyſimachus

tis uerò ſignis cum eo congreſſus, in ipſo prælio, magna cla de accepta, occubuit. Eius cadauer à *Lyſandra multis cum precibus impetratum,* Alexander *Lyſimachi filius ex* Odryſiade*(ut antè dixi)ſuſtulit,& in Cherſoneſum deportatum, ſepulturæ mandauit, eo ſanè in loco, quo nunc etiam inter* Cardian & Pactyan *uicũ,inſignis tumulus extat.*Et *hæc quidem à Lyſimacho geſta ſunt.*Apud *Athenienſes autẽ* Pyrrhi *etiã conſpicitur effigies,cui cum* Alexandro Magno *ſola generis propinquitas interceßit: nam* Pyrrhus Aeacidæ Arybbæ *filio,Olympiade uerò* Neoptolemi *filia,* Alexander *genitus eſt.* Neoptolemo & *Arybbæ pater fuit* Alcetas Tharypi *filius.* A Tharypo *autem retro ad* Pyrrhum Achillis, *quindecim ſobolis gradus numerantur: is enim primus* Ilio *exciſo, omiſſo in* Theſſaliam *reditu, in* Epirum *appulit,atque ibi* Heleni *uatis monitu conſedit. cui cùm nulla ex* Hermione *proles eſſet, ex* Andromache *tres ſuſcepti ſunt filij,* Moloſſus, Pielus, & *natu minimus* Pergamus. Ex *eadem uerò* Ceſtrinum Helenus *genuit, cùm ei* Andromache *Delphis* Pyrrho *interfecto nupſiſſet.* Cùm *autem* Helenus *moriens* Moloſſo Pyrrhi *filio regnum reliquiſſet,* Ceſtrinus *collecta* Epirotarum *manu, eam quæ ſupra* Thyamin *fluuium eſt regionem tenuit.* At Pergamus *cùm in* Aſiam *traieciſſet,* Arium *in* Theutrania *dominantem,ſingulari de imperio certamine dimicans, occidit: & urbibus, quod etiam nunc manet, ex ſuo &* Andromaches *nomine cognomentum dedit.* Andromache *enim filium ſecuta eſt, & ibidem utriuſq; adhuc extat heroicum monimentum.* Pielus *uerò in* Epiro *manſit, ad quem potius quàm ad* Moloſſum Pyrrhus Aeacidæ, & *maiores eius originem referunt.* Fuit *autem ipſum etiam* Epiri *imperium uſque ad* Alcetam &

Tharypum in unius poteſtate: nam Alcetæ filij inter ſe diſſidentes, non prius concorditer regnarunt, quàm æqualiter inter ſe regnum diuiſerunt. Poſtea uerò Alexandro Neoptolemi filio in Lucania extincto, Antipatri metu in Epirũ reuerſum, Olympiadem Aeacides Arybbæ filius cùm alijs eſt officijs proſecutus, tum uerò eam ſuis copijs iuuit ad bellum cum Aridæo & Macedonibus gerendum, atq; id inuitis etiam, ac ſequi recuſantibus Epirotis. Olympias uictoriam adepta, multa in morte Aridæo inferendæ, pluraq; ac magis nefaria dum Macedonas inſectatur, immanitatis exempla edidit: quo minus cuiquam mirum fuit, eam paulò pòſt graues quidem, ſed meritas ſceleris & crudelitatis ſuæ Caſſandro pœnas dediſſe. Eius certè inuidia Aeacidæ, quo minus ſtatim ab initio in regnum ab Epirotis reciperetur, maximè obfuit: nam cùm æquis iam & placatis uteretur, Caſſander illi iterum eſt aduerſatus. Ac pugna quidem inter Philippum Caſſandri fratrem & Aeaciden ad Oeniadas commiſſa, Aeacides ex uulnere non ita multò pòſt de uita deceſſit. Alcetam deinde Arybbæ quidem filium, & Aeacidæ fratrem natu grandiorem, Epirotæ regnare iuſſerunt, hominem planè impotentis iracundiæ, ob eamq; cauſam à patre eiectum. Hunc cùm regnum iniſſet, more ingenij ſui furentem, ciues noctu adorti eum filijs opprimũt: quo de medio ſublato, Pyrrho Aeacidæ filio regnũ reſtituũt. Ei ad regnum primũ accedenti Caſſander bellũ intulit, homini peradoleſcenti, & ad reſiſtendum nõ magnopere parato. At is Macedonibus in fines ſuos iam inuadentibus ad Ptolemæum Lagi filium ſe contulit, à quo mox accepta eius in matrimonium filia, ex eadem qua cæteri Ptolemæi liberi matre ſuſcepta, cum claſſe & Aegyptiorum copijs eſt in regnum reductus.

nota

ctus. Regno igitur iam conſtituto, in Corcyræos primùm arma mouit: quorum cùm inſulam finibus ſuis ex aduerſo ſitam uideret, ne aliquando hoſtibus pro ſtatione eſſet, metuebat. Quas autem à Lyſimacho clades acceperit, & quemadmodum pulſo Demetrio Macedoniæ ad illud uſq; tempus imperarit, quo à Lyſimacho pulſus eſt, & Pyrrhi ſimul res geſtas quæ memoria digniſſimæ uiſæ ſunt, dum de rebus Lyſimachi ageremus, expoſuimus. Græcorum uerò neminem ante Pyrrhum, bellum Romano imperio intuliſſe ſatis conſtat: nam neq; Aeneas quidem ipſe à Diomede, aut Argiuis, qui Diomedem ſecuti ſunt, ulla eſt omnino pugna laceſſitus. Athenienſibus certè & alias orbis terræ partes, & uniuerſam Italiam armis opprimere cogitantibus, Syracuſana clades, quo minus cum Romanis belli fortunam experirentur, impedimento fuit. Alexander uerò Neoptolemi filius, Pyrrhi gentilis, natu eo grandior, in Lucanis antè è uita exceſſit, quàm potuerit cũ Romanis ſigna cõferre. Pyrrhus itaq; primus omniũ è Græcia aduerſus Romanos ultra Ioniũ mare copias traſportauit, à Tarentinis ille quidem accerſitus: ij enim cùm bellum diuturnũ cum Romanis geſſiſſent, iamq; ſe illis impares intelligerent, deuincta ſibi prius beneficijs Pyrrhi uoluntate, quòd eum Corcyræos oppugnantẽ naualibus copijs iuuerant, per legatos Regi, ut ſocia arma ſecum iungeret, perſuaſerunt, Italiam docentes toti Græciæ felicitate præſtare, nec eſſe ſatis æquum ſe amicos, & ſupplicum more auxilia rogantes, iniquiſſimis temporibus ſuis deſeri. Hæc exponentibus legatis, Troiani belli euentus Pyrrho in mentem ueniebat, ac ſpem cõcipiebat ex animi ſententia omnia euentura, quandò ipſe ab Achille originem ducens, aduerſus Troiæ coloniam arma ſumpturus eſſet. Vt uerò pri-

mùm in Italiam traijcere ſtatuit, quæ hominis erat in rebus gerendis alacritas, naues ſtatim longas inſtruxit, nauigiaq; opportuna ad equos & milites tranſuehendos, ut præſtò eſſent, curauit. Libri extant non ſanè illuſtrium autorum, *qui* Rerum *geſtarum commentarij inſcripti ſunt: quos dum lego,* Pyrrhi *cùm alacritatem, quam in prælijs præ ſe tulit, tum prouidentiam, qua ſe ad futuras dimicationes compara uit, non poſſum non magnopere admirari.* Nam *priuſquàm* Romani *reſcierint, in* Italiā *claſſe tranſmiſit: & cùm iam ap pulißet, nō prius adeſſe eum* Romani *animaduertêre, quàm cōmiſſa cùm* Tarentinis *pugna, ſe ille cum exercitu inopina tò oſtendit, factoq; repente impetu, hoſtium (ut par fuit) ag men turbauit.* Ac *tunc quidem cùm ſe* Romanis *haudqua quā acie parē eſſe intelligeret, elephantos cōpararat, quos inter præliandum in illos immitteret.* Belluas *autem has pri mus ex* Europæ *principibus* Alexander, Poro & Indis *deui ctis, in poteſtate habuit.* Quo *mortuo, & alij reges, & plu rimas* Antigonus *ſibi comparauit.* Pyrrhus *in pugna quam cum* Demetrio *cōmiſit, elephantos aliquot cepit.* Ii *cùm ad* Tarentum *in mediam irrupiſſent aciem, non parū* Roma*nos exterruere, pleriſq; aliud quàm belluas eſſe exiſtimanti bus.* Ebur *enim hominum opere & arte priſcis temporibus expoliri ſolitum norant hauddubiè multi: beſtias autē ipſas priuſquàm* Macedones *in* Aſiam *traijcerent, præter* Indos & Libyas, *finitimosq; illis populos, nulli uiderant: quod ip ſum ex* Homero *facilè cōijcias, qui cùm lectos & opulentio rum domos ebore ornatas dixerit, belluæ tamē nuſpiā men tionem facit: quòd ſi aut elephantē uidiſſet, aut de eo quicq audiſſet, antiquius opinor duxiſſet hoc, quàm* Pygmæorū *et gruū pugnā cōmemorare.* Pyrrhū *poſt hæc in* Siciliā Syra-

cuſano-

cauſanorũ auotauit legatio. Nam cùm Carthaginiẽſes claſſe in Siciliã inuaſiſſent, iamq; omnes Græci nominis urbes ad uaſtitatẽ redegiſſent, ac poſtremò ipſas Syracuſas, quæ ſola ciuitas adhuc incolumis erat, circumſederent, Pyrrhus de Syracuſanorum legatis re cognita, Tarentum, Italicamq; omnem oram miſſam fecit. In Siciliam uerò cùm tranſiſſet, primo ſtatim aduẽtu Barbaris repulſis Syracuſas obſidione liberauit. Deinde quãuis Carthaginienſes nauali diſciplina, quippe qui eſſent è Tyro Phœnices oriundi, Barbaris planè cæteris præſtare intelligeret, cum illis tamen, ſolis Epirotarum copijs fretus, confligere non dubitauit. Epiri certè ne poſt captum quidem Ilium maxima pars aut mare norat, aut ſalſis eſcis ueſcebatur, cuius mihi rei Homerus in Odyſſea teſtis eſt: Nec norunt cærula ponti, Nec dapibus neſcum ſalis admiſcere ſaporẽ. Atenim uictus nauali prælio, cũ paucis quæ à clade ſuperfuerant nauibus Tarentũ ſe recepit, ubi rebus ſuis uehementer attritis, de fuga (cùm ſibi per Romanos ſine pugna diſcedere minimè liciturum ſperaret) tale cepit cõſiliũ. E Sicilia poſt cladem acceptã reuerſus, legatos cum literis ad Aſiæ reges, et ad ipſum Antigonũ dimiſit, ab alijs pecunia, ab alijs auxilia, ab Antigono uerò utrunq; expoſcẽs. Cùm legati reuerſi literas ei reddidiſſent, Epirotarũ & Tarentinorũ principes in concionẽ uocat: ibi quas acceperat literas nõ ſanè recitauit, ſed propédiem affutura auxilia affirmauit. Cùm percrebuiſſet igitur fama in Romanorũ etiã exercitu, et è Macedonia, et ex Aſia magna Pyrrho auxilia aduentare, nihil illi noui moliri auſi ſunt. Pyrrhus uerò ea quæ conſecuta eſt nocte ad Epiri montes, quæ Ceraunia uocãt, claſſe trãſuectus eſt. Mox ab Italica clade cũ paululũ coquieſſet, milite cõfirmato, Antigono ſtatim

bellum indixit, cùm & alia ei crimini daret, & illud maximè, quòd ſuam, dum in Italia cum exercitu eſſet, nullis miſsis auxilijs, ſpem fruſtratus eſſet: atq; Antigoni quidem cùm proprias copias, tum Gallorum mercenarias primo impetu fudit fugauitq;, & ad maritimas uſq; urbes perſecutus eſt. Ex ea uictoria ſuperiorem Macedoniam, & Theſſaliam in ditionem ſuam redegit. Prælij certè magnitudinẽ, & Pyrrhi uictoriam, declarant Gallorum ſcuta in Itoniæ Palladis templo, quod inter Pheras & Lariſſam eſt, dicata, cum epigrammate huiuſmodi:

Hos tibi Gallorum clypeos rex donat Itoni
Pyrrhus, ab audaci rapta trophæa acie.
Viribus Antigoni fractis, iam maxima in armis,
Quæ fuit Aeacidum gloria, ſemper erit.

Hæc quidem illic. In Dodonæi autem Iouis templo Macedonum ſcuta ſuſpenderunt, cum inſcriptione:

Ditibus hæc Aſiæ terris, opibusq; potita,
Iam premere audebant Hellada ſeruitio:
Sacra Iouis templo pendent quæ affixa columnis,
Erepta Aemathijs ſcuta cruenta uiris.

Atenim cùm parum abeſſet quin totam Pyrrhus Macedoniam ſubigeret, etſi unus erat omniũ ad præſentes occaſiones arripiendas paratiſsimus, Cleonymus tamen eum à Macedonia in Peloponneſum auocauit. Patria quidem Spartanus fuit Cleonymus, cum exercitu tamen in Lacedæmoniorum fines hoſtiliter inuaſit. Eius rei cauſam, cùm Cleonymi genus percenſuero, exponam. Pauſanias, qui Græcis ad Platæam dux fuit, Pliſtoanacta filium reliquit. Hic alterum Pauſaniam genuit, cuius Cleombrotus filius fuit, is qui in Leuctrica pugna dimicans aduerſus Thebanorum ducem Epami-

Epaminondam, occubuit. Huic duo fuere filij, Ageſipolis & Cleomenes: mortuo autem ſine liberis fratre, Cleomenes regnum obtinuit, qui Acrotatum maiorem, & Cleonymum natu minorem genuit. Cùm autem Acrotatus prius, nec multò pòſt Cleomenes diem ſuum obiſſent, inter Areum Acrotati filium & Cleonymum de regno orta eſt contentio: eius itaq; rei cauſa regnum ſibi quo iure, quáue iniuria Cleonymus uindicaturus, Pyrrhum in patrios fines induxit. Lacedæmonij quidem ante Leuctricam cladem, nullum unquam belli aduerſum caſum experti fuerãt, eoq; ſe nunquam pedeſtri pugna uictos gloriabantur. Nam Leonidæ, parta ferè uictoria, quo minus Perſas ad internicionem deleret, fatigati longa pugna militis robur defuiſſe aſſerebant: & quæ Athenienſes Demoſthene duce ad Sphacteriã inſulam geßiſſent, belli potius furtum quoddam, quàm uictoriam fuiſſe. Prima illis illata eſt in Bœotijs clades. alteram (qua maiorem in modum opes eorum afflictæ ſunt) ab Antipatro & Macedonibus acceperunt. iam tertiam eorum finibus calamitatem intulit, illatum inſperantibus à Demetrio bellum. Cùm uerò iam quarto Pyrrhum cum infeſto exercitu fines ingreſſum uiderent, aſſumptis in ſocietatem Argiuis & Meſſenijs, illi obuiam uenêre: quos cùm Pyrrhus prælio uiciſſet, parum omnino abfuit quin eodem impetu urbem caperet: ſed cùm agrum populationibus infeſtum reddidiſſet, prædamq; inde magnam egiſſet, paululum temporis requieti dedit. Interea Lacedæmonij ad ſuſtinendam oppugnationem ſe confirmarunt. Sed & Spartã antè Demetrio oppugnante præaltis foßis & ualidißimis quibuſq; operibus munierãt, quaq; facilior aditu erat, propugnacula etiam excitarant. Dum hæc aguntur, Pyrrho Spartano bello occupato, Antigo-

nus,cùm Macedonum urbes præſidijs & munitionibus firmaſſet, in Peloponneſum copias duxit, quippe qui ſciret Pyrrhum Lacedæmone & Peloponneſi parte ſubacta, in Epirum non ſtatim rediturum, ſed in ſe Macedonicumq́; nomen arma conuerſurum. Cùm autem Argis egreſſus in Laconicum agrum Antigonus exercitum eſſet immiſſurus, ei Pyrrhus fit obuius: ibi inito prælio uictor Pyrrhus, fugientes in urbem perſecutus eſt: ubi, cùm eius exercitus (ut ferè fieri ſolet) in diuerſa abiſſet, repugnantibusq́; acriter hoſtibus pro templis, ædibus, & angiportis, alijsq́; urbis locis, Pyrrhus à ſuis relictus eſſet, in capite uulnus accepit. ferunt eum tegulæ ictu à muliere deiectæ interijſſe. Argiui uerò non mulierem illam, ſed Cererem aſſumpta mulieris forma fuiſſe, affirmant. Et hæc quidem illi de Pyrrhi morte: quod & Leuceas prodidit, qui carminibus indigenarum res conſcripſit. Eſt præterea Argis, quo loco Pyrrhus cecidit, ex oraculo Cereri erectum fanum, & in eo Pyrrhus ipſe ſepultus eſt. Illud uerò maximè mihi mirandum uideri ſolet, omnes ex gente & Aeacidarum nomine, diuinitus oblata nece occubuiſſe: Achillem enim, ut Homerus memoriæ prodidit, ab Alexandro Priami filio, & Apolline interfectum: Pyrrhus certè eius filius oraculi iuſſu à Delphis occiſus eſt. Huic autem Aeacidæ filio, quale & Argiui & Leuceas dixerunt, mortis genus obtigit: de eius tamen cæde non ſatis conſtare ſcripſit Hieronymus Cardianus, quem ſcilicet cum rege uiuentem, in eius gratiam ſcribere maximè fuit neceſſe: Nam ſi Philiſtus uenia dignus habetur, qui cùm Syracuſas ſe reſtitutum iri ſperaret, multa Dionyſij flagitia diſsimulauit, Hieronymo certè multa ad Antigoni gratiam ſcribenti ignoſcendum. Et huc quidem Epirotarum potentia euaſit.

Cùm

Cùm uerò Athenis Odeũ introieris, & alia ſpectatu digna, & Liberũ Patrem conſpicies, iuxta quem fons eſt: hũc, quia per nouem aquã ſalientes diffundit, Enneacrunon uocant: cum Piſiſtratus exornauit. Putei quidem paßim in urbe multi, hic autem unicus eſt fons. Templa uerò ſupra fontem, Cereris & Proſerpinæ extructa ſunt, in quorum altero Triptolemi ſignum eſt, de quo quæcunq; dicuntur, mox, omiſſis qui de Deiope iactantur ſermonibus, exponã. Inter Græciæ populos maximè de antiquitate & deorum muneribus cum Athenienſibus certant Argiui, nõ aliter quidem quàm inter Barbaros cum Phrygibus Aegyptij. Memoriæ itaque proditum eſt, Cererem Argos uenientem à Pelaſgo hoſpitio acceptã, ibi ex Chryſanthide de filiæ raptu cognouiſſe. Interea Trochilum ſacrorum antiſtitem ab Agenore Argis pulſum in Atticam ueniſſe: cumq; Eleuſine uxorem duxiſſet, Eubuleum & Triptolemum genuiſſe. Hæc Argiui. Athenienſes uerò & finitimi, Triptolemum Celei filium fuiſſe, qui primus frugum cultum & ſationem tradiderit, nihil dubitãt. At Muſæus carminibus (ſi modò ea Muſæi ſunt) Triptolemum Oceani & Terræ filiũ prodidit: & Orpheus (quanquam & ea Orphei eſſe ut credam, adduci non poſſum) Eubuleo & Triptolemo Dyſaulem patrem fuiſſe: eos à Cerere frumenta ſerendi rationem accepiſſe, quòd ex illis primùm Ceres filiæ raptum cognouiſſet. Chœrilus Athenienſis in ea fabula, cui Alope nomen eſt, Cercyonem & Triptolemum fratres fuiſſe, ex Amphictyonis filiabus, ſcripſit: & Triptolemo Rharon, Cercyoni Neptunum patrem fuiſſe. Longiore uerò oratione conantem ſingula perſequi, & omnia quæ de templo, cui Eleuſinio nomẽ eſt, cõmemorari poſſent planius explicare, quædã me uiſa per ſom-

num ſpecies deterruit. Ad ea igitur redeo, quæ literis mãdare nulla religione prohibeor. Pro templi foribus, quo loco etiam Triptolemi ſignũ eſt, bos ænea ſpectatur, ita ornata, ut uictimæ quæ ad aram trahuntur. Ibidem ſedentem uideas Epimenidem Gnoſſiũ, quem cùm in agrũ exiſſet, in ſpelunca ſomno oppreſſum memorant, neq; prius experrectũ, quàm annos XL. obdormiuiſſet: poſtea uerò, & heroicos uerſus feciſſe, & cùm alias urbes, tum Athenas luſtraſſe. Quod ipſum apud Lacedæmonios ſedata peſtilentia fecit Thales, Epimenidis tamen neq; propinquus, neq; ciuis, cũ illum Gnoſſium, hũc Gortyniũ fuiſſe dicat Polymneſtus Colophonius, in eo carmine, quod de Thalete Lacedæmonijs fecit. Paulò hinc longius Eucleæ, quod eſt, ac ſi illuſtris famæ dixeris, delubrum, à Perſis, qui Marathonem occuparant, dicatũ. Nullam autem fuiſſe uictoriam, qua ſint magis Athenienſes gloriati, quàm ea, quã ex Marathoniæ pugna ſunt adepti, hinc præcipuè ut credam adducor, quòd Aeſchylus, cùm propè iam eſſet ut è uita decederet, qui de ſeipſo antè prorſus conticuerat, uir tanta in poëſi nominis celebritate, cuiusq; uirtus naualibus prælijs antè ad Artemiſium & Salaminem enituerat, de Marathonia pugna cùm ſuum carmen ederet, in ipſa operis fronte ſuum & patriæ nomen inſcripſit: Marathonium enim ſaltũ, & Perſas qui illuc deſcenderunt, ſuæ teſtes uirtutis citat. Supra Ceramicum, & porticum quæ Regia dicitur, Vulcani eſt fanum, in quo, quòd Mineruæ poſitum ſit ſignũ, nihil ſanè admiror, cùm ad ea quæ de Erichthonio uulgò traduntur, animum refero. Deæ uerò ſignũ, quòd glaucos habeat oculos, Libycã de ea re fabulam comperio: Mineruã Neptuni, & Tritonidis paludis filiã eſſe, atque ideo glaucos illi itidẽ ut Neptuno oculos eſſe. Non longè ab

gè abeſt cœleſtis Veneris delubrum, quam primi omnium Aſſyrij coluere, à quibus Paphij in Cypro acceptum ſacrorum ritũ, cum Phœnicibus qui in Palæſtina Aſcalonem urbem incolunt, Phœnices cum Cyterijs cõmunicarunt. Athenis uerò eam religionẽ induxit Aegeus, cùm Veneris ira & ſibi prolem non obtigiſſe, & ſororibus calamitatem immiſſam putaret. Quod ætate noſtra extat deæ ſignum ex Pario lapide, Phidiæ opus fuit. Sed Athmonenſium apud Athenienſes curia eſt: eius curiales multò ante Actæum Porphyriona regnaſſe ferunt, ab eoq́; quod apud ipſos eſt, cœleſtis Veneris templum dedicatum. Sed & alia multa longè diuerſa ab ijs quæ communi urbanæ plebis opinione recepta ſunt, per curias iactãtur. Pergentibus uerò ad eam porticum quæ à picturæ uarietate Pœcile dicitur, Mercurius æneus in conſpectu eſt, quẽ Forenſem uocant. Propè porta eſt, ad quã trophæũ ab Athenienſibus erectũ, ijs nempe qui Pliſtarchũ Caſſandri fratrem, cui ille equitatũ ſuum & conductitium militem cõmiſerat, equeſtri certamine fuderunt. In ipſa autem porticu Athenienſiũ primùm acies in Oenoë Argiui agri uico, aduerſus Lacedemonios inſtructa. Expreſſa uerò res eſt, non ad pugnæ iam efferueſcentis effigiem, cùm quiſq; pro ſe uirtutis documenta dare contendit, ſed accedere aduerſæ acies uidentur, & iam cominus congredi. In medio autem pariete Athenienſes ſunt Theſeo duce cum Amazonibus dimicantes. Hæ uerò ſolæ ex omnibus fœminis, nulla unquam clade deterreri potuerunt, quin belli nouã ſemper aleam ſubirent: nam & Themiſcyra capta, & copijs, quas contra Athenienſes miſerant deletis, ad Troiam cum Athenienſibus ipſis & uniuerſis Græcis pugnarunt. Poſt Amazones, Græcos cernas Ilium excindentes,

& reges ob Aiacis in Caſſandram nefarium facinus, in unum congregatos: quo in loco cum ipſe Aiax, tum captiuarum agmen mulierum, & inter cæteras Caſſandra ipſa picta eſt. In extremo picturæ loco, ſunt qui in Marathone aduerſus Perſas pugnarunt: ibi ex Bœotis Platæenſes, & item Attici nominis omnes, qui cum Barbaris conflixerunt. Spectatur aũt in pugnãdo par in utraq; acie alacritas. Qua in parte præliũ cõmiſſum eſt, fugientes uideas Barbaros, et in ipſa fugæ trepidatione ſe temerè in paludem trudentes. In ipſo operis fine Phœniſſæ naues ſunt, & Barbarorũ, qui in eas ſe coniecerant, à Græcis facta cædes. Ibidem & Marathon heros eſt pictus, à quo campi nomen habent. Theſeus quoq; tanquã à littore ſoluens, Minerua, et Hercules. A Marathonijs enim Herculi primùm (ut ipſi memorant) honores habiti ſunt. Inter pugnantiũ imagines maximè illuſtres ſunt, Callimachus, cui poſtea Athenienſes imperium detulere: inter duces, Miltiades, et Echetlus heros, cuius poſterius mentionẽ faciã. Eodem in loco ænei clypei infixi ſunt, cum inſcriptione, Scionæorũ eos, & auxiliariorum eſſe. Qui uerò pice obliti contra temporis iniurias ſunt, eos, & alia ſimul ſpolia, quæ ibi ſpectantur, de Spartanis eſſe dicunt in Sphacteria inſula captis. Ante porticum ſtatuæ ſunt æneæ, Solon in primis, qui Athenienſibus leges dedit. Non longè abeſt Seleuci ſtatua, cui haud obſcura prodigia futurã felicitatem ſignificarunt. Cùm enim ex Macedonia cum Alexandro profecturus Pellæ Ioui ſacrificaret, ligna aris impoſita ultro ad dei ſimulachrum acceſſerunt, nulliſq; ſubiectis ignibus accenſa ſunt. Mortuo uero Alexandro, hic ipſe Seleucus Antigonum Babylona cum exercitu aduenientem timens, ad Ptolemæum Lagi filium confugit. Mox Babylona reuerſus,

ſuis, Antigoni exercitum fudit, ipſumq; Antigonum occidit, ac deinde uictum prælio Demetrium Antigoni filium cepit. Quæ cùm illi omnia proſperè eueniſſent, ac non ita multò pòſt Lyſimachi opes corruiſſent, totius Aſiæ imperium Antiocho filio tradidit, ipſe magnis itineribus in Macedoniam rediit. E Græcorum ſanè & Barbarorũ copiis Seleuci exercitus conſtabat. At Ptolemæus Lyſandræ frater à Lyſimacho, ad quem antea cõfugerat, diſcedens, uir tanta in rebus gerendis alacritate, ut Fulmen ſit cognomento appellatus, cùm Seleuci exercitum Lyſimachiã attigiſſe certior factus eſſet, eum impetu facto adortus fudit & occìdit: omnem uerò eius pècuniam cùm regibus diripiendam tradidiſſet, Macedoniæ regno ipſe potitus eſt: deinde primus ex omnibus (quos ipſi nouimus) regibus acie cum Gallis congredi auſus, ab illis interfectus eſt. Macedoniæ uerò regnum Antigonus Demetrii filius à ſe ſeruatum obtinuit. Seleucum quidem iuſtitia & pietate reges omnes antecelluiſſe facilè adducor, quippe qui Apollinis coloſſũ Mileſiis à Xerxe ademptum, & Ecbatana aſportatum, in Branchidas reportandũ curauit. Et cùm condita Seleucea ad Tigrin fluuium in eam Babylonios inquilinos deduceret, neque muros Babylonis demolitus eſt, neque Beli templum euertit, & Chaldæis ut proxima templo loca inhabitarent, permiſit. In foro & alia ſunt opera, quæ præcipuam quandam Athenienſium in Dis colendis diligentiam declarant: & Miſericordiæ ara, cuius numini, quòd magna habeat in tota hominum uitæ & caſuũ uarietate momenta, ſoli ex omnibus Græcis ſingularem quendam honorem habent Athenienſes. Neq; uerò illi maiorem quàm cæteri in homines humanitatem, ac nõ in deos etiam religionem præ ſe ferunt: eſt enim ſua apud

illos Pudori, Famæ, Alacritati ara. Quãto uerò cæteris deorum cultu præſtent, ſecunda, qua in præſentia utuntur fortuna, argumento eſſe poteſt. In gymnaſio, quod Ptolemæũ à conditore nuncupatũ, à foro non longè abeſt, lapides ſunt (Hermæ nominantur) qui ſpectentur ſanè digni. Ptolemæi quoq; ex ære ſtatua. Iubæ etiam Libyci, & Solenſis Chryſippi. Proximũ gymnaſio eſt Theſei templũ, in quo hæc picta ſunt. Athenienſiũ cõtra Amazonas pugna, quæ et in Mineruæ clypeo, & in Olympij Iouis baſi inciſa eſt. Picta ibi etiã eſt Centaurorũ et Lapitharũ rixa, ubi Theſeus Centaurum occidens ſpectatur, cùm inter alios æquo Marte pugna cõmitti uideatur. Quæ in tertio ineſt pariete pictura, nõ ſatis ijs, qui, uti res geſta ſit, non didicerint, cognita eſſe poteſt, cùm & uetuſtas multa aboleuerit, & Micon non fuerit pingendo totam rem perſecutus. Minos cum Theſeum, cæteramq; puerorum manum in Cretam abduceret, amore Peribœæ captus eſt: cuius cùm Theſeus libidini aduerſaretur, & alia in illũ, ira incenſus, maledicta contulit, & Neptuni filium eſſe negauit, quòd quam habebat cælatam gemmam in mare ſi abieciſſet, non eſſet eam ad ſe reportaturus. Vix ea locutus, gemmam dicitur abieciſſe. Theſeum uerò memorant cum ea, & corona quam ab Amphitrite dono acceperat, è mari emerſiſſe. De Theſei autem morte multa planè inter ſe diſcrepantia traduntur: aiunt enim eum à Plutone uictum, non prius dimiſſum, quàm ab Hercule ſolueretur. Illa ueri multò ſimiliora aliquando audiui: Theſeum in Theſprotidem, ut regis uxorem raperet, ueniſſe cum Pirithoo (is enim quærendæ ſibi uxoris cupiditate nimia impulſus, arma ceperat.) Exercitus uerò magna parte amiſſa, à Theſprotorum rege in uincula ad Cichyrum conie-

iectum. In Theſprotide quidē & alia ualde, quæ ſpectentur, digna ſunt, & Iouis in Dodona templū, ſacraq; ei fagus. Ad Cichyrum Acheruſia eſt palus. Acheron amnis, & Cocytus præterfluunt, aqua inſuauiſſima. Quæ loca cum uidiſſet (ut opinor) Homerus, multa ex illis in ſuum de inferis poëma tranſtulit, & ipſa etiā carminibus amniū nomina inſeruit. Cùm uerò in uinculis adhuc Theſeus detineretur, Aphidnā cum exercitu Tyndari filij adorti, capta urbe Mneſtheum in regnum reſtituerunt. Et Mneſtheus quidem Theſei liberis, quo minus ſe ad Elephenorem in Eubœam reciperent, nihil obſtitit: ſed cū Theſeo, ſi unquā è Theſprotide rediſſet, fore ſe opibus multò inferiorem intelligeret, multis obſequijs populo ſibi cōciliato obtinuit, ne rediens reciperetur. Miſſus itaq; ad Deucalionem in Cretā, cùm aduerſa tempeſtate in Scyron inſulam delatus eſſet, à Scyrijs, cùm ob generis claritatem, tum ob rerum præclarè geſtarum magnitudinem, benignè acceptus eſt: quæ res effecit, ut eum Lycomedes per inſidias de medio tollendū curaret. Theſeo uerò templum Athenis dicatū eſt, nō multò poſt Marathonē à Perſis occupatū. Quo tempore Cimon Miltiadis filius, Theſei mortem ultus, Scyrō deleuit, eiusq; oſſa Athenas reportauit. Caſtorum exin templum perantiquum eſt, in quo ipſi iuuenes equis inſidentes ſpectantur. Hic eorum res geſtas Polygnotus pinxit, & Leucippi filiarum nuptias: Micon uerò eos, qui Colchos cum Iaſone nauigarunt: omnium autem accuratiſſimè Acaſtum, eiusq; equos fecit. Supra Caſtorum Aglauri lucus eſt, cui, & Herſæ ac Pandroſo ſororibus, Mineruā aiunt Erichthonium in ciſtam abditum cōmiſiſſe, admonitis, ne quid intus eſſet, curioſè inſpicerent. Pandroſon quidem paruiſſe ferunt, ſorores uerò ciſtam reſignaſſe, uiſoq;

Erichthonio, furijs agitatas, ſe de arcis maximè prærupto loco præcipites miſiſſe: ea ſanè parte, qua Perſæ irruptione facta, ex Athenienſibus eos, qui ſe quàm Themiſtoclem oraculum acutius intellexiſſe arbitrati, arcem ligneis operibus munierant, ceciderunt. Proximè abeſt Prytaneum, in quo Solonis leges perſcriptæ adſeruantur. Signa uerò deorum ibi poſita, Pacis, & Veſtæ. Virorū imagines, cùm aliorum, tum Autolyci pancratiaſtæ. Nam Militiadis et Themiſtoclis ſtatuas, priori abolita inſcriptione, Romano et Thraci homini attribuerunt. Hinc ad inferiores urbis partes deſcendentibus, Serapidis fanum ſe oſtendit, cuius religionem à Ptolemæo Athenienſes acceperunt. Apud Aegyptios autē complura ſunt eius dei templa, ſed omnium clariſſimū habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitici, quò neq; cæteris hominibus, neq; ſacerdotibus ipſis aditus patet, priuſquàm Apim bouem humarint. A Serapidis fano non longè abeſt locus, ubi primùm Pirithoum & Theſeum ſocietate inita, memoriæ traditum eſt, Lacedæmona, & deinde in Theſprotiden profectos. Proximo olim loco erectum fuit Lucinæ templum, quā ex Hyperboreis Delum ueniſſe memorant, ut parturienti Latonæ opem ferret: è Delo uerò ad alias gentes Lucinæ nomen peruaſiſſe. Ac Delij quidem Lucinæ diuinam rem faciunt, & ad eius aram hymnum Olenis cantant. Cretenſes incolæ Gnoſiæ regionis ad Amniſum eam genitam putant: Iunonis filiam fuiſſe. Soli autem omnium Athenienſes deæ ſigna uſq; ad imos pedes uelant: eorum duo è Creta aduecta Phædram dedicaſſe, tertium omnium antiquiſſimum, ab Eriſichthone è Delo deportatum, fœminæ aiebant. Olympij uerò Iouis templum Adrianus Imperator dedicauit, et in eo ſignū, quod magnitudine cum

Roma-

Romanis & Rhodienſibus coloßis conferri poßit. Videas ibidem & alia ſigna ex ebore & auro, in quibus æquè artem ac magnitudinē admirere. Sunt & duæ Adriani ſtatuæ ex Thaſio, totidem ex Aegyptio marmore: ad templi uerò columnas, urbium, quas colonias Athenienſes appellant, ex ære erecta ſunt ſimulachra. Eſt autem totius templi ambitus ſtadiûm amplius quatuor, neq; eius ulla pars ſtatuis uacat, ſingulæ enim urbes in eo, Adriano ſtatuam poſuerunt: quas omnes Athenienſes longo interuallo ſuperarunt, erecto eidem mirandi operis coloſſo in poſtica templi parte. In eodem ambitu uetera ſunt, Iupiter æneus, Saturni & Rheæ delubrum, et lucus, quem Olympiæ nuncupant: ibi in cubiti ferè altitudinē ſolum ſubſidit, quà poſt Deucalionis eluuionem, aquam defluxiſſe memorant. In eum hiatum, quotannis è melle & triticea farina polentā porriciunt. In columna eſt Iſocratis ſtatua: is tria reliquit præclaræ actæ uitæ monimenta: primum perſeuerantiæ, quòd cum octo & nonaginta annos uixiſſet, nunquam diſcipulos habere deſijt: alterum modeſtiæ, quòd ſemper fuit à publicis negocijs & curis ſeiunctus: tertium, quòd ſibi libertatem chariſſimā rerum omnium fuiſſe declarauit: poſt acceptum enim de pugna ad Chæroneā nunciū, præ animi ægritudine uoluntariam mortē oppetijt. Ibi etiam poſiti ſunt è marmore Phrygio, Perſæ, æneum tripodem ſuſtinentes, tam ipſi, quàm tripos qui ſpectentur digni. Olympij quidem Iouis uetuſtißimum templum Deucalionem ædificaſſe uulgò proditū eſt: nam Athenis habitaſſe Deucalionem pro ualde perſpicuo ſigno habent ſepulchrum eius, quod ab hoc ipſo templo nō longè abeſt. Adrianus uerò et alia Athenienſib. opera exædificauit, & Iunonis, ac Iouis Panellenij templum, commu-

nemq; omnibus dijs ædem. Spectantur inter cætera opera, ut quæ maximè, columnæ centũ & uiginti ex Phrygio mar-more, & ex eadem materia parietes in porticibus extructi: & in ijs cellæ, quarum lacunar auro & alabaſtro præfulget, ſignis ipſæ & picturis undiq; exornatæ. Bibliotheca eſt in eodem templo, & gymnaſium Adriani cognomento, in quo columnæ centum è Libycis lapidicinis. Proxime Olympij Iouis templum, Apollinis Pythij ſignum eſt: & alia item Apollinis, quem Delphinium appellant, ædes. Ea cùm ad faſtigium perducta iam eſſet, aiunt incognitum adhuc Theſeũ urbem introijſſe talari palla, & coma eleganter compoſita, atq; ut primum ad Delphinij acceſſit, rogatum per illuſionem ab ijs qui faſtigium erigebant, quid ita nubilis uirgo ſola erraret, cumq; nihil aliud reſpondiſſe, ſed diſiunctis à plauſtro, quod in proximo erat, bobus, culmen templi altius quàm fabri ſtatuerant, proieciſſe. De ea uerò urbis regiuncula quã Hortos uocant, & Veneris in ea templo, ſignoq; quod templo adſiſtit, figura ut Hermæ quadrata, nihil fide dignũ eſt ab Athenienſibus traditũ. Epigramma aut indicat cœleſtem Venerem eſſe, earum quæ Parcæ appellantur, natu maximam. Sed quod in hortis ſignum Veneris eſt, Alcamenis opus fuit, & inter ea quæ Athenis cum admiratione ſpectantur, ſuum obtinet locum. Eſt etiam Herculis delubrũ quod Cynoſarges dicitur, quod ab alba quidem cane eſſe appellatum, qui oraculum norint, nihil dubitant. Ibi aræ ſunt Herculis, & Hebes, quam Iouis filiam, & cum Hercule nuptam, fama uulgauit. Alcmenes etiam ara & Iolai, qui multorum Herculis laborum comes fuit. Lyceum à Lycio quidem Pandionis filio nomen habet. Apollinis autem illud templum fuiſſe, & olim, & his etiã temporibus creditum

tum eſt, Lyciumq́; inde primùm Apollinem dictum. Ter*miſſenſes quoq;,ad quos* Aegeum *fugiens* Lycius *ſe recepit, ab eo* Lycios *appellatos memorãt.* Eſt *ſecundũ* Lycij,Niſi Megarenſium *regis monimentum, quem cum* Minos *interemiſſet,ſublatum* Athenienſes *eo in loco ſepelierunt.* De hoc *quidem* Niſo *fabula uulgata eſt, capillum purpureum habuiſſe,quo ſaluo,mori ſe non poſſe ex oraculo cognorat.Ita uerò accidit, ut cùm* Cretenſes *eius fines hoſtilem in modum adorti, & alia in* Megaride *oppida ſubitis incurſionibus cepiſſent,& ipſum intra* Niſææ *mœnia cõpulſum obſediſſent,* Niſi *filia* Minois *amore capta, crinem patri detonderit.* Et *hæc quidem ſic propémodum narrantur.* Amnes in Attica *nobiles ſunt,* Iliſſus, *& in eum cadens* Eridanus, *eodem cum* Gallico Eridano *nomine.* Iliſſus *uerò ille eſt, ad quem ludentem* Orithyiam, Boream *rapuiſſe, ſibiq; matrimonio adiunxiſſe memorant, ob eamq; cum* Athenienſibus *affinitatem,* Barbarorum *multas triremes demerſiſſe.* Iliſſum Athenienſes,*&* alijs Dis,*&* Muſis *ſacrum putant,quarum in eius ripis ara eſt,* Iliſsiadum *Muſarum dicta.* Non longè *ab eo locus oſtenditur, ubi* Peloponneſij Codrum Melanthi *filium,* Athenienſium *regem,interfecerunt.* Vbi Iliſſum *traieceris locum offendas qui* Agre *dicitur,& uenatricis* Dianæ *ædem: ibi enim primùm cum ex* Delo *paulò antè in ea loca ueniſſet, uenationibus operam dediſſe* Dianam *ferunt, ob eamq; cauſam eius ſimulacro arcus additur.* Quod *iam dicam,nõ facilè,qui audierint,ut credant,adduci poterũt:mirantur qui uiderint.Stadium eſt è candido marmore,ea magnitudine, quã facilè hinc conijcias. Supra* Iliſſum *mons eſt, is lunata forma ad amnis ripam rectà duplici muro pertendit:hoc ſtadiũ* Herodes Atticus *erexit,multumq; ex* Penteli-

cis lapidicinis in eo conſumpſit. E Prytaneo in uiam deſcendis, quam Tripodas appellant, in qua ſurgunt deorum delubra, et in his tripodes dicati, unde nomẽ uiæ eſt. ænei ij ſunt, in quibus inſunt memoratu digna illuſtrium artificum opera. Inter ea Satyrus, quo Praxitelem magnopere gloriatum ferunt. Nam cum Phryne, cuius erat amator, ab eo ſibi depoposciſſet, quod eſſet eius operum pulcherrimum, non ſanè renuit: uerùm quod ipſe de ſuis operibus iudicium facere pertinaciter recuſarat, hoc aſtu mulier expreſſit. Eius ſeruus accurrens nunciat, Praxitelis officinam igni correptam flagrare, bonamq; eius operum partem iam periiſſe, non tamen adhuc omnia exuſta: exanimatus Praxiteles foras exiluit, & actũ eſt, inquit, de laboribus meis, ſi Satyro & Cupidini flammæ nõ pepercerunt. Tum Phryne eum bene ſperare iubet, nihil enim triſte accidiſſe, ſed illum dolo cogere uoluiſſe, ut quod pulcherrimũ operum ſuorum eſſe iudicaret, confiteretur: atq; ita ſibi illa Cupidinem delegit. Libero uerò Patri proximo loco dicatus eſt Satyrus puer, poculũ porrigens. Amorem Libero ipſi aſſiſtentem Thymilus fecit. Eſt etiã Liberi iuxta theatrum antiquiſſimũ templum, intra cuius ambitum duo ſunt delubra, & totidem Bacchi ſigna: alterum Eleuthereus, Alcamenes alterum, ex ebore & auro fecit. Picturæ eodem in loco hæ ſunt: Liber Vulcanum in cœlum reducens, qua de re hæc Græcorum fabulis uulgata: Vulcanum recens natum à Iunone abiectum, nihil uerò illum iniuriæ oblitum, dono matri auream ſellam miſiſſe, cum occultis quibuſdam uinculis: deam cùm aſſediſſet, ſtatim uinculis implicitam: cùm uerò præterquàm Libero Patri fidem deorum nemini haberet Vulcanus, uino delinitum Liber in cœlum cum reduxit. Picti ſunt etiam Pentheus

&

& Lycurgus, ſuæ in Liberum temeritatis pœnas dantes. Ad hæc, Ariadna dormiens, Theſeus in patriam rediens, & Bacchus ad rapiendam Ariadnam deſcendens. Non procul à Liberi, theatroq; ei proximo ædificium eſt, quod extructum ferunt ad ſimilitudinem Xerxis tabernaculi. Inſtauratum id quidem eſt: uetuſtius enim illud Sylla captis Athenis cremauit. Syllanæ illius Athenarum expugnationis cauſa hæc fuit. Mithridates Barbaris ponti Euxini accolis imperauit: quo uerò nomine Romanis bellum intulerit, quoq; modo cùm Aſiam inuaſiſſet, alias eius urbes ui in ſuã poteſtatem redegerit, alias ſocietate ſibi deuinxerit, qui cupiunt res à Mithridate geſtas cognoſcere, exquirant accuratius, ego ea tantùm quæ ad Athenarum calamitatem pertinent, exponam. Ariſtion quidem erat Athenienſis, quem conſueuerat Mithridates ad Græcas ciuitates legatum mittere. Hic cum Athenienſibus egit, ut in amicitia Romanis Mithridatem præferrent: nemini tamen id præterquàm de plebe ſeditioſiſſimo cuiq; perſuaſit: nam qui aliqua fuerunt exiſtimatione, ſe ad Romanos ultrò contulerunt. Cõmiſſa uerò pugna multò ſuperiores Romani fuere: nam in fugam uerſos, Ariſtionem & Athenienſes ad urbem, Archelaum uerò & Barbaros in Piræeum perſecuti ſunt. Erat hic Archelaus unus ex Mithridatis ducibus, quem non multò antè Magnetes Sipyli incolæ incurſionibus fines ſuos uaſtantem, multis ex Barbarorum agmine cæſis, uulnerauerant. Obſidione Athenienſes cùm urgerentur, Taxilus Mithridatis dux, qui tunc fortè Elateam in Phocide circunſedebat, excitus rerum earum nuncio, in Atticam copias ſuas traduxit. Id cùm audiſſet Romanus Imperator, copiarum partem ad urbem obſidendam reliquit, ipſe cum multò

maiore, Taxilo in Bœotis occurrit. Triduo pòſt, in Romana caſtra ultro citroq; miſſi nuncij uenere, Syllæ quidem Athenarum muros captos, obſidentibus uerò Taxilum prælio ad Cheroneã uictum. Sylla igitur ubi Athenas redijt, omnes quos ſibi aduerſatos nouerat, in Ceramicum concluſos, ſorte decimum quenq; ad ſuppliciũ duci imperauit. Cumq; nihil omnino de ſua in Athenienſes iracundia remitteret, fugientes nonnulli Delphos uenere: quibus conſulentibus nunquid fato deleri Athenas neceſſe eſſet, reſpondit Pythia de utre neſcio quæ. Poſt hæc in illud morbi genus Sylla incidit, quo Pherecydem quoq; Syrum conſumptũ accepimus. Eius multa ſanè immania & Romano homine indigna in Athenienſes facinora memorantur, ex quibus tamen illi non omnem exiſtimo calamitatis cauſam extitiſſe, ſed uiolati ſupplicis uindicem deam fuiſſe, quòd Ariſtionem, qui in Mineruæ templum confugerat, ui extractum, interfici iuſſiſſet. Athenæ in hunc modum Romanorum bello afflictæ, imperante Adriano denuò floruerunt. In theatro Athenis ſunt Tragicorum quorundam & Comicorum, eorum tamen minimè illuſtriũ, ſtatuæ multæ: neq; enim præter Menandrũ, quiquam ibi cuius celebre fuerit nomen, aſpicitur. Ex Tragicis uerò nobiles poſiti ſunt, Euripides & Sophocles. Fama eſt ſub idem tempus quo ſupremum diem clauſerit Sophocles, in Atticam irrupiſſe Lacedæmonios, eorumq; ducem ſibi uiſum Liberum Patrem uidere, mandantem, ut nouam Sirenẽ omnibus, qui mortuis haberi conſueuerũt honoribus, proſequeretur. Idem uerò in quiete uiſum, Sophoclem & eius eius habuit poëſin. Obtinuit certè cõſuetudo, ut nunc etiam poëmata, & orationum quoduis genus, in quo inſit ſuauiloquentia, cum Sirenis cantu conferatur. Aeſchyli imaginem

multò

multò poſt eius mortẽ, et picturã eam, qua eius ad Marathonem uirtus expreſſa eſt, factam puto. Hoc aũt ipſe de ſe ſcriptum reliquit, puero ſibi olim dum uuas cuſtodiret, in agro dormienti, Bacchum imperaſſe, ut Tragœdiam ſcriberet: ſeq́; cùm primùm illuxiſſet, dicto audientem periclitatum, quid in ea re poſſet, omniaq́; ſe minimo negotio conſecutũ. In muro, quem Auſtralem uocant, qui ab arce ad theatrum excurrit, Gorgonis Meduſæ inauratum caput incluſum eſt, ægis addita. In theatri uertice ſpecus è ſaxis arcem ſubit: in eo eſt tripos, in quo Apollo & Diana cernuntur, Niobes filios de medio tollentes. Ego ſanè Nioben ut uiderem, in Sipylum montem aſcendi. Silex, & prærupta crepido imminet, quæ prope aſſiſtenti, neq; mulieris, neq; lugentis formam oſtentat: qui uerò procul aſpexerit, mulierẽ lachrymantem & mœrentem uidere ſibi uideatur. In ea uia quæ à theatro in arcem ducit, Calus ſepultus eſt, quem ſororis filium, & diſcipulum, cùm Dædalus interfeciſſet, in Cretam aufugit, atq; inde ad Cocalum in Siciliam. Aeſculapij uerò ædes, cùm ob plurima eius & filiorum ſigna, tum ob egregias picturas quæ ſpectetur digniſſima. In ea fons eſt, ad quem Halirrhothium Neptuni filium à Marte, cuius filiæ Alcippæ uitium obtulerat, interfectum tradunt: deq́; ea cæde primùm capitis iudiciũ factum. Ibidem & alia complura, & Sarmatica dicata eſt lorica, quam qui intueatur, nihilo quàm Græcos ad artes excolendas Barbaros minus ſolertes putabit: nam Sarmatis nulla ſunt ferri metalla, neq; ad eos aliunde ferrũ importatur: ſunt enim hi præ cunctis earum regionũ Barbaris ab hominum cõmercijs alieniſſimi: ob eam igitur ferri penuriam, uimineis haſtarũ cuſpidibus uti pro ferreis excogitarunt. Arcus & ſagittas ex corno habent, & earum

Sipylus

Sarmath

ferr

item uimineas cuſpides. Catenas uerò in quencunq; aſſecuti fuerint hoſtium iniȷcientes, auerſis à curſu equis laqueis implicatos ſubuertũt. Loricas hoc fermè modo faciunt: Magna equorum armenta habent, neq; enim in partes terra deſcripta, priuatorum uſibus ſeruit, aut quicquã præter agreſtem ſyluam fert: compaſcua igitur tota regio eſt, & incolæ Nomadæ, *id eſt, uagi paſtores appellantur. Equis non ad belli munia ſolum utuntur, ſed ex eodem pecore & hoſtias dis cædunt, & ſibi cibum comparant. Vngulas ubi legerint, perpurgatas ac diſſectas, ad ſimilitudinem ſquamarum draconis expoliunt. Quòd ſi quis draconẽ non uiderit, haud errarit ſi opus illud ungulis conſertum, pineæ nucis adhuc uiridis torulis ſimile eſſe putarit. Has itaq; ſquamulas perforãt, & equinis uel bubulis neruulis conſuunt, inde ſibi loricas concinnant, quæ neq; elegantia, neq; firmitate loricis Græcorum inferiores ſunt: eæ nanq; tum cominus, tum eminus percuſſæ, ictus ſuſtinent: nam linteæ loricæ haudquaquã pugnantibus utiles, quòd ferro uehementius immiſſo peruiæ ſunt: ſed uenatoribus certo præſidio ſunt, in illis nanq; leonum et pardorũ dentes retunduntur. Et linteas quidem cùm in aliȷs, tum in* Grynæi Apollinis *templo dicatas uideas, ubi lucus tam ex ſatiuis arboribus eſt, quàm ex ijs quæ ſolo odore & ſpecie delectant. Poſt Aeſculapiȷ fanũ, quà ad arcem iter eſt,* Themidis *delubrũ ſurgit, & ante ipſum* Hippolyti *monimentũ, quẽ diris confixũ è uita exceſsiſſe memorãt. Nõ ſunt aũt uel Barbari, qui Græcæ linguæ expertes non ſunt, quæ de* Phædræ *amore, et nutricis audaci obſequio uulgata ſunt. Eſt uero etiã apud* Troezenios Hippolyti *tumulus, de quo hæc ipſi tradiderũt: Theſeũ cùm Phædrã ducturus eſſet, ueritũ ne qui gignerentur liberi, aut ipſi* Hippolyto, *aut*

illis

illis Hippolytus imperaret: ob eam rem Hippolytũ Troëzenem ad Pittheũ amandaſſe, tum ut apud illum educaretur, tum uerò ut in eius regnũ ſuccederet. Poſt hæc cùm Theſeus Palantẽ et eius filios res nouas molientes occidiſſet. Troëzenem, ut de cæde purgaretur, ueniſſe, ibi tunc primũ Phædræ uiſum Hippolytũ, eiusq; amore inſanientẽ, de morte ſibi conſciſcenda conſiliũ cepiſſe. Myrtus adhuc apud Troëzenios oſtenditur, perterebratis undiq; folijs: eam ſanè talẽ ab initio fuiſſe negant, ſed ex amoris ægrimonia Phædrã crinali acu folia tranſfixiſſe. Veneris popularis, & Suadelæ cultũ induxit Theſeus, cùm in unã ciuitatẽ ex agris Athenienſem populũ compuliſſet. Eorũ numinũ uetera ſimulachra, mea quidẽ ætate, nulla extabãt: quæ nunc extant, artificũ haudquaq̃ ignobiliũ opera ſunt. Eſt & Telluris puerorũ nutricis, & Cereris pubeſcentis templũ. Cognominu uerò cauſas à ſacerdotib. qui ſciſcitati fuerint, diſcent. Ad arcẽ unicus eſt aditus; nam ex alijs partibus, aut præruptis rupibus, aut ualido muro incingitur. Veſtibula quæ Propylæa appellant, è candido marmore faſtigia habent: quo ſanè opere hac ipſa ætate nihil aut ornatu, aut lapidũ magnitudine præſtantius. Equeſtres ſtatuæ quorumnã ſint, non habeo dicere, Xenophontis ne filiorũ ſint, an uerò ad loci duntaxat decorẽ poſitæ. Ad ueſtibuli dexterã inuolucris Victoriæ ſacellũ eſt: quà ad mare proſpectus patet, inde ſe Aegeũ abieciſſe ferũt. Nam Theſeũ aiũt cùm ad Minotaurũ proficiſceretur, uirtuti ſuæ nõnihil fidentẽ, patri affirmaſſe, candidis uelis uſurũ ſe, interẽpto ſi Minotauro rediſſet: quod cùm ob raptũ Ariadnæ eſſet oblitus, Aegeũ nigris uelis conſpectis, cùm filiũ perijſſe exiſtimaſſet, in mare ſe præcipitem dediſſe. Et Aegei quidem apud Athenienſes ſepulchrũ eſt, quod Aegei heroũ dicunt.

Ad læuam cella quædam eſt multis ornata picturis, quarum alijs uetuſtate abolitis, adhuc extāt Diomedes è Lemno Philoctetæ ſagittas reportans, & Vlyſſes ex Ilij arce Palladium ſurripiens. Ibidem & Oreſtes Aegiſthum, & Pylades Nauplij filios obtruncans, qui Aegiſtho in auxilium uenerant. Ad Achillis etiam tumulum ducitur mactanda Polyxena, quod conſulto tanquā immane facinus prætermiſiſſe uidetur Homerus. Nam & idem, cùm euerſam ab Achille Scyron memoriæ prodidiſſet, uixiſſe tamē in ea inſula cū uirginibus, quod alij poëtæ pleriq; omnes ſcriptum reliquerunt, non dixit. Hæc uerò omnia Polygnotus pinxit. Addidit Vlyſſem Nauſicæ, & lauantibus cum ea ueſtem puellis aſsiſtentem, ſecutus nempe quæ de ea re finxit Homerus. Sunt & picturæ aliæ, & Alcibiades cum equeſtris ad Nemeā uictoriæ monimentis. Perſeus etiam in Seriphon, ad Polydecten, Meduſæ caput portans. Quæ uerò de Meduſa fabulis prodita ſunt, ea mihi de Atticis rebus ſcribenti cōmemorare non libet. Inter eas picturas, ut puerum omittā hydrias portantem, et palæſtritē, quem Timænetus fecit, Muſæus eſt, quem ex ueterū carminibus cognoui Boreæ dono uolitaſſe. Quæ Muſæi inſcribuntur, ea Onomacritum feciſſe arbitror: nam Muſæi nihil extat præter hymnum in Cererem, quem Lycomedi fecit. In ipſo uerò arcis aditu Mercurij ſtatuam quam Propylæam appellant, & Gratias, feciſſe dicunt Socratem Sophroniſci, cui inter homines ſapientiæ primas Delphici Apollinis oraculum detulit, cùm id Anacharſi quidem Scythæ non tribuerit, qui tamen eius laudis cupiditate ductus Delphos uenit. Græci de ſe cùm alia iactant, tum uerò è ſuis maioribus ſeptem fuiſſe ſapientes, inter quos Lesbium tyrannum, & Periandrum Cypſeli filium connumerant: ſed profe

ctò

ctò Periandro Piſiſtratus eius filius Hippias, humaniores, & ſapientiores, omni etiam bellica & ciuili laude ſuperiores fuere, præſertim uerò priuſquàm Hippias Hipparcho interempto,& in alios cædis conſcios,& in Leænam meretricem tam acerbè iracundiam exerceret ſuam. Eam etenim (dicam quæ ante literis mandata non fuerunt, ab Athenienſibus tamen uulgò credita) tandiu diris cruciatibus lacerauit, dum animã efflaret, quòd ſcilicet Ariſtogitonis cum amica fuiſſet, coniurationis eius, per quam occiſus eſt Hipparchus, ignaram non fuiſſe ſuſpicabatur. Verùm Athenienſes Piſiſtrati filiorum tyrannide liberati, tanquam de ſe benè meritæ, æneã Leænã poſuere: cui adiunctũ eſt Veneris ſimulachrũ, quod Calliæ quidem donũ, Calamidis opus fuiße dicunt. Proximè eſt Diitrephis ænea ſtatua ſagittis confixa. Hic Diitrephes, et alia quæ fama celebrãt Athenienſes, geſſit, & cõductitios Thracas, qui Demoſthene Syracuſas iam cum claſſe profecto, ſerius quàm oportuerat uenerãt, reduxit: cumq; ad Chalcidicũ Euripum ueniſſet, Mycaleſum (ea autem Bœotiorũ mediterranea urbs eſt) nauibus expugnauit: oppido uerò capto, nõ tantùm militaris ætatis uiros, ſed fœminas etiam ac pueros Thraces trucidarunt. Eius internicionis id mihi argumẽto eſſe poteſt, quòd ætate noſtra, quæ Bœotiorum oppida olim Thebani euerterant, ab ijs iam reſtituta ſunt, qui ex clade profugerant: ut dubitandum nõ ſit, Mycaleſios etiam redituros fuiſſe, niſi cuncta planè ciuitas fuiſſet à barbaris deleta. Illud certè nõ poſſum nõ plurimùm mirari, Diitrephis ſtatuã ſagittis confixã, cùm ſatis conſtet, eo tẽpore ſolis ex omnibus Græcis, Cretenſib. gentilitiũ telũ ſagittas fuiſſe. Locros quidem Opuntios nouimus Perſico bello graui armatura uſos, quos ad Troiã cum arcu & fun-

da ueniſſe ſcribit Homerus. *Sed neq; Malienſes ſagittarum uſum retinuerunt, quem ipſum ante* Philoctetem *ignoraſſe eos crediderim.* Proximè *ad ſtatuã Dijtrephis poſita ſunt (neq; enim libet minus clara perſequi)deorũ ſigna,* Hygiæ, *quã filiam* Aeſculapij *fuiſſe dicunt:& Mineruæ,cui etiã* Hygiæ,*id eſt,ſoſpitæ,cognomentũ.* Ibidem *eſt lapis non maior quàm ut parui hominis ſedile eſſe poßit. Super eo cùm* Liber *in* Atticam *primùm uenit, quieuiſſe* Silenũ *memorant: maximos enim natu* Satyrorum Silenos *nuncupant.* De Satyris *autẽ,qui nam ſint,ut aliquid certius quàm ab alijs traditum ſit, cognoſcerem,ſingula ex multis ſum percunctatus.* Narrauit *autem mihi* Euphemus Car,*ſe cùm in* Italiam *nauigaret, uentorum impetu in* Oceani *extremas oras delatum: ibi deſertas eſſe inſulas multas, quas agreſtes homines incolant:& ad alias quidem noluiſſe nautas appellere,cùm & antè appuliſſent,& à quib.incolis tenerentur nõ ignorarent: tunc uerò tempeſtate appulſos.*Inſulas *appellari* Satyridas: *incolas ruffos eſſe, & caudas haud multò equinis minores infra clunes habere.*Eos *ubi primùm hoſpites ſenſerũt propè adeſſe, ad nauim cõcurſu facto, nulla emiſſa uoce, in mulieres,quæ in naui erant, manus inieciſſe:nautas uerò pauefactos,* Barbaram *fœminam expoſuiſſe:in eam* Satyros *irruentes,nõ eam tantùm,quæ à natura uiris expoſita eſt,partem,ſed aliã quamlibet petulantißimè appetiuiſſe.* In Athenienſium *arce & alia memoratu digna ſpectaui, & Lyciũ* Myronis *æneum puerũ, labellum tenentem:* Myronis *præterea* Perſeũ, et *eius in* Meduſam *facinus.*Ibidem *eſt* Brauroniæ Dianæ *ſacellum.* Deæ *ſimulachrũ* Praxitelis *opus eſt,* Brauronia *à* Braurone *curia dicta,ubi eius priſci operis ſignum eſt, quã* Tauricam Dianam *eſſe dictitant.* Equus *etiã*

Durius

Durius ex ære ibi poſitus, quem machinā fuiſſe bellicā ab Epeo factā ad muros deijciendos, fateatur neceſſe eſt, qui Troianos nolit ſtuporis ac ſtultitiæ cōdemnare. Verùm quoniā traditū eſt Græcorū fortiſſimū quenq; in equum illum ſe abdidiſſe, cōuenit equi ænei forma cum ijs quæ de Troiano memoriæ prodita ſunt: Mneſtheus enim, Theucer, Theſei etiā filij ex equo erumpūt. Inter cæteras uerò ſtatuas quæ poſitæ ſecundùm equū ſunt, Epicharmi, qui ſe in armatorum curſu exercuit, imaginē uideas à Critia factā. Oenobij quoq; præclariſſimæ actioni ſuus honos eſt: hic enim ſcitum fecit ut in patriā Thucydides reſtitueretur, cuius, cùm poſt reditū dolo fuiſſet peremptus, ad Melitidem portā ſepulchrū eſt. De Hermolyco uerò pancratiaſte, et Phormione Aſopichi filio, quæ ab alijs ſcripta ſunt, omitto. Hoc unum de Phormione nō præteribo. Is cùm & uitæ integritate, & maiorum ſplendore Athenienſiū cuiuis par eſſet, ita accidit, ut ære alieno obrutus, in Pæanienſem curiā ſecederet, ubi cùm à rep. ſeiunctus degeret, eſt ei tamē ab Athenienſibus claſsis imperiū decretum: atenim Phormio ſe illud nō ſuſcepturū, quòd apud milites nondum ære alieno diſſoluto, nihil eſſet autoritatis habiturus: ſed cùm eum claſſe imperare Athenienſes omnino uellent, omnem quam debuit creditoribus pecuniā diſſoluerunt. Eodem in loco Mineruą eſt Marſyā Silenū cædens, quòd tibias, quas ipſa abiecerat, ſuſtuliſſet. Præter ea quæ hactenus recenſui, Theſei pugna eſt cōtra eum, qui eſt Minois taurus appellatus, ſiue is homo, ſeu monſtrū (quod iam fama obtinuit) fuerit. Multò certè dictu mirabiliora ætate noſtra mulieres mōſtra pepererūt. Ibidē Phrixus eſt Athamantis filius, arietē à quo eſt in Colchos delatus, immolās, incertū cui deo: uerū cōijcere poſsis eundē eſſe, quē Laphyſtiū nūcupāt

Orchomenij. Succiſa Phrixus Græcorum femora dum torrentur, intuetur. Sunt & alia deorũ ſigna, & Hercules angues (ut fabulis uulgatũ eſt) necans: Minerua etiam de Iouis uertice prodiens: & taurus Areopagitarũ donũ. Quæ uerò dedicationis cauſa fuerit, multa quiuis ſuſpicari poſsit. Diximus aũt ſuperius, Athenienſes deorũ cultu, ſtudioq; religionis, longè cæteras omnes ciuitates anteire: primi enim Mineruam Erganem cognomento appellarunt: primi mutilos Mercurios coluerũt: iidemq; primi bonorũ Genio templũ dedicarunt. Iam qui artificium plurimi æſtimat, hæc antiquiſsimi operis ſigna quæ intueatur habeat. Vir quidam eſt galeæ innitens, Cleœtæ opus, cui artifex idem ungues argenteos fecit. Eſt etiã Terræ, à Ioue imbres implorantis, ſimulachrũ, uel quòd Athenienſes aliquãdo pluuias deſiderarint, uel quòd tota Græcia ſoli ſiccitate laborarit. Ibi & Timotheus Cononis, & ipſe Conon poſitus eſt. Prognem filiũ tollere meditantẽ, et Ityn ipſum dicauit Alcamenes. Primã etiã oleæ plantã Minerua, & Neptunus undã proferens, ibi ſpectãtur, et Iouis ſimulachrũ, cui Polieo cognomentũ, Leocharis opus. cuius ſacrorũ ritus cùm expoſuero, cauſam tamẽ obſcurã eſſe facilè patiar. In Polici Iouis ara hordeũ tritico permiſtũ apponũt, neq; cuſtodes adhibent. Bos ad ſacrũ cõparata, dum ad aram accedit, fruges eas attingit. Ex ſacerdotibus, is quẽ Buphonũ, id eſt, bouis percuſſorẽ nominãt, ſecurim in illũ iaculatus (hic enim ſacri ritus eſt) fugiens abit: qui adſtiterun, ttanq̃ eum qui bouẽ percuſſerit nõ uiderint, ſecurim in iudiciũ ream citant. Et hæc quidẽ quõ diximus mõdo peraguntur. In eo uerò templo, quẽ Parthenona appellant, ac teſtudinis ea parte, quæ Aquilæ dicũtur, ſigna poſita ſunt ad Mineruæ natales pertinentia. In poſtico, Mineruæ et Neptuni

ptuni de Attica certamẽ: Deæ ſignũ ex auro et ebore factũ: in galeæ cono Sphinx eminet:de ea, quæ memoriæ prodita ſunt,tunc exponã,cũ ad Bœotorũ res uentũ fuerit. Vtranq; *galeæ partẽ Gryphes tenent:hos cum Arimaſpis, qui ſupra Iſſedones ſunt,auri cauſa aſsiduè bellare,Ariſteas Proconne ſius carminibus teſtatus eſt: et aurum quidem quod cuſtodiunt,è terra naſci: Arimaſpos ipſos unicũ habere oculum: & Gryphes belluas aiunt, alis & roſtro aquilis perſimiles: hæc illi de Gryphibus. Mineruæ ſignũ recto ſtatu eſt,cũ tunica talari:in eius pectore Meduſæ caput:& Victoria cubitorum ferè quatuor:manu haſtam tenent: iacet ad pedes clypeus,ad imam haſtã draco,quem Erichthoniũ eſſe exiſtimare poßis:in baſi,quæ de Pandoræ ortu traduntur, elaborata ſunt. Heſiodus quidem & alij poëtæ prodiderunt Pandoram primã fœminã fuiſſe, neq;,priuſquàm illa gigneretur, extitiſſe muliebrem ſexum. Eo in loco unicam uidere memini ſtatuam, Adriano imperatori poſitam:unam item in ipſo templi aditu, Iphicrati, qui multa & ſanè admirabilia uirtutis documenta dedit.Extra templũ eſt æneus Apollo,quẽ à Phidia factũ dicunt: Parnopium, à bruchis nempe appellant,quòd ſe deus bruchos,qui totum agrum magna afficiebant calamitate, extra fines pulſurum dixiſſet:et pulſos quidem ſciunt,quo autem modo,non tradunt.Scio equidem ter in Sipylo monte deletos bruchos, nõ uno tamen modo:nam uehemens aliquando,& ſubita procella eos eiecit:iterũ acri æſtus uapore, qui ſtatim eſt imbres conſecutus, enecti ſunt: iam tertio,repentino frigore oppreßi perierũt.atq; hæc quidem, quæ de abolitis bruchis memoraui, ætate mea acciderunt. In Athenienſiũ arce Periclis Xantippi filij ſtatua eſt, ipſius etiã Xanthippi,qui ad Mycalen cũ Perſis nauali præ*

Anacreon

lio cõflixit:ſed Periclis ſeiuncta eſt à cæteris: Xanthippo uerò aßiſtit Anacreon Teius, qui primus poſt Leſbiã Sapphò magnã carminũ ſuorũ partẽ in exprimendis amoribus cõſumpſit. Habitus eius eſt ueluti hominis per ebrietatem cantantis: fœminas eas, quæ propè ſunt, Iò Inachi, et Calliſtò Lycaonis filiã, fecit Dinomenes. Eadem ferè omni ex parte de utraq; narrantur, amor ſcilicet Iouis, Iunonis ira, & mutatio utriuſq;, Inûs in bouẽ, Calliſtûs in urſam. In eo arcis muro qui ad auſtrũ conuerſus eſt, Gigantũ qui Thraciã & Pallenes anguſtias incoluerunt, uulgò celebratum bellum: Athenienſium cõtra Amazones pugnã: ad Marathonẽ in Perſas præclariſsimũ facinus: Gallorũ in Myſia internitionẽ: hæc omnia Attalus dedicauit: ſingula duûm ferè cubitûm ſpatio cõtinentur. Inter cæteras ſtatuas locũ ſuũ obtinet Olympiodorus: quẽ honorẽ conſecutus eſt, cùm ob rerum quas geßit magnitudinẽ, tum quòd iniquißimis tẽporibus et multis cladibus afflictos Athenienſes, ac iam ſpem omnẽ poſteri temporis abijcientes, erexerit et cõfirmarit. Accepta enim illa ad Chæroneã plaga, ingentes omnib. Græcis importatæ ſunt calamitates: nam & qui periculũ ſpectarant, quaſi ſua nihil intereſſet, & qui cum Macedonibus in acie ſteterãt, in ſeruitutem ſimul omnes redacti ſunt. Vrbes quidem tum Philippus quãplurimas cepit: Athenienſes uerò per ſimulationem pacis quamgrauißimis affecit detrimentis, cùm et inſulas illis, & maris imperiũ ademiſſet: ac quantiſper regnauit Philippus, ac deinde Alexander, nihil omnino noui moliri Atheniẽſes auſi ſunt. Cũ uerò Macedones mortuo Alexãdro Aridæo regnũ detuliſſent (cõmiſſa tamẽ Antipatro imperij adminiſtratione) nõ ferendũ eſſe amplius uiſum eſt, Græcorum res tandiu à Macedonib. oppreſſas teneri: quare et ipſi ſtatim

ſi ſtatim arma ceperũt, et ad bellũ alios etiã excitarũt. Quæ uerò urbes cũ Athenienſibus ſocietatẽ coierũt, hæ propemodum fuere. Ex Peloponneſo Argi, Epidaurus, Sicyon, Troëzen, Elei, Phliaſij, Meſſenij: *ex ijs qui extra Corinthiorum Iſthmũ ſunt,* Locri, Phocẽſes, Theſſali, Caryſtus, Acarnanes, *qui cum* Aetolis *cenſentur: at* Bœotij, *qui* Thebis *deletis* Thebanũ *agrũ tenebãt, cũ ueriti eſſent ne* Athenienſes Thebas, *eò colonia deducta, reſtituerẽt, nõ modò in eam ſocietatẽ nomen ſuum nõ ediderunt, ſed etiã opes ſuas omnes in* Macedonum *ſtudia cõtulerunt. Cùm uerò ciuitates, quæ tunc belli gerendi cauſa cõſpirarunt, ſingulos duces dediſſent, ab uniuerſis imperator declaratus eſt* Leoſthenes Athenienſis, *cùm propter patriæ dignitatẽ & militaris rei ſcientiã, tum quòd præclara eius uiri in omnes* Græcos *merita extabant: nam cùm* Alexander Græcos, *qui* Dario *ſtipendia fecerãt, in* Perſidis *urbes diuidere ſtatuiſſet, hic eos, antequãm id fieret, claſſe in* Europam *reportauit: & planè cùm hominum de ſe ſpem uirtute uinceret, fuit eius mors nõ magis luctuoſa cunctis, q̃ calamitoſa: tunc enim demũ* Macedonũ *præſidia impetu in* Athenienſes *facto,* Munychiã *primũ,* Piræeũ *deinde, et* Longos muros *occuparunt. Verũ* Antipatro *mortuo,* Olympias *ex* Epiro *profecta, ſublato* Aridæo *nõ diu regnũ tenuit: neq; enim multò pòſt à* Caſſandro *per obſidionẽ capta,* Macedonum *multitudini tradita eſt. Regno uerò inito* Caſſander *(ut cætera, quæ ad* Athenienſes *non pertinent, miſſa faciã)* Panactũ Atticæ *caſtellũ, et* Salamina *cepit, tyrannumq;* Athenienſib. *impoſuit* Demetriũ Phanoſtrati *filium, hominẽ ſapientiæ laude præſtantẽ. Hũc* Demetrius Antigoni *filius adoleſcẽs, è ſingulari quodã in* Græcos *ſtudio gloriã captans, nõ ita multò pòſt eiecit: ſed rurſus* Caſſander, *pro*

acerbiſsimo quo in Athenienſes laborabat odio, Lachari, qui ad illud uſq; tempus principẽ in plebe locũ tenuerat, in fidem ſuam recepto, ut tyrannidem inuaderet perſuaſit: & is quidẽ omnes, de quibus aliquid literis mandatũ ſit, acerbitate in homines, in deos impietate ſuperauit. At Demetrius Antigoni filius, etſi nõnihil ab Athenienſib. diſsidebat, euertit tamen Lacharis tyrannidẽ. Is ubi captos uidit muros ad Bœotios cõfugit: quò cùm aurea ſcuta ex arce direpta, et Mineruæ, quæ remoueri poterãt, ornamenta omnia aſportaſſet, propter eam, quæ de ipſius diuitijs erat, opinionẽ, à Coroneis eſt interemptus. Liberatis uerò Athenienſib. tyrannorum dominatu, nõ ſtatim Demetrius poſt Lacharis cædẽ Piræeũ reddidit, quin poſtea, cùm bellica ui oppidũ in poteſtatem redegiſſet, præſidio & munitionib. eum locũ firmauit, quod Muſæũ appellant. Eſt aũt intra uetus pomariũ è regione arcis, collis, in quo Muſæum uatem canere ſolitum, atq; ibidem ſenectute conſumptum, humatũ ferunt. Eodem poſtea in loco Syro homini monumentũ eſt erectum. eum ſanè collem Demetrius occupatũ muniuit. Aliquot pòſt annis excitauit optimũ quenq; Athenienſiũ, rerum à maioribus ſuis geſtarũ memoria: quare cùm uiderent quorſum euaſiſſet florentiſsimæ reip. decus, cõfeſtim Olympiodorũ ducẽ deligũt: is habito delectu, in quo neq; ſenibus, neq; pueris uacatio fuit, exercitũ contra Macedones eduxit, nõ robore magis q̃ militũ alacritate confiſus, priſtinã ſe belli gloriã patriæ uindicaturũ. Prælio itaq; Macedonas fudit, ac fugientes in Muſæũ perſecutus, loco capto, Athenienſes Macedonum dominatu liberauit: quo tempore cùm omnes reip. egregiã operã nauaſſent, Leocriti tamen Protarchi filij uirtus excelluit: is enim primus muros aſcendit, primuſq; intra Muſæũ irrupit:

pit: atq; ei quidem in pugna cæſo, & alij ab Athenienſibus honores habiti ſunt, & eius clypeum Ioui Liberatori dedica runt, cum inſcriptione nominis, & præclari facinoris indice. At Olympiodorus non unũ hoc uirtutis ſuæ, quod paulò ſuperius cõmemorauimus, ſpecimen dedit: ſed, præterquàm quòd Piræeũ & Munychiã recepit, idem Macedonas Eleuſinem inuadentes, cõparata Eleuſiniorũ manu prælio uicit: & antè, cum in Atticam Caſſander eſſet hoſtiliter ingreſſus, nauibus in Aetoliam profectus, ab Aetolis, ut auxilia mitterent, impetrauit: quæ res maximo bello impendente, ſaluti Athenienſibus fuit. Sũt igitur illi apud Athenienſes, ſua, cùm in arce, tum in Prytaneo monimenta: & Eleuſinij picturæ res eius geſtas mandarunt. quin et è Phocenſibus qui Elateã incolunt, ex ære ſtatuã Olympiodoro Delphis poſuerunt, quòd illis, cùm à Caſſandro defeciſſent, opem tuliſſet. Prope Olympiodori ſtatuã, Dianæ ex ære ſimulachrũ ſtat, Leucophrynes cognomento: Themiſtoclis filij dedicarunt. Magnetes enim, quib. ex regis liberalitate imperauit Themiſtocles, Leucophrynen Dianã colunt. Sed enim mihi non eſt, uniuerſæ Græciæ hiſtoriã cõtexenti, in hac parte diutius immorandum. Endœus patria fuit Athenienſis, Dædali diſcipulus, qui fugientẽ Dædalũ ob cædem Cali, eſt in Cretã ſecutus: hic ſedentẽ fecit Mineruã, cuius eſt inſcriptio, dedicaſſe Calliã, Endœũ feciſſe. Eſt ibidẽ ædes, quod Erechtheũ appellant. In ueſtibulo Iouis ſupremi ara eſt, ad quã uictimas nõ cædunt, ſed liba duntaxat apponut, ac uino quo minus utantur, religione prohibentur. In ipſo aditu aræ ſunt, Neptuni una, ad quã ex oraculo Erechtheo rem diuinã faciunt: Butæ herois altera: tertia Vulcani. In parietibus picta ſunt, quæ ad Butadarum gentẽ pertinent. Aedes ipſa duplex eſt: in ea marinæ

*aquæ puteus,quod certè miraculo nõ adſcripſerim: nam &
ex iis qui mediterranea incolũt,alij,et in primis in Caria A-
phrodiſienſes,talem puteũ habent. Sed quod literis mandan
dum ſit,id nempe eſt,quòd flante Auſtro undarũ ſonitũ red
dit:quodq; in ſaxo tridentis forma inciſa eſt, quod eſſe moni
mentum aiunt eius quod Mineruæ cum Neptuno fuit de At-
tica certaminis:& ſacra quidem Mineruæ cum urbs,tũm re
gio eſt uniuerſa: Curiæ enim et ſuos quæq; deos priuatim co
lunt, & Mineruæ cõmuniter diuinam rem faciunt. Omniũ
uerò ſanctiſsimũ Mineruæ ſignũ illud eſt, quod iam inde ab
initio de cõmuni omniũ curiarum conſilio dedicatum eſt in
arce, cùm ea urbis nomine appellaretur. Delapſum quidem
de cœlo fama uulgauit:ſed mihi id neq; affirmare, neq; refel
lere in præſentia in animo eſt. Lucernã quidem ex auro deæ
Callimachus fecit,in quam oleum infuſum non conſumitur,
niſi exacto demum anno, cum tamen lucerna dies noctesq;
ardeat. Id adeò euenit quòd lucernæ ineſt è lino carpaſio fu
niculus,quod ſanè linum unum ex omnibus igni nõ conſici-
tur. eminet ſupra lucernã palma ænea,quæ cum ad lacunar
conſurgat, exceptũ uaporem facilè diſsipat. Callimachus ue
rò ipſe, qui lucernam fecit, etſi multò eſt infra ſummos ar-
tifices,ſolertia tamẽ cæteris longè præſtitit: primus enim la
pides terebrauit:nomen uerò Cacizotechnon, quaſi artis di
cas ſuæ calumniatorẽ,aut ſibi ipſe impoſuit,aut ab alijs im-
poſitum uſurpauit. Erectus aũt eſt in Poliadis delubro Mer
curius ligneus (fuiſſe aiunt Cecropis donũ) inter Myrti ra-
mos ualde cõſpicuus. Inter uetuſtiſsima donaria,quorũ men
tio fiat digna ſunt,lecticaria ſella cõpactilis Dædali opus:et
de Perſarũ ſpolijs Maſiſtij, qui ad Platæas equitũ dux fuit,
lorica: & acinaces,qui Mardonij fuiſſe dicitur. Maſiſtium
quidem*

quidem ab Athenienſiũ equitatu interemptum ſcimus: nam Mardonius in acie contra Lacedæmonios dimicãs, à Sparta no milite eſt interfectus: eius igitur acinacem aut omnino nõ ſuſtuliſſent Lacedæmonij, aut certè ſublatum Athenienſibus non conceßiſſent. De olea uerò aliud nihil memorãt, niſi eſſe eam Mineruæ de Attica certaminis monimentũ. Addunt incenſa à Perſis urbe cõflagraſſe, eodemq; die in duûm cubitũ proceritatem germinaſſe. Cum Mineruæ templo, Pandroſi ædes coniuncta eſt, quæ ſola ex ſororibus fidem in depoſito ſeruauit. Iam uerò, quæ magnæ mihi ſunt admirationi, neq; apud omnes uulgata, ea uti ſe habent exponã. Virgines duæ non longè à Poliados habitant: eas Athenienſes Ciſtiferas appellant: hæ certũ tempus apud Deam cõmorantur, deinde ubi feſtus dies aduenit, per noctẽ capite tollunt quæ illas Mineruæ ſacerdos ferre iuſſerit, cùm neq; ipſa quid ferendum det, neq; uirgines quid ferant, ſciant. Eſt in urbe ſeptũ quoddam nõ longè à Veneris quæ in hortis dicitur, ibi in ſpecum quandam deſcendentes, onus deponunt, et pro eo aliud item uelatum & occultum tollunt, ac foras cùm egreſſæ fuerint, exautoratæ in poſterũ quô uelint abeunt: ſed pro illis totidẽ alias quas in arcem adducant, capiunt. Ad Mineruæ anus eſt affabrè elaborata, cubitali ferè altitudine, quã eſſe aiunt Lyſimachen deæ miniſtrã. Sunt etiam ex ære ſigna duo quaſi inter ſe dimicantiũ: eorum alterum Erechtheũ appellant, alterum Eumolpum: neq; tamen ignorant qui res priſcas norunt, Immaradũ eſſe hunc Eumolpi filiũ, quem Erechtheus occiderit. In baſi interiore ſtatuæ eorũ ſunt, qui uates Tolmidæ fuerunt, Tolmides etiã ipſe, qui Athenienſiũ claßis dux, & alios magnis affecit incõmodis, & in primis Peloponneſiorũ maritimũ agrũ excurſionibus infeſtũ reddidit. Idemq;

Lacedæmoniorum ad Gythium naualia incendit: finitimos dein adortus Eubœam & Cytheriorũ inſulam cepit. cùm in Sicyoniorũ deinde fines traieciſſet, eos, qui armis ne agrum popularetur, impedire conati ſunt, intra urbem repulit: inde Athenas reuerſus Eubœam & Naxum colonias deduxit. Idem cum exercitu in Bœotos impetu facto agrũ depopulatus eſt. Capta mox per obſidionẽ Chæronea, in Haliartiorũ fines excurrit, ubi & ipſe dimicans cecidit, & copiæ eius omnes fuſæ fugatæq; ſunt. atq; hæc quidem de Tolmide cõperta habeo. Extant priſca Mineruæ ſigna, quæ ſanè integra manſerũt, decolorata tamen fumo, & quæ ictũ omnino nullum ualeant ſuſtinere: ad ea enim flamma peruaſit, quo tempore, cùm naues cõſcenderent Athenienſes, urbem, quã militaris ætas deſeruerat, Xerxes occupauit. Spectatur & apri uenatio, parum uerò liquet an is Calydonius aper ſit. Cycni etiã cum Hercule pugna. Ab hoc quidẽ Cycno, et alios interemptos ferunt, & Lycũ Thracẽ propoſitis de ſingulari certamine præmijs: ad Peneum aũt amnem ab Hercule eſt ipſe interfectus. Atq; ad ea quidem, quæ de Theſeo Troëzenij cõmemorant, addunt Herculem Troëzenem ad Pittheũ ueniſſe, cumq; accumbere uellet, Leonis pellem depoſuiſſe: acceßiſſe & alios Troëzeniorũ pueros, & Theſeũ annũ agentẽ fermè ſeptimũ: cæteros, ut Leonis pellem uiderũt, perterritos aufugiſſe: Theſeũ nihil magnopere metuentẽ, propius ueniſſe, abreptaq; de ſeruorum manibus bipenni, quòd uiuentẽ Leonem eſſe putaret, inuadere illũ uoluiſſe. & hæc quidem de Theſeo prima apud Troëzenios hiſtoria uulgata eſt. alterã adijciũt: Crepidas Aegeũ ſub ſaxo, & enſem depoſuiſſe, quò ea ſibi ſigna in filio agnoſcendo forent, ac deinde Athenas reuerſum: Theſeũ, cùm iam ſextumdecimũ ætatis

annum

annum attigiſſet, amoto ſaxo, depoſitũ ſuſtuliſſe. Res tota ex *ære, præter ſaxũ, in arce expreſſa eſt.* Eodẽ *in loco aliud* Theſei *facinus memoriæ cõmendarunt, de quo huiuſmodi narratur hiſtoria.* Cretenſiũ *agrũ cùm aliũ, tum eum qui* Tethrini *amni adiacet, taurũ infeſtũ reddidiſſe: fuiſſe enim priſcis temporibus belluas multò immaniores, atq; hominibus formidoloſiores: cui rei teſtimonio ſunt* Nemeus, & Parnaſius Leo, *dracones in pluerib.* Græciæ *locis, apri etiã* Calydonius *atq;* Erymanthius, & *in* Corinthiorũ *finibus* Crommyonius: *has feras partim terrã protuliſſe, partim dis fuiſſe ſacras: nõnullas etiã ad homines plectendos extitiſſe ferunt:* Taurũ *enim hunc* Cretenſes Neptuni *ira immiſſum memorant, quòd* Minos *latè mari toti, quod* Græciã *alluit, imperãs, nihilo quàm cæteris dis* Neptuno *maiorem honorẽ habuiſſet: è* Creta *uerò eundem taurũ in* Peloponneſum *traieciſſe, unumq; fuiſſe de duodecim* Herculis *laboribus.* Inde *in* Argiuorũ *campos actum per* Corinthiacũ Iſthmũ *in* Marathoniã Atticæ *regionem fugiſſe: ibi inter alios multos, quos caſus obtulerat,* Minois *etiã filium* Androgeũ *intereміſſe:* Minoẽm *grauiter eo caſu cõmotum, cum id* Athenienſium *fraude accidiſſe interpretaretur, cõparata claſſe* Athenas *oppugnatũ ueniſſe, ac nõ prius* Athenienſes *uexare deſiſſe, quàm pacti ſe eſſent pueros ſeptẽ, ac totidem uirgines quotannis in* Cretã *miſſuros, qui* Minotauro, *quẽ* Minos *in* Labyrintho Gnoſſi *incluſerat, traderentur.* Marathoniũ *uerò taurum* Theſeũ *fama eſt in arcem egiſſe, ac ipſi deæ mactaſſe, cuius rei imaginem* Marathoniorũ *curia dedicauit.* At Cylonẽ *cur dignũ putarint cui ſtatuam ponerent, comperti nihil habeo, cùm de tyrannide eum conſilia iniſſe conſtet: habitũ tamẽ hunc illi honorem cõijcio, & quòd formæ dignitate præſtiterit, & glo*

Minos

ria fuerit minimè uulgari. Nam in Olympia uictor de iterato ſtadio renunciatus eſt, et Theagenis Megarenſiū tyranni filiā in matrimonio habuit. Præter ea uerò quæ adhuc recenſui, duo ſunt ex prædæ decimis inſignia apud Athenienſes opera: de Perſarū, qui in Marathoniorū fines inuaſerāt, manubijs, Mineruæ ex ære ſignū quod Phidias fecit, in cuius clypeo Lapitharū & Centaurorū pugnā Mys cælauit, cùm eam Myi, & quæ in clypeo ſpectantur reliqua, Parrhaſius Euenoris filius pinxiſſet. Haſtæ cuſpis, et in ſumma galea criſta, à Sunio uſq; adnauigantibus cōſpicua eſt. De Bœotiorū uerò et Chalcidenſiū, qui in Eubœa ſunt, decimis, æneus currus. Duo præterea dona dedicarunt, Periclem Xanthippi filiū, &, quæ omnibus Phidiæ operibus antecellit, Mineruā, quā, quòd à Lemnijs dedicata eſt, Lemniā appellant. Arcē ipſam, præter eam partem quā Cimon Miltiadis filius extruxit, muris cinxiſſe Pelaſgos homines tradunt, qui imam eius partem tenuerunt. Agrolam, & Hyperbiū, de quibus cum ſtudioſe ſciſcitatus fuerim, aliud nihil comperi, quàm è Sicilia eos in Acarnaniā migraſſe. Cùm iam deſcenderis, nō tamen ad inferiores urbis partes, ſed paulò infra propylæa, fontem uideas, & illi proximū Apollinis & Panos fanum, & in eo ipſo ſpecum, in quo cum Creuſa Erechthei filia Apollinem concubuiſſe fama uulgauit. De Pane uerò hæc memoriæ prodita ſunt. Nuncium ad Lacedæmonios de Perſarum in Atticam irruptione Philippidem miſſum: hunc cùm rediſſet, retuliſſe Lacedæmonios minus maturè copias educere, quòd religione impedirentur cum exercitu exire antequā Luna orbem compleſſet: ſibi uerò ad Parthenium ſaltum Pana obuium factum, qui ſe Athenienſibus in pugna ad Marathonem præſtò futurū pollicitus fuerit. Ex eo nuncio

deo honores haberi cœptos. Quæ uerò urbis regio Areopagus dicitur, inde nomen accepit, quòd eo in loco ab initio Mars capitis cauſam dixerit. Nam & Halirrhothium ab eo occiſum, & qua de cauſa, antè expoſuimus. Eodē uerò in loco Oreſti de matris cæde iudiciū eſt conſtitutū. Extat adhuc Mineruæ Areæ (id eſt, deprecatricis) ara, quam Oreſtes iam abſolutus, dicitur dedicaſſe. Scabella ibidem, quæ ſaxa eſſe uidentur, duo ſunt argentea, quibus accuſatores & rei inſident, alterum contumeliæ, impudentiæ alterū uocant. Proximè dearum eſt ædes, quas Athenienſes Seueras, Heſiodus in eo, quem de Gentilitate deorum fecit, carmine, Erinnes nominat: earum ſerpentibus eſſe crinem implicitū, primus omnium finxit Aeſchylus. Nihil tamen uel harum, uel cæterorum, quæ illic poſita ſunt, inferorū numinū ſimulachra, quicquā horribile præ ſe ferunt. Nam Plutonis, Mercurij, & Telluris, ibidem ſunt ſigna, ad quæ rem diuinam faciunt, quicunq; capitis periculo fuerint liberati. Sed alij etiā cùm hoſpites, tum ciues. Intra ſeptum Areopagi, Oedipi monimentum eſt, de quo cùm ſedulò quærerem, eius oſſa Thebis eò deportata comperi: quæ enim de Oedipi morte Sophocles finxit, Homerus facit quo minus uera fuiſſe credam: ab eo enim traditum ſcimus, Meciſteum Thebas profectum ijs ludis, qui ad Oedipi tumulum facti ſunt, decertaſſe. Sunt etiam apud Athenienſes alia iudicia, ſed multò minus illuſtria: eorū unum Parabyſtum, alterum Trigonū nominant. Illud ab obſcuro urbis loco, in quo leuiſſimæ prorſus cauſæ cognoſcuntur: hoc à loci forma nomen ſumpſit. Batrachij uerò & Punicei à coloribus in hunc uſq; diem nomina permanſere. Maximum uerò omnium, & quò frequentiſſimi conueniunt, Heliæam uocant. In eo foro, quod Palladium

gaſſe, cùm de Aiacis cæde culpa uacaret. Et hæc quidē de iudicijs commemorauimus, ut quantæ ea curæ Athenienſibus ſint, intelligi poßit. Non longè ab Areopago nauis oſtenditur ad Panathenæorum pompam fabricata, qua fortaſſe maior alia facilè inueniatur: ea uerò quæ Deli eſt, omnes quas ego norim, magnitudine ſuperat: è foris enim eius nouenis eminēt remigibus tranſtra. In curijs ipſis extra urbem, & in uijs paßim, deorum templa, heroum, & hominū ſunt ſepulchra. Non longè à muris Academia eſt, priuati olim hominis ager, nunc gymnaſium: in cuius primo aditu, intra ſeptum quoddam Dianæ pulcherrimæ & optimæ ſigna uiſuntur. Eſſe uerò ea Dianæ cognomina, & ipſe conijcio, & Sapphûs carmina teſtantur, de quibus nihil hoc loco attinet dicere, cùm multa tamen tradita ſint. Eſt & Bacchi Liberatoris ædes non ſanè magna, in quam ſtatis diebus quotannis dei ſignū deportant. Iam uerò inter ſepulchra, primum obtinet locum Thraſybuli Lyci filij, uiri Athenienſium omniū qui ante ipſum fuere, quiq; ſunt eius ætatē conſecuti, omni laudum genere præſtantißimi: de quo, cùm nihil nunc neceſſe ſit omnia cōmemorare, unū tamen, ex quo ſit eius uirtus teſtata, non prætermittam. Is triginta tyrannorum dominatū initiò cum ſexaginta non amplius ſocijs, Thebis profectus, euertit, & Athenienſibus diuturnis ſeditionibus penè afflictis, compoſitionis & concordiæ autor fuit. Alij deinceps ſunt tumuli, Periclis, Chabriæ, & Phormionis. Eſt etiam ſuum omnibus qui aut naualibus, aut terreſtribus prælijs pro patria mortem oppetiere, monimentum, ijs exceptis qui ad Marathonem ceciderunt: illis enim eodem quo occubuerunt loco ſepulchra ad uirtutis memoriam erecta. Alij omnes in uia ſunt quæ ad Academiā ducit,

ſepulti, ac pilæ tumulis impoſitæ, cũ elogijs nomen cuiuſq; et curiam teſtantibus. In primis eorũ ſepulchra ſpectantur, quos, cùm Thraciam iam omnem ad Brabiſcum uſq; occupaſſent, Edoni de improuiſo adorti interemerũt: quos ipſos etiam fulminibus ictos perijſſe dicunt. Duces & alij ibi ſiti ſunt, & Leagrus, cui copiæ omnes fuerant commiſſæ: & Decelenſis Sophones, qui Eurybaten Argiuũ de quinq; in Nemea certaminibus uictorem Aeginetis opem ferentem occidit. Et hunc quidem extra Græciam tertium exercitum Athenienſes miſiſſe conſtat: nam Priamo et Troianis Græci omnes communi conſenſu bellum intulerunt: Athenienſes uerò ductu proprio in Sardiniam primùm, deinde in Ioniam, tertiò in Thraciam arma promouere. A fronte monimenti columna eſt, in qua pugnantes equites duo cernuntur, quorum uni Melanopo, alteri Macartato nomen: qui aduerſus Lacedæmonios & Bœotios dimicantes, in ipſis Eleuſiniorum & Tanagræorum finibus cecidere. Extant & Theſſalorũ equitũ tumuli, qui pro uetere amicitia Athenienſibus auxilio uenerunt, cùm in Atticam Peloponneſij, duce Archidamo inuaſiſſent: ac ſecundùm eos Cretenſium ſagittariorum: Athenienſiũ rurſus, Cliſthenis primùm, qui certa iura, quæ adhuc conſeruantur, in tribus deſcripſit. Equitũ deinde eorũ, qui in eadem cũ Theſſalis pugna ceciderũt. Eodem etiã in loco Cleonæi iacent, qui cum Argiuis in Atticã uenerunt. qua autem de cauſa uenerint, tunc exponam, cùm ad Argiuorum res deſcenderit hiſtoria. Et Athenienſiũ ibi ſunt tumuli, eorũ qui ante Perſicum bellum cum Aeginetis pugnarunt. Aequitatis autem pleniſsimum illud plebiſcitũ fuit, quo publicæ ſepulturæ honor eſt cum ſeruis communicatus: eorumq; nomina columnis inciſa ſunt, quòd fideliter &

ter & ſtrenuè dominis in prælio operam ſuam nauaſſent. Sunt & aliorum uirorum monimenta, qui diuerſis in locis pugnantes ceciderunt: clariſſimi uerò omnium qui ad Olynthum pugnarunt. Ibi uideas & Meleſandri monimentũ, qui nauibus aduerſo Mæandro in ſuperiorem Cariam contendit. Ibidem conditi ſunt, qui Caſſandri bello occubuerũt, Argiuis opem ferentes. Huius uerò ſocietatis cũ Argiuis hanc fuiſſe cauſam tradunt. Sparta terræmotu concuſſa, Hilotes, publicæ ſcilicet operæ, captiui Meſſenij, in Ithomen ſeceſſerunt. Fecit ea defectio ut Lacedæmonij & ab alijs, & ab Athenienſibus auxilia poſcerẽt. Miſſi ſunt itaq; lectiſſimi uiri cum Cimone Miltiadis filio: ſed eos Lacedæmonij, quòd ſuſpectos haberent, remiſerũt. Vbi igitur illi domũ rediere, Athenienſes ea contumelia grauiter commoti, cum Argiuis Lacedæmoniorum hoſtibus fœdus fecerunt. Cùm uerò ad Tanagram cum Beotijs & Lacedæmonijs eſſent Athenienſes prælium commiſſuri, auxilia illis quidem Argiui miſerunt: neq; multũ abfuit quin ex acie ſuperiores diſcederent. Verùm nox, quo minus utri uiciſſent cerni poſſet, obſtitit. Poſtero uerò die Theſſalorũ equitum proditione, à Lacedæmonijs Athenienſes uicti ſunt. Sed eorum ducum, quorum in eo loco monimenta extant, longè clariſſimus Apollodorus mercenariorum dux, qui cùm Athenienſibus eſſet ab Ariſto eius Phrygiæ, quæ ad Helleſpontum eſt, ſatrape, cum auxilijs miſſus, Perinthiorum ciuitatem, eius fines Philippo cum exercitu ingreſſo, ſeruauit. Eſt igitur illic cum Eubulo Spintheri filio ſepultus: alij etiam quorum uirtuti fortuna fuit iniquior: eorum enim alij cùm in Lacharem tyrannum coniuraſſent, alij uerò cùm de eijciendo ex Piræeo Macedonum præſidio conſilia inijſſent, priuſquàm negocium confi-

cerent, conſciorum indicio oppreßi ſunt. Siti etiam ibi ſunt qui ad Corinthũ ceciderũt, ubi facilè declararũt dij, quemadmodum & pòſt in Leuctrica pugna, nihil intereſſe ſpectata quenquam uirtute eſſe, eius conſilijs fortuna ſi nõ reſpondeat: nam Lacedæmonij, qui Corinthios antè, Athenienſes, Argiuos, & Bœotios armis domuerant, ad Leuctra tam ingenti clade à ſolis Bœotijs afflicti ſunt. Poſt eorum tumulos qui ad Corinthum periere, columnã unam multis erectam eſſe inſcripti elegi teſtantur: hos enim in Eubœa, illos in Chio, quoſdam in extremis continentis Aſiæ finibus, alios in Sicilia cecidiſſe indicant. Duces etiam adſcripti ſunt, præter Niciam, & Platæenſes milites unà cum oppidanis. Niciã quidem præteritum non aliam ob cauſam, quàm Philiſtus prodidit, crediderim: ſcribit enim ille, Demoſthenem in deditione facienda, ſe unum excepiſſe, ac priuſquàm in hoſtiũ poteſtatem ueniret, ſibi ipſi manus conſciſcere conatum. Niciam uero ultrò deditionem feciſſe, eamq; ob rem nomẽ adſcriptum non eſſe, quòd ſe cùm hoſtibus dedidiſſet, quod imperatore ac forti uiro dignum eſſet non fecerat. Sunt in alia columna inſcripti qui in Thracia, & ad Megaram pugnarunt, quiq; cum Alcibiade fuerunt, cùm eius autoritatem ſecuti, Arcades, qui Mantineam tenent, & Elei à Lacedæmonijs defeciſſent, & qui ante Demoſthenis in Siciliam aduentum, Syracuſanos uicerunt. Sepulchra etiam eorum uiſuntur, qui ad Helleſpontum nauali prælio conflixerunt, et qui ſteterunt contra Macedonas in Chæronea, quiq; ſub Cleone ad Amphipolim meruerunt. Ad hos, qui ad Deliũ in Tanagræorum finibus ceciderunt, & quos in Theſſaliam Leoſthenes duxit, & qui cum Cimone in Cyprum nauigarũt: illi etiam qui Olympiodorum ſecuti tredecim nõn amplius uiri, Ma-

ri, Macedonum præſidium eiecerunt. Ferunt Athenienſes *Romanis aliquando ſe finitimum quoddam bellum gerentibus auxilia non ſanè magna miſiſſe: triremes etiam quinque* Atticas *nauali prælio contra* Carthaginienſes *interfuiſſe: ſua igitur ijs etiam militibus ſunt monimenta*. Tolmidæ *uerò, & militum eius res geſtas, quoq; modo interierint, ſuperius expoſuimus: eorũ etiã, ſi quis fortè id noſſe aueat, in eadem uia ſepulchra ſunt. Siti præterea illic ſunt, quorũ magna extitit* Cimone *duce bellicæ uirtutis & perilluſtris gloria: eodem enim die hoſtes ad* Eurymedontem *terreſtri prælio naualiq; ſuperarunt.* Conon *exinde, &* Timotheus *ibidem ſepulti, qui poſt* Miltiadem *&* Cimonem *primi, pater & filius res magnas & præclaras geſſerunt. Conditi ibi etiam ſunt* Zeno Mnaſei *filius,* Chryſippus Solenſis, Nicias Nicomedis *filius in pingendis animalibus ætatis ſuæ longè præſtantiſsimus:* Harmodius *et* Ariſtogiton, *qui* Piſiſtrati *filium* Hipparchũ *occiderunt. Oratores uerò* Ephialtes, *qui* Areopagi *inſtituta, ut qui maximè peruertit:* Lycurgus Lycophronis *filius, qui talentorũ ſex millia & amplius quingenta plus quàm* Pericles Xanthippi *filius coëgerat, in ærarium intulit: idemq; ad* Mineruæ *pompas ornamenta multa, & aureas uictorias comparauit, ac uirginibus centum mundum dedit. Ad belli autem uſus ſcutorum & iaculorum numerum auxit, claſſem ſuppleuit, ut quadringenta triremes ad nauales pugnas deduci poſſent. Inter opera uerò quæ exædificauit, theatrum eſt, quod cùm alij inchoatum reliquiſſent, ipſe abſoluit: ac dum reip. præeſſet, nauale in* Piræeo, *& eo in loco quod* Lycium *dicitur, gymnaſium erexit. Ac opera quidem ex auro & argento, quæ ille dedicarat,* Lachares *tyrannus ſuſtulit: ædificia permanent. In pri-*

mo Academiæ aditu, Amoris eſt ara, cũ inſcriptione, Charmum Athenienſium primùm Amori dedicaſſe. Eam enim aram quæ intra urbem eſt, quam appellant Anterotis, inquilinorum donum fuiſſe dicunt, ac dedicationis huiuſmodi cauſam extitiſſe: Meles Athenienſis amatorem ſuum Timagoram inquilinum hominem faſtidiens, per contemptum, ut de ſummo ſaxo ſe abijceret, iuſsit. Timagoras, qui ſemper omnia quæ puer imperaret facienda putaſſet, animam etiam ipſam facilè profudit: unde enim iuſſus erat, impigrè ſe præcipitem dedit. Meleten uerò re cognita ſuæ in illum acerbitatis adeò pœnituit, ut ex eodem ſeipſum etiã ſaxo deiecerit. Ex eo tam atroci rei euentu ab inquilinis, ut in eo ipſo loco Anteros genius Timagoræ Amoris uindex coleretur, inſtitutum. In Academia Promethei ara eſt, à qua homines in urbem accenſas lampades præferentes decurrunt: in eo enim certamen eſt, ut accenſæ conſeruentur: cuius enim fax extincta fuerit, is uictoria ſucceſſori cedit: eademq; ratione ille tertio. Quòd ſi nulli ardentem perferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur. In eadem Academia Muſarum ſunt & Mercurij aræ, interius Mineruæ, ſua etiam Herculi. Olea inter hæc ſpectatur, quæ ſecunda fertur è terra prodijſſe. Non longè ab Academia Platonis eſt monimentum, cuius in Philoſophiæ ſtudio præſtantiam diuinitus ſignificatam tradunt: Socratem enim ea nocte, quam dies ille eſt conſecutus, quo ſe Plato in eius diſciplinam tradidit, uidiſſe per quietem cygnum ſibi in ſinum aduolaſſe. Cygnum autem canoram maximè auem eſſe uulgò creditur. Cygnum enim Ligurum, qui in Gallia Tranſpadana ſunt, regem Muſicæ laude clarum fuiſſe memorant: eum cùm deceſsiſſet, ab Apolline in ſui nominis auem mutatum.

Cygnus

mutatum. Ego uerò apud Ligures regnaſſe in Muſicis ſolertem hominem, ut credam facilè adduci poſſum: ſed hominem in auem mutatũ minimè fide dignum uideri poteſt. In hac agri parte Timonis eminet turris, illius nempe, qui ſolus nouit, felicitatis compotem eſſe non poſſe, qui hominum aliorum conſuetudinem non defugiſſet. Oſtenditur etiam locus, quod Equeſtre iugum appellant, in quam Atticæ partem Oedipum primùm ueniſſe ferunt, qui de eo diuerſa ab Homeri carminibus memoriæ prodiderũt. Ibi & equeſtris Neptuni, & equeſtris Mineruæ aras, ac Pirithoi, Theſei, Oedipi, Adraſti uideas heroica monimenta. Neptuni lucum ac templum Antigonus incendit, quo tempore cum exercitu in Atticam inuadens, alias etiam eius partes magnis affecit calamitatibus. Paruæ Atticæ curiæ, quæ paſſim, uti ſors tulit, incoluntur, hæc nobis quæ literis mandemus præbent. Apud Halimuſios Cereris Legiferæ, & Proſerpinæ fanum eſt. In Zoſtere prope mare Mineruæ, Apollinis, Dianæ, & Latonæ templa ſunt: ac Latonam quidem hìc peperiſſe negant: ſed cùm non longè pariundi tempus abeſſet, zonam ſoluiſſe dicunt, inde loco nomen inditum. Proſpaltij Cereris & Proſerpinæ ædem habent. Anagyraſij Matris Deûm delubrum. Apud Cephalenſes, Caſtores præcipua quadam coluntur religione, Magni enim Dij ab ijs appellantur. In Praſienſibus Apollinis eſt templum, quo Hyperboreorum primitias mitti tradunt: eas enim Hyperborei Arimaſpis committunt, Arimaſpi Iſſedonis: ab ijs acceptas Scythæ Sinopen, inde ad Praſienſes Græci deportant: eas deinde Delon Athenienſes mittunt. Inuolutæ illæ quidem triticea ſtipula ſunt, neque eas cuiquam fas eſt intueri. Apud eoſdem Praſienſes Eryſichthonis monimen-

Antigonus

Minerue

tum eſt,qui cùm è Delo, quô cum ſacris uenerat, domum reueheretur, in ipſo nauigationis curſu è uita deceßit. Cranaum uerò Athenienſium regem ab Amphictyone genero regno pulſum, antè diximus: confugientem illum quidem cum ſuis copijs ad Lamprenſes,diem ſuum obiſſe,& eodem in loco ſepultum tradunt. Cranai certè monumentum in Lamprenſibus extat.Ionis quoq; Xuthi filij(in Attica enim is habitauit, & in bello aduerſus Eleuſinios Athenienſium dux fuit)in ea Atticæ curia cui Potami nomen, tumulus eſt. Et hæc quidẽ apud incolas uulgata.Phlyenſes uerò et Myrrhinuſij, Apollinis Dionyſodoti & Dianæ Luciferæ aras oſtendunt,Bacchi Floridi,Iſmenidum Nympharum,& Telluris, quam Magnam deam appellant. In altero uerò templo,Cereris Aneſidoræ, Iouis Cteſij,Mineruæ Titrones,& Proſerpinæ Primigeniæ,& dearum quas nuncupant Seueras.Myrrhinunte Colænidis eſt ſignum.Athmonenſes Amaryſiam Dianam colunt,de qua percunctatus,neminem nanciſci potui qui eius nominis cauſam explicaret. Quantum uerò ipſe coniectura aſſequor,Amarynthus Eubœæ oppidum eſt, ibi Amaryſia Diana colitur: & ipſi etiam Athenienſes Amaryſiæ Dianæ feſtum diem agitant nihilo quàm Eubœi minore celebritate. Inde igitur ad Athmonenſes nomen manaſſe crediderim. Colænidem uerò quæ Myrrhinunte eſt, à Colæno dictam exiſtimo. Diximus autem & alibi, ex Atticæ curijs multos eſſe, qui Athenis ante Cecropem regnatum affirment. Colænus itaque, ut Myrrhinuſij credi uolunt, ante Cecropem in Attica regnauit. Eſt & Acharnæ Atticæ curia: hi Agyæum Apollinem, & Herculem uenerantur,& ijdem Mineruæ Soſpitæ aram habent. Equeſtrẽ uerò Mineruã & Canentẽ cognomine Bacchum

chum uocant: eundem etiam deum Hedereum, eo enim primùm in loco hederæ plantam uiſam tradunt. Montes in Attica ſunt, Pentelicus, ubi lapidicinæ: Parnes, qui aprorum & urſorum luculentã uenatoribus copiam præbet: Hymettus paſtiones habet apibus omnium aptiſſimas, quæq; ſolis cedunt Halizonũ paſcuis. Apud Halizones certè adeò manſuetæ ſunt apes, ut cum hominibus unà pabulatũ exeant, ac liberè uagentur, quippe quæ aluearibus nullis contineantur: paſſim uerò opus faciunt, illudq; ita concretum, ut mel à cera nequeas ſeiungere. Hæc quidem ita ſe habent. Deorũ uerò ſigna in Atticæ montibus hæc ſunt: In Pentelico Mineruæ, in Hymetto Hymettrij Iouis, Pluuij etiã Iouis, & Apollinis Præſagi aræ: in Parnethe Parnethius Iupiter ex ære, & Semelei Iouis ara. Eſt item ara ibidem alia, ad quã Ioui, quẽ modò Pluuium, modò Innoxium appellant, rem diuinam faciunt. Anchesmus etiam mons eſt non ſanè magnus, & in eo Iouis Anchesmij ſignum. Sed antequàm ad inſulas ſtylum conuertam, quæ ad Atticæ curias pertinent, accuratius perſequar. Marathon curia pari ſpatio ab Athenis abeſt, & Caryſto Eubœæ oppido. In hanc olim Atticæ partem Perſæ primùm irrupuerunt, ac prælio fuſi, non paucas in ipſa fuga naues amiſerunt. In huius regionis campis tumulus eſt Athenienſiũ qui in pugna ceciderũt, & ex eo pilæ eminent, in quibus cæſorum nomina, & tribus inſcriptæ ſunt. Alter item apud Platæenſes Bœotia eſt, in quo ſerui conditi ſunt: tunc enim primùm ſerui ſtipendia fecerunt. Seorſum uerò monimentum eſt Miltiadis Cimonis filij, cuius uirtuti cùm non ſatis ſecunda fortuna, dum Paron obſideret, reſpondiſſet, non ita multò pòſt quàm populi inuidia damnatus eſt, è uita deceſſit. In his ipſis campis audiuntur per totã noctem

equorum hinnitus, & pugnantium etiam uirorum ſpecies cernuntur. atq; hæc quidem, qui de induſtria auditum ſpectatumue uenerint, male multati abeut: ex ira uerò maniū, ijs qui fortuitò id animaduerterint, nihil omnino unquā triſte accidit. Honorē Marathonij præ cunctis, ijs habent, qui in pugna occubuerunt, heroasq; eos appellant: multò uerò maximum Marathoni, à quo eſt Curiæ cognomen: & poſt eum Herculi, cuius ſacra ſe primos inſtituiſſe dictitant. Accidit autem ut in ea pugna (ut illi memorāt) uir quidam ſpecie atq; habitu agreſti opem tulerit, qui cùm ex Barbaris quāplurimos aratro interemiſſet, repentè euanuit: neq; uerò, quærentibus quiſnam ille fuiſſet Athenienſibus, aliud reſpondit oraculum, quàm ut Echetlæum heroa colerent. E candido uerò lapide eo in loco trophæū erexerunt. Ac Perſæ quidem, in pugna cæſis ut humarentur ſe curaſſe dicunt, quòd ſemper pium eſſe exiſtimarint mortuos terræ mandare. Verum ego neq; tumulū, neq; aggerem ullum, nec aliud ſepulturæ ueſtigium offendi: eos itaq; ſuſpicari poſſum in foueam quampiam, ut fors tulit, abiectos. In Marathone Macaria fons eſt, de quo hæc memoriæ prodita ſunt: Herculem Euryſtheum fugientem, ad Ceycem Trachiniorum regem amicum ſibi hominem ueniſſe: eo mortuo, Euryſtheum eius ſibi liberos tradi poſtulaſſe: Trachinium uerò cùm propter opum tenuitatem bellum ſuſtinere ſe poſſe diffideret, Athenas eos ad Theſeum miſiſſe, à quo pueros defendi poſſe ſperaret. Cùm igitur ij ſupplicum habitu ueniſſent, Peloponneſios ferunt, quòd Theſeus petenti Euryſtheo pueros dedere conſtantiſsimè recuſaſſet, Athenienſibus bellum intuliſſe: oraculum monuiſſe uictoriam in ſpe fore, ſi ſe unus ex Herculis liberis ultro deuouiſſet: ibi Macariam Herculis

culis ex Deianira filiam, cùm ſibi mortem conſciuiſſet, & uictoriæ compotes Athenienſes feciſſe, & fonti nomen dediſſe. Eſt etiam in Marathone lacus, magna ex parte cœnoſus, in quem per uiarum errorem fugientes Perſas irruiſſe, & quamplurimos in ipſa fugæ trepidatione cæſos dicunt. Supra eum lacum lapidea præſepia Artaphernis equorum ſunt, & in ſaxo tabernaculi ueſtigia. E lacu amnis effluit, ad cuius caput aquæ pecori aptiſſimæ ſunt: nō longè uerò à mari ſalſæ, & marinis piſcibus refertiſſimæ. Modico à Marathonijs campis interuallo mons eſt, in quo hæc ſunt quæ ſpectentur digniſſima: Specus, cuius eſt ingreſſus perangustus: ubi uerò penetraris, & cellas uideas, & lauacra caprarum etiam, ſtabulum, quod Panos appellant: tum ſaxa, caprarum propémodum forma. A Marathone non multum abeſt Brauron, quô Iphigeniam Agamemnonis filiam cum Taurica Diana primùm appuliſſe, eáq; ibi relicta, Athenas, & deinde Argos ueniſſe perhibent. Eò quidem in loco uetus eſt Dianæ ſignum. Qui uerò è Barbaris populis Tauricæ Dianæ ſignum habeant, ſententiam ea de re meam in alia hiſtoriæ parte exponam. A Marathone ſtadia LX. Oropum uerſus per litus progreſsis Rhamnus occurrit, ubi & hominum ſunt ædes, & Nemeſis Deæ fanum. Hæc ſe deorum una maximè inſolentioribus hominibus implacabilem præbet: & eius in primis ira Barbaros ad Marathonem afflictos putant. Cùm enim illi Athenienſium opes contemnerent, Parium marmor, ac ſi hoſtem iam uiciſſent, trophæi erigendi cauſa in hæc loca deportandum curarant: ex eo Phidias Nemeſis ſignum fecit, in cuius capite corona ceruos habet, & Victoriæ ſigilla: ipſa læua fraxini ramum, dextera phialam tenet. In phiala Aethiopes cæ-

lati ſunt, de quibus neq; quid ipſe conijciam habeo, neq; eorum tamẽ, qui ſe rem intelligere profitentur, opinioni aſſentior. Aethiopes in phiala factos ad Oceanum amnem ſignificandum: ad ipſum enim Aethiopas accolere, et eundem Nemeſis patrem eſſe. Nam ad Oceanũ, nõn ſanè flumen, ſed extremum mare, quô nauibus ſcilicet peruadi poßit, accolunt Hiſpani, & Galli, et in eo Britannia inſula eſt: ſupra Sienem ad mare Rubrum Ichthyophagi, à quibus ſinus is, quem circumquaq; tenent, Ichthyophagus appellatur. Hominum uerò iuſtißimi Meroën, & campos qui Aethiopici uocantur, incolunt. Menſam hi Solis oſtentant. Sed neq; mare, neq; flumen omnino aliud quàm Nilum habent. Sunt & alij Mauris finitimi Aethiopes, ad Naſamonas uſq; pertinentes. Naſamones quidem ipſi, quos Atlantas Herodotus eſſe exiſtimauit, qui orbis terræ ſpatia noſſe profitentur, Loxitas appellant, qui in extremis Libyæ finibus Atlantem incolunt: ferunt autem omnino nihil, ſed agreſtium tantùm uitium fructu aluntur. Verùm neq; hi Aethiopes, neq; Naſamones ullos habent amnes: quæ enim ab Atlante aqua defluit, etſi in alueos tris diſcedit, nunquam tamen in modum iuſti fluminis creſcit: quicquid enim aquæ extitit, ſtatim arena abſorbet. Ex quo facilè intelligi poteſt, non amnis, ſed Oceani maris Aethiopes accolas eſſe. Et aqua quidem quæ ex Atlante deſcendit, turbulenta eſt, circaq; eius fontes Crocodili gignuntur nihilo cubitalibus minores, qui ubi propius homines accedere ſenſerint, in fontem ſe demergunt: quæ res effecit, ut nonnulli ſuſpicarentur, ab hac ipſa aqua è medijs arenis emergente, Nilum, qui Aegyptum præterfluit, oriri. Atlas mons adeò celſus eſt, ut uertice cœlum tangere dicatur: inacceſſus ille quidem, uiam undiq; aquis & arborum cre-

britate

britate intercludente. Ab ea itaq; duntaxat parte quæ Naſamones ſpectat, cognoſcitur: ad maritimam enim eius oram neminem adhuc nauibus acceßiſſe comperimus. Sed ut unde digreſſa eſt redeat oratio, Nemeſis neq; hoc, neq; aliud uetus ſignum, alas habet. Apud Smyrnæos, quæ maxima cum religione coluntur eius deæ ſigna, alas habere poſtea animaduerti: cuius rei eam eſſe cauſam ſuſpicor, quòd cùm eius numen ad amatores maximè pertineat, idcirco ei ut Cupidini alas addunt. Sed ea iam quæ in ſigni baſi ſunt, exponam, ſi unum prius, quò res tota clarior fiat, explicauero. Helenæ matrem fuiſſe Nemeſim Græci dicunt, Ledam uerò nutricē: nam patrem omnes Iouem, non Tyndarū perhibent. Quæ cùm Phidias noſſet, Ledam ea ſpecie fecit, ut Helenā ad Nemeſim adducere uideatur. Addidit Tyndarum & filios, hominem præterea cum equo aßiſtentem, quem Equitem appellant. Adſunt Agamemnon, Menelaus, & Pyrrhus Achillis filius, quòd ei primùm Hermione Helenæ filia deſponſa fuit. Oreſtes uerò ob impium in matrem facinus præteritus eſt: quem tamen Hermione nunquā deſeruit, cùm filium etiā ei peperiſſet. In baſi deinceps eſt, quem Epochum dicunt, & alter item adoleſcens, de quibus aliud accepi nihil, niſi eos Oenoës fratres fuiſſe, à qua eſt curiæ nomen. Oropium autem agrum, qui medius eſt inter Atticam & Tanagræos, òlim tenebāt Bœoti: ætate noſtra in Athenienſiū poteſtate eſt. Nam cùm diu Athenienſes de eo dimicaſſent, nō antè potiti ſunt, quàm eum à Philippo, cùm Thebas ille expugnaſſet, acceperunt. Vrbs quidem ipſa, cui Oropus nomen, ad mare ſita eſt, nihil uerò hiſtoria dignum præ ſe fert. Longè ab ea circiter XII. ſtadia Amphiarai templum eſt, quo ſcilicet loco Thebis fugientem cum curru abſorptum terræ hiatu fe-

runt. Sunt qui id accidiſſe dicant in uia qua Thebis Chalcidem iter eſt, qui locus Harma nunc etiam, id eſt, Currus dicitur. In deorũ uerò numerũ Amphiaraum primi omniũ Oropij retulerunt, quos reliqui Græci ſecuti ſunt. Poſſum etiã alios recenſere, quibus cùm homines antè fuiſſent, Græci diuinos honores poſt mortem habuerunt, quibusq; etiã urbes dedicatæ fuerũt: ut Eleũs in Cherroneſo, Proteſilao: in Bœotia, Lebadea Trophonio: apud Oropios templum Amphiarao, & eidem è candido lapide ſignũ. Ara quidem eius in parteis diſtributa eſt quinq;: earum una Herculi, Ioui, Apollini Pæonio: altera heroibus, eorumq; uxoribus: Veſtæ tertia, Mercurio, Amphiarao, & Amphilochi filijs (nam Alcmæon propter Eriphyles cædem, in nullam aut Amphiarai, aut Amphilochi honorũ partem receptus eſt.) at quarta aræ pars Veneri Panaceæ, Iaſæ, Hygeæ, Mineruæ Pæoniæ: quinta nymphis, Pani, Acheloo, & Cephiſo amnibus ſacra eſt. Amphilocho in ipſa urbe apud Athenienſes ara ſua eſt. In Ciliciæ uerò urbe Mallo eiuſdem oraculum, quod omnium eſt, quæ ætate mea extant, minimè fallax. Eſt etiam apud Oropios fons templo proximus, quem Amphiarai nuncupant, ad quem neq; diuinam rem faciunt, neq; aut ad luſtrandũ, aut ad manus lauandas, aqua ea uti fas putãt: ſolum, qui morbo oraculi monitu leuati fuerint, ſignatũ aurum argentũmue more maiorum in fontem abijciunt: hinc enim iam deum Amphiaraum aſcendiſſe tradunt. Iophon autem Gnoſius, qui uatum oracula heroicis uerſibus expoſuit, Amphiaraũ conſulentibus Argiuis, cùm Thebas profecturi eſſent, his uerſibus reſpondiſſe, memoriæ prodidit. Sed nimirum quod uulgi opinione receptum eſt, peruicaciter defenditur. Præter eos enim, quos diuino afflatu futura prædixiſſe

dixiſſe antiquitas teſtata eſt, nemo omnino fatidicus fuit: nam reliqui aut ſomniorũ interpretes fuere, aut auium uolatus & exta inſpiciendi peritiam profitebantur. Quo fit, ut Amphiaraum cõiectandis ſomnijs in primis ſolertem fuiſſe ſuſpicer: conſtat enim illum, ſomniorum diuinatione tradita, tum demum in deorum numerum relatum. Conſulendi quidem cauſa qui accedũt, luſtrãtur omnes. Pro piaculo res diuina eſt, quam cùm Amphiarao ipſi faciunt, tum cæteris, quorum in eadem ara inſcripta ſunt nomina. Deinde arietem immolant, cuius ſubſtrata pelle dormientes, nocturna uiſa expectant. Inſulæ terræ Atticæ non longè ab ipſo littore diſtant: earũ una Patrocli dicitur, de qua, quæ hiſtoria digna uiſa fuerunt, antè comemorauimus. Altera ſupra Sunium eſt, ad læuam in Atticam nauigantibus, ad quam poſt Ilij euerſionem Helenam appuliſſe ferunt, & idcirco Helenen appellatam. Salamis è regione Eleuſinis ſita, ad Megarici etiam agri fines pertinet: huic à Salamine Aſopi matre nomen inditum tradunt: Æginetas poſtea in eam à Telamone deductos: traditam poſtea Athenienſibus à Phylæo Euryſacis filio Aiacis nepote, cùm ab ipſis fuiſset ciuitate donatus. Salaminios uerò multis pòſt annis Athenienſes eo nomine damnatos, quòd diſsimulanter male rem geri concupiſsent, dum bellum cum Caſsandro gereretur, & in Caſsandrum ac Macedonas propenſo animo fuiſsent, urbe deleta, è ſuis ſedibus eiecerunt. Aſcetaden etiam, qui prætor inſulam obtinuerat, capitis damnarũt, ac ſibi iureiurãdo eius proditionis memoriam ſempiternam ſanxerunt. Spectantur hac etiamnum ætate fori ruinæ, & inter eas Aiacis templum cum ſtatua ex ebeno. Decreti quidem Aiaci & Euryſaci eius filio ab Athenienſibus honores adhuc ma-

nent. Euryſacis Athenis etiam ara eſt. Oſtenditur Salamine non longè à portu ſaxum, ſuper quo Telamonem conſediſſe aiunt, cum nauem, qua Aulidem filij ad Græcorum claſſem uecti ſunt, oculis proſequeretur. Tradunt incolæ, poſt Aiacis interitum, apud ſe primùm florem enatum, candidum, rubentem modicè, lilio cum cæteris partibus tum folijs minorem, inſcriptum uerò iiſdem, quibus Hiacynthum, literis. Audiui quidem quæ Aeolenſes, qui Ilium poſt eius euerſionem tenuerunt, de armorum iudicio produnt, atq; illud in primis. Poſt Vlyſsis naufragia, arma, de quibus certamẽ fuerat, ad Aiacis ſepulchrum tempeſtate delata. De Aiacis uerò magnitudine narrauit mihi Myſus quidam, ſepulchrum eius, qua parte ad litus conuerſum eſt, maris alluuione multò aditu facilius effectum. Inde uerò, aiebat, de Aiacis magnitudine me coniecturam capere poſſe, quòd genuum uertebræ, quas molas medici appellãt, diſci inſtar eſſent eius, quo athletæ ij, qui ſunt Quinquertiores appellati, utũtur. Equidem Gallorũ, qui in extremis orbis terræ partibus habitãt, finitimi deſertis præ nimio frigore regionibus, quos Cebarenſes nominant, nihil ſum magnitudinem admiratus: neq; enim apud eos cadauera uideas maiora ijs, quæ oſtendunt Aegyptij. Quæ uerò in hoc genere maximè admiratione digna mihi uiſa ſunt, ea cõmemorare nõ grauabor. Apud Magneſios, qui ad Lethæũ ſunt, quidam fuit Protophanes, qui de pancratio & luctà eadem die in Olympia uictor eſt renunciatus: in huius ſepulchrum aliquando latrones prædæ ſpe ducti penetrarunt, poſt illos alij multi ut cadauer duntaxat ſpectarent: eius certè coſtæ, non ita ut cæterorum hominum, diſcretæ fuerunt, ſed pro illis continens os habuit ab humeris ad eas coſtas, quas medici nothas nuncupant. Apud

Mileſios

Mileſios uerò ante ipſam urbem eſt Lade inſula: ea rurſus in duas paruas ſcinditur inſulas: earum alteram Aſterij dicũt, quòd fuerit in ea ſepultus Aſterius Anactis filius. Anactem Terræ filiũ fuiſſe tradunt: cadauer eius nihilo eſt decẽ cubitis breuius, quod uerò mihi magnæ fuit admirationi. In ſuperiori Lydia non magna urbs eſt, quæ Temeni porta dicitur: ibi ambeſo tempeſtatibus ſepulchro, oſſa detecta ſunt, quæ niſi humanorũ oßium figuram retinuiſſent, propter magnitudinem nemo ea hominis fuiſſe, ut crederet, adduci facilè potuiſſet. In uulgus repentè ſermo manauit Geryonæ illud cadauer eſſe Chryſaoris filij: ſoliumq́; eius fuiſſe, quod in montis fragmento exciſum cernebatur. Torrentem uerò qui proximè allabitur, Oceanũ appellari aiebant: addebant etiam, agricolas boum cornua ſæpe inter arandum eruere ſolitos, quòd ſcilicet Geryonem eximia ſpecie boues aluiſſe fama uulgaſſet. Quorum opinioni cùm ego neutiquam aſſentirer, Gadibus habitaſſe Geryonem dicebam, neque ullum eius monimentum extare, arborem tantùm oſtendi, cuius admodum eſſet uaria ſpecies. Ibi è Lydis antiquitatis periti homines, quæ uero propiora ſunt, diſſeruerunt: Hylli cadauer illud eſſe: fuiſſe uerò Hyllum Terræ filium, à quo regionis fluuius nomen acceperit: & Herculem propter Omphales conſuetudinem filium de fluminis nomine appellaſſe. Salamine (ut unde fueram digreſſus redeam) Dianæ templum eſt, & trophæum, in memoriam eius uictoriæ, cuius Themiſtocles Neoclis filius Græcis omnibus autor fuit. Erectum Cychreo etiam templum: cõmiſſo enim cum Perſis prælio, dracone inter naues conſpectũ memorant, de quo ſciſcitantibus Athenienſibus, Cychreũ fuiſſe heroa Apollinem reſpondiſſe. Ante Salaminem inſula eſt,

cui Pſyttalia nomen: in eam ex Perſarum exercitu quadringentos deſcendiſſe proditum eſt. Deleta uerò Xerxis claſſe, cùm eòdem Græci tranſmiſiſſent, omnes ad internitionem cæſos. Signum in inſula nullum quidem extat, arte expolitũ: Panos tantùm quædã rudia ſunt. Quà Eleuſinem iter eſt, per eam uiam quam ſacram appellant, Anthemocriti monimentum conſpicitur, quem uiolato iure gentium, per ſummum nefas Megarenſes occidère, cùm fœcialis edictũ miſſus fuiſſet, ne ſacrã illi terram colerent: ſed inexpiabiles in hunc uſq; diem læſi numinis pœnas dederunt: ſolos enim ex omnibus Græcis, ne Adrianus quidẽ Imperator ſubleuauit. Poſt Anthemocriti cippũ, Moloßi tumulus eſt, cui imperiũ Athenienſes decreuere, cùm in Eubœam Plutarcho auxilia mittenda cenſuerunt. Vicus propè eſt, cui Scirum nomen. Appellationis huiuſmodi cauſa prodita eſt: Dum Eleuſinij bellum cum Erechtheo gererẽt, uate uſi ſunt Dodonæo, cui Sciro nomen: is Sciradis Mineruæ uetuſtum templum in Phalero dedicauit, cumq; in pugna cecidiſſet, ſepultus eſt nõ longè à torrenti amne: locus itaq; & amnis ab heroë nomen habent. Propè uiſitur Cephiſodori monimentum, qui cùm populo præeſſet, Philippo Demetrij filio Macedonum regi uehementer reſtitit: & cum Athenienſibus Myſorum regem Attalum, & Aegyptiorũ Ptolemæum, ex liberis uerò Gentibus Aetolos, ac inſularum incolas Rhodios & Cretenſes, amicitia & ſocietate coniunxit. Verùm cùm è Myſia, Aegypto et Creta ſerius auxilia mitterentur, ac Rhodij, qui alias quàm nauales copias nõ haberent, contra grauem Macedonum armaturam paruo omnino eſſent præſidio futuri, cum parua ſuorum manu in Italiam ueniens, à Romanis auxilia impetrauit. Ii uerò exercitu & imperatore miſſo Macedo-

num

num uires adeò fregerunt, ut nõ multò pòſt Perſeum Philippi filium non regno tantùm eiecerint, ſed captiuum etiam Romã pertraxerint. Fuit *Philippus Demetrij filius, qui primus ex hac familia (quemadmodum antè expoſuimus) Alexandro Caſſandri filio interfecto, regnum obtinuit. Secundùm Cephiſodori, Heliodori Alienſis ſepulchrum eſt, cuius pictam imaginem in magno Mineruæ templo uideas. Sepultus ibidem eſt Themiſtocles Polyarchi filius, Themiſtoclis eius pronepos, qui nauale prælium cum Xerxe commiſit. Huius quidem poſteros, præter Aceſtium, cõmemorare neceſſe nihil habeo. Hæc Xenoclis, Sophoclis filij, Leontis nepotis filia fuit, ac uiuens ſuos omnes à Leonte proauo Dadùchos uidit: æquales etiam eodem ſacerdotio honeſtatos, Sophoclen fratrem, Themiſtoclen uirum, & eo mortuo Theophraſtum filiũ. atq; illa quidẽ eiuſmodi fortuna uſa eſt. Longius progreßis Lacij Herois lucus in conſpectu eſt, & Lacidarum ab eo nominata curia. Nicoclis etiã Tarentini monimentũ, cuius ſupra omnes ferè citharœdos celebre nomẽ fuit. Eſt eodẽ in loco ara Zephyro erecta, Cereri et Proſerpinæ templa, quibus cum Minerua et Neptuno cõmunes honores habentur. In hac ipſa regione à Phytalo aiunt Cererẽ hoſpitio acceptam, eiq; fici ſtirpe donata gratiam relatam. Id uerſus teſtantur in Phytali ſepulchro inciſi:*

Hic Cererem tectis Phytalus ſuſceperat heros,
Cui primùm ſacri largita eſt ſemina pomi,
Quam mortale genus ficum uocat: illius ergò
Muneris, æterno hìc Phytali genus floret honore.

Priuſquàm Cephißiũ amnem tranſeas Theodori monimentum eſt, cui de Tragœdis primas ætas ſua detulit. Iuxta fluuium ſimulachra duo ſunt, alterũ Mneſimaches, Cephiſſo

crinem ſuum detondentis pueri alterum. Fuiſſe uerò patriũ Græcis omnibus crinem fluminibus tondere, ex ijs Homeri uerſibus cognoſcas, in quibus eſt, Peleũ Sperchio pro fœlici Achillis à Troia reditu, crinẽ uouiſſe. Trans Cephiſſum Placidi Iouis, Melichium nuncupant, uetus ara eſt, ad quã Theſeus à Phytali poſteris de cæde purgatus dicitur, cùm & latrones alios, et Sinin à Pittheo materno auo ſibi propinquũ occidiſſet. Sepulchra ibidem ſunt Theodectis, Phaſelitæ, & Mneſithei, quem medendi arte claruiſſe accepimus, ac ſigna multa dedicaſſe, atq; ex ijs Iaccho unũ. In ipſa uia ædes nõ magna uiſitur, Cyamitæ templum, ac ſi Fabarij dixeris, appellant: compertum autem non habeo, fabarúm ne hic ſationem docuerit, an uerò heroum alicui ſit id nominis tributum. Neq; enim fabarũ inuentum Cereri adſcribere poſſunt: nam qui uel initijs, quæ Eleuſine fiunt, interfuerint, uel ea quæ Orphica appellantur legerint, facilè id quod dico intelligẽt. Monimenta eo quidem in loco duo, & magnitudine & operis magnificentia præſtant: alterũ eſt Rhodij cuiuſdam uiri, qui ſe Athenas cõtulit: alterum Harpalus Macedo excitauit, is nempe qui Alexandrũ fugiens ex Aſia in Europam claſſe traiecit, cumq; Athenas ueniſſet, ab Athenienſibus captus, corruptis cùm alijs, tum ipſius Alexandri amicis, periculum effugit. Sed is antè Pythionicen uxorem duxerat, cuius neq; genus, neq; patriam noui: tantùm ſcio Athenis eam & Corinthi corpus uulgaſſe. Eam uerò tam perditè amauit Harpalus, ut mortuæ monimentum poſuerit, omnium, quæ in Græcia ſunt, ueterum operum, quod ſpectetur digniſſimũ. Templum etiam ibi ſpectes, in quo Cereris, Proſerpinæ, Mineruæ, et Apollinis ſigna ſunt. Ab initio fuit ædes uni Apollini dicata. Cephalum enim aiunt Dionei filium

lium

lium cum Amphytrione primũ ad Telebaos, in eam inſulã, quæ de ipſius nomine Cephalenia dicta eſt, profectum: nam Thebas antè, Athenis ob Procridis uxoris cædem exul, migrarat. Eius poſteros, decem iam exactis ſeculis, Chalcinum & Dætum, cùm Delphos nauigaſſent, ac deum de reditu in antiquam patriam conſuluiſſent, reſponſum accepiſſe, ut in Atticam reuerſi, quo in loco humi currentẽ triremẽ uidiſſent, ibi Apollini rem diuinam facerent. Cùm itaq; ad montem, quem Pœcilũ appellant, appropinquaſſent, draconẽ offendiſſe celeri ſe lapſu in latebras demittentem, ibi eos rem diuinam Apollini feciſſe, ac ſtatim ab Athenienſibus in ciuitatem receptos. Poſt hoc templum, Veneris ædes eſt, cuius in fronte paries extructus eſt è rudi lapide, opere tamen inſigni. Iam aluei qui Rheti appellantur, ſolo curſu fluminibus ſimiles ſunt: nam eorũ aqua maris ſaporẽ refert: quæ res alicui fortaſſe perſuaſerit, è Chalcidico eos Euripo per cõtinentẽ terrã faſtigio in mare defluere. Rhetos quidem Cereri ac Proſerpinæ ſacros eſſe tradũt, neq; eos, qui in illis naſcuntur piſces, cuiquam licet præterquàm ſacerdotibus capere. Atq; hi quidem ueteres Eleuſinij ſunt & Attici agri fines, uti accepi. Agrum uerò qui trans Rhetos eſt, tenuiſſe dicitur Crocon, & locus ille Croconis nunc etiam Regia appellatur. Cum hoc Crocone Celei filiam Baſaram nuptam fuiſſe Athenienſes memorant: neq; tamen hæc omnium, ſed eorum tantùm, qui è Scambonidarũ curia ſunt, opinio eſt. Croconis certè ſepulchrum inuenire nunquã potui. Eumolpi uerò tumulum & Eleuſinij et Athenienſes agnoſcunt. Veniſſe eum è Thracia, filiumq; Neptuni & Chiones fuiſſe traditum eſt: Chionen quidem Boreæ ex Orithyia genitam, de cuius ſanè parentibus nihil omnino Homerus prodidit:

*in quadam tantùm uerſuum ſuorum parte animi præſtan-
tem appellat Eumolpũ. Enimuero cõmiſſa inter Eleuſinios
& Athenienſes pugna, hinc Erechtheus rex, illinc Eumol-
pi filius Immaradus ceciderunt. Arma inde his conditioni-
bus poſita, ut Eleuſinij ſe, ſuaq; cætera omnia in Athenien-
ſium poteſtatẽ traderent, initia ipſi tanquã propria retine-
rent. Ac ut Cereri & Proſerpinæ Eumolpus & Celei filiæ
ſacra facerent, eas iiſdem nominibus Pamphus & Homerus
appellant, Diogeneam, Pammeropen, Sæſaram. Ex Eumol-
pi uerò filijs natu minimus Ceryx, patri ſuperſtes fuit, quem
tamen Præconũ natio, qui ſuam ei originem referũt, ex A-
glauro Cecropis filia & Mercurio, non Eumolpo procrea-
tum dicunt. Eſt eodem in loco heroicum Hippothoontis mo
nimentum, à quo tribus nomen habet: atq; illi proximũ Za-
recis, quem tradunt Muſicã ab Apolline didiciſſe: ego uerò
Atticæ inquilinũ fuiſſe, patria Lacedæmoniũ, & ab eo ma-
ritimam Laconiæ urbem Zaraca appellatã cõperio. Quòd
ſi quis fuit Atticæ indigena Zarex, de eo quod dicam planè
nihil habeo. Cephiſſus uerò amnis per Eleuſinium agrum
curſu multò quàm quouis alio in loco cõcitatiore defertur.
Propè locus eſt, cui Caprifico nomen, unde Orcũ rapta Pro
ſerpina deſcendiſſe fama uulgauit. Ad hunc Cephiſſi alueũ
Theſeus latronem Polypemonem, Procruſten cognomine,
occidit. Apud Eleuſinios Triptolemi ædes eſt, Propylææ
Dianæ, & Neptuni patris: Puteus, quem Callichorũ appel-
lant, ubi primùm chorum Eleuſiniorũ fœminæ inſtituerũt,
et deam cantu uneratæ ſunt. In campis uerò, quos Rharios
uocant, frugum primùm iacta ſemina adoleuiſſe ferunt, in
cuius rei memoriam, hordeum ex eo ipſo ſolo demeſſum, in
ſacris ad molas & liba adhibent. Oſtenditur ibidem area,*

quæ

quæ Triptolemi dicitur, & ei dedicata ara. At quæ intra ſacrum parietẽ ſeruantur, ſcribere ſomnio prohibemur: eorũ enim aſpectu non tantùm iis, qui initiati non fuerint, interdictum eſt, uerumetiam ne percontari quidem, aut audire fas quicquã eſt. Eleuſinem *uerò heroëm, unde oppidũ nomen habet, nõnulli* Mercurio & Daira *Oceani filia genitum putant. Alij* Ogygis *fuiſſe filium fabulati ſunt: nam priſci* Eleuſinij *cùm ad nullam ferè ætatem hominum origines ſuas habeant referre, multis cùm alia fingendi, tum quæ de heroib. prodita ſunt locũ dedere.* Quà *ab* Eleuſine *in* Bœotiã *iter eſt,* Athenienſibus Platæenſis *ager finitimus eſt:* Atticam *tamen olim &* Bœotiam Eleutherenſes *dirimebant. Sed poſteaquàm* Eleutherenſes *in* Athenienſiũ *poteſtatẽ uenerũt,* Cytheron *mons finis utriuſq; regionis haberi cœptus eſt.* Attico *uerò nomini non illi quidem bello ſubacti ſe adiunxerunt, ſed quòd eam in primis reip. formam, qua* Athenienſes *utebantur, expetiuerunt, quodq; capitali in* Thebanos *odio ſemper laborarũt. In iiſdem campis* Liberi Patris *templum eſt, atq; inde eſt* Athenas *peruetus ſignum deportatũ: nam quod* Eleutheris *hac etiã ætate extat, ad illius fuit ſimilitudinem factũ.* Non *procul ſpecus abeſt modica quidẽ magnitudine: fons proximus frigidæ aquæ. In eo ſpecu* Antiopen *narrant, quos pepererat geminos expoſuiſſe: paſtorem ſublatos pueros faſcijs exemptos illis aquis lauiſſe.* Eleutherarũ *cùm muri, tum ædiũ etiã ueſtigia remanent: ea res planũ facit, oppidũ ipſum nõ multũ ſupra campos* Cytheronẽ *uerſus fuiſſe. Altera ab* Eleuſine *uia* Megara *ducit: per eã qui ingrediãtur puteũ offendũt, cui nomẽ* Florido: *ſuper eo* Pamphus *uerſib. mãdauit,* Cererẽ *poſt raptũ* Proſerpinæ *anus facie ſumpta conſediſſe, atq; inde illã* Celei *filias, quòd*

Cytheron

Antiope

Pamphus

nempe Argiuam eſſe anum putaſſent, ad matrem deduxiſſe: Meganiram uerò ei filium educandum tradidiſſe. Non longè *à puteo eſt Meganiræ ſacellum, & eorum qui ad* Thebas *ceciderunt, tumuli. Cùm enim* Creon, *qui* Laodamantis *&* Etheoclis *filij tutela ſuſcepta* Thebis *imperabat, non ſineret cæſorum cadauera humari,* Theſei *opem* Adraſtus *implorauit.* Commiſſa *itaq; inter* Athenienſes *&* Thebanos *pugna, uictor* Theſeus *in* Eleuſinium *agrum deportanda cadauera, atq; ibi ſepelienda curauit:* Thebani *tamen neq; ſe quin humarentur prohibuiſſe, neq; ullum ſibi cum* Athenienſibus *ob eam cauſam certamen fuiſſe dicunt. Poſt Argiuorum ſepulchra, Alopes monimentum eſt, quam cùm* Neptuno Hippothoontem *peperiſſet, eo ipſo in loco à Cercyone patre interfectam ferunt. Cercyonem ipſum traditū eſt in omnes hoſpites immanem fuiſſe, præcipuè tamen in eos, qui in luctæ certamen deſcendere recuſaſſent. Ac ætate quidē mea locus quidam, qui ab Alopes tumulo non longè abeſt, Cercyonis palæſtra appellatur, ubi dicitur Cercyon omnes qui ſecum certaſſent occidiſſe, præter* Theſeum *tamen, à quo luctandi in primis arte eſt ſuperatus. Palæſtricē enim* Theſeus *primus inuenit, et ab eo profecta palæſtritarū diſciplina, ab eius rei magiſtris celebrari cœpta, cùm antè ſola corporis magnitudine et robore, in lucta certaretur. Hæc ſunt quæ apud* Athenienſes *(uti ego ſentio) aut prædicātur, aut cum admiratione ſpectantur, cùm ea ab initio miſſa fecerim, quæ leuiora ſunt, quàm ut ullā inſtitutæ hiſtoriæ poſſint dignitatem afferre.* Eleuſini *finitima eſt* Megarica *terra, cuius imperium* Pylæ *regi à* Pandione *relictum,* Athenienſes *olim adepti ſunt. Eius rei haudquaq̄ dubia teſtimonia ſunt, quòd in ipſis* Megarenſiū *finib. extat* Pandionis *ſepulchrū: quodq;*

cum

cùm Aegeo, qui in ea familia natu maximus erat, Athenienſium regno Niſus conceſsiſſet, Megara ei obtigerũt, & quicquid agri ad fines uſq; Corinthiorum pertinet. Manet apud Megarenſes adhuc naualẽ, quæ Niſea ab ipſo appellatur. Regnante uerò Codro, cùm Peloponneſij bellũ Athenienſibus intuliſſent, ac nihil omnino inſigne ad gloriã in eo aliud geſsiſſent, dum ſe domũ reciperent, Megara Athenienſibus ademerunt, Corinthiosq; ac cæteros auxiliarios, qui nomina dediſſent, illuc coloniam deduxerunt: quæ res effecit, ut Megarenſes lingua cum moribus mutata, ex Atticis Dorienſes fierent. Vrbem uero eo nomine appellatã putant, Care Phoronei filio regnante (tunc enim primùm Cereris templa apud ſe erecta) eaq; Megara appellata, Megarenſes ipſi cõmemorant, in ijs quos de rebus ſuis habent ſermonibus. At Bœotij Megareum dicunt Neptuni filium ab Oncheſto cum Bœotiorum manu, Niſo contra Minoën auxilio ueniſſe, cumq; in prælio cecidiſſet, eo ipſo in quo ceciderat loco ſepultum, urbi, quæ ante Niſa appellabatur, nomen dediſſe. Ad hæc addunt Megarenſes, Lelegen, duodecim poſt Cara Phoronei filiũ ætatibus, ex Aegypto ueniſſe, eoq; regnante indigenas Lelegas appellatos. Cleſone uerò Lelegis filio Pylan ortũ, Pyla Scironem, cum quo nupta Pandionis filia fuerit. Hunc Scironem & Niſum Pandionis filium de regno diſceptantes, iudicem Aeacum delegiſſe: adiudicaſſe illum Niſo regnũ, eiusq; poſteris: Scironi uerò exercitus, totiusq; rei bellicæ imperium. Megareum deinde Neptuni filium, cui Niſus Iphinoën filiã nuptum dederat, ſocero in regnum ſucceſsiſſe. Nam de Cretico bello, et urbe, regnante Niſo, capta, omnia Megarenſes diſsimulant. In oppido æquæductus eſt, quem Theagenes exædificauit: Theagenis uerò &

antè mentionem fecimus, ubi filiam eius Cyloni Athenienſi nuptam fuiſſe diximus. Hic itaque Theagenes in tyrannide aquæductum erexit, opus cùm magnitudine, tum ornatu & columnarum numero ualde præclarum. Aquam influentem Sithnidum Nympharũ appellant, ac eas quidem Nymphas indigenas eſſe dicunt ſuas, atq; ex earum unius filia Ioui Megarum natum, ac Megarum quidem Deucalionis diluuium in Geraniæ uerticem effugiſſe, cùm nondum mons ille id nominis haberet. Nam quòd Megarus gruum præteruolantiũ uocem ſecutus illuc natando euaſiſſet, inde monti inditum nomẽ tradunt. Non longè ab aquæductu uetus eſt quædam ædes, in qua extant ætate etiam noſtra Imperatorum Romanorum imagines, & ſignum ex ære, quod Dianæ Soſpitæ appellant. Hanc eſſe cognominis cauſam dicunt: Cùm Perſæ, uexato excurſionibus Megarico agro, ſe Thebas ad Mardonium ducem ſuum reciperent, obortis repentè Dianæ numine tenebris, per errorem uiarum ad montanam eos regionis partẽ deflexiſſe: ibi obiecta hoſtilis agminis ſpecie, ſagittas miſiſſe, ad quarũ ictus cùm proxima ſaxa tanquã gemitus imaginẽ redderent, homines eſſe qui ex uulneribus gemerẽt opinantes, nõ antè iaculari deſiſſe, quàm ſagittas omnes profudiſſent. Cùm uerò illuxiſſet, Megarenſes armatos contra inermes impetu facto, magnã eius agminis partẽ trucidaſſe, atq; ex eo rei euentu Dianæ Soſpitæ ſignũ dedicaſſe. In eodem templo XII. deorum ſigna ſunt, Praxitelis, ut ferunt, opus: nam Dianam Strongylion fecit. Iam uerò Iouis, quem Olympicũ dicunt, lucum ingreſſus, templum uideas planè inſigne, etſi Iouis ſignum expolitum nõ eſt, opus enim Peloponneſiacũ bellum interpellauit, per quæ ſanè tempora Athenienſes terreſtribus maritimisq; copijs quotannis ferè Me-

rè Megarenſium publicas & priuatas opes uehementer attriuerunt. Ipſius quidem Iouis os auro & ebore conſtat, reliquum uerò corpus è gypſo & fictili eſt materia. Opus hoc feciſſe dicunt Theocoſmum ciuem ſuum adiuuante Phidia. In Iouis capite Horæ & Parcæ inſiſtunt: fata enim Ioui parēre, & eius nutu temporum uiciſsitudines deſcribi, nemo eſt qui neſciat. In templi poſtica parte ligna quædam ſunt duntaxat informata, quæ Theocoſmus auro & ebore fuiſſet ornaturus, ad ſignū Iouis abſoluendum. In eadem templi parte triremis æneum roſtrū poſitū eſt: eam uerò ſe triremem cepiße Megarenſes dicunt in prælio nauali, quod cum Atheníenſibus de Salamine certantes fecerunt. Neq; Athenienſes inficiantur defeciße aliquando à ſe ad Megarenſes Salaminem: Solonis uerò elegis excitatos, de inſula prius diſceptaſſe, deinde eam ſe bello recepiſſe. At Megarenſes exules quoſdam dicunt, quos ipſi Dorycleos uocant, Salaminem in coloniam deductos, eam per proditionē Athenienſibus dedidiſſe. A Iouis luco cùm in arcem aſcenderis, quam à Care Phoronei filio ætate etiam noſtra Cariam nominant, Bacchi Nyctelij ædem uideas, & Veneris Epiſtrophiæ, quaſi procuratricis dicas, ſacellum. Noctis præterea oraculū, & Iouis Pulueri delubrum ſine tecto. Aeſculapij uerò & Hygeæ ſigna Bryaxis fecit. Eodem in loco eſt Cereris nobile templū, Megaron appellāt, quod ædificaße Cara, dum regnaret, memorant. Ab ea arcis parte quæ ad ſeptentriones eſt deſcendentibus, Alcmenes ſe oſtendit monimentū, proximè ad Olympij Iouis ædem. Proficiſcentē enim eam Argis Thebas, in Megarenſiū finibus in ipſa uia mortuā ferunt: inter Herculis uerò filios diſceptatū, eius cadauer Argós ne reportandū, an uerò Thebis eßet ſepeliendum, cùm Herculis ex Megara filio-

rum, & Amphytrionis Thebis eſſent ſepulchra: reſpondiſſe Delphicum Apollinem de ea re cõſulentibus, eam in Megarico agro ſepeliri ſatius multò eſſe. Hinc me rerũ patriæ ſuæ peritus interpres in uicum deduxit, quem Rhun appellari dixit, ob eam uidelicet cauſam, quòd ex imminentibus oppido montibus, in eum aqua defluebat: eam uerò aquam aliò Theagenem tyrannum deriuaſſe, ſed in eo ipſo unde aquã deduxerat loco, Acheloo aram dedicaſſe. Propè eſt Hylli Herculis filij monimentũ, qui cum Echemo Arcade Aeropi filio ſingulari certamine depugnauit. Quis uerò hic Echemus fuerit qui Hyllum occidit, in alia hiſtoriæ parte exponam. Hyllus ipſe Megaris ſepultus eſt. Vt rectè quidem hæc Heraclidarum expeditio appellari poteſt, in Peloponneſum ſuſcepta, Oreſte regnante. Non longè ab Hylli monimento eſt Iſidis ædes, & ſecundùm eam Apollinis ac Dianæ: hanc dedicaſſe Alcathoum, Leone, quem Cithæronium appellarunt, confecto: & ab eo ſanè leone cùm alios, tum Megarei regis filium Euippum laniatum fuiſſe tradunt. Cùm enim è duobus natu maior, cui Timalco nomẽ, cum Caſtore & Polluce Aphidnam oppugnatum ueniſſet, fuiſſetq; à Theſeo interfectus, Megareum aiunt orbatum filijs, & filiæ nuptias, & regnum ei ſpopondiſſe, qui Citheronium leonem confeciſſet: Alcathoũ igitur Pelopis filium auſum cum bellua congredi, ex eo certamine uictorem diſceſſiſſe. Regno itaq; potitum, Agroteræ, id eſt, Venatricis Dianæ, & Agræi Apollinis templum dedicaſſe. Et hæc quidem ad hunc modũ à multis cõmemorantur. Ego uerò etſi herculè nolim ea ſcribere, quæ à Megarenſium ſermonibus diſcrepent, id tamen quî fieri potuerit, non reperio: nam Leonem Cithæronium ab Alcathoo confectum ut credam, facilè adducor: Timalcum

uerò

uerò Megarei filium, quis unquam literis prodidit cum Caſtore & Polluce Aphidnam ueniſſe? Sed ut maximè uenerit, quî potuit à Theſeo interfici, cùm Alcman carmine, quod in Caſtoras fecit, ſcriptum reliquerit, eo tempore quo illi expugnatis Athenis Theſei matrem captiuam abduxerunt, Theſeum ipſum domi non fuiſſe? Neq; uerò quæ Pindarus ſcripſit, magnopere diuerſa ſunt: Theſeum, cùm affinitatem Caſtorum ſibi expetiſſet, domo profectum, ut Pirithoum prius, celebres illas fama nuptias affectantem, adiuuaret. Sed quicũq; ille fuerit qui Gentilitates perſecutus eſt, eadem nimirum fuit qua Megarenſes inſcitia, ſi utiq; Theſeus à Pelope genus duxit. Sed Megarenſes de induſtria ueritatem non tam ignorant, quàm ambagibus inuoluunt: quòd enim fateri prorſus nolunt, Niſo regnante urbem captam, ſucceßiſſe ei Megareũ generum, Megareo Alcathoum comminiſcuntur. Nam Niſo iam mortuo, & euerſis Megaris, conſtat ab Elide Alcathoum ueniſſe. Teſtimonio mihi fuerit, quòd muros ipſe de integro erexit, quorum fuerant ueterem ambitum Cretenſes demoliti. Sed de Alcathoo ac Leone, ſiue is eum in Cithærone, ſiue quo alio in loco occiderit, deq; Dianæ Agroteræ, & Apollinis Agræi dedicatione, hæc hactenus. Iam uerò è templo deſcendentibus in conſpectu eſt Pandionis heroicũ monimentũ. Sepultũ quidem Pandionem eo loco, qui Mergi ſcopulus, ſiue Aethyiæ Mineruæ appellatur, antè diximus. Sed eidem parentant intra urbem etiam Megarenſes. Prope eſt Hippolytæ monimentum, de qua, quæ Megarenſes dicunt, non uidentur prætermittenda. Cùm Amazones ob captam Antiopen bello Athenienſes laceßiſſent, à Theſeo ſuperatæ ſunt: cumq; earum multæ in prælio cecidiſſent, Hippolyten tradunt, Antiopes

ſororem, cui fœminarũ ille parebat exercitus, Megara cum paucis aufugiſſe: ibi cùm re male geſta animũ deſpondiſſet, præſertim quòd ſe Themiſcyrã in patriã ſuam redire poſſe deſperaſſet, præ animi angore è uita exceßiſſe. Sepultã uerò eo quo diximus loco, & eius ſanè monimentum Amazonici clypei formam præ ſe fert. Ab eo non longè abeſt Terei ſepulchrũ, eius nempe qui Prognen Pandionis filiam uxorem duxit. Regnauit autem Tereus, ut Megarenſes dicunt, circa fontes qui Megaridis appellantur: uti uerò ego exiſtimo, atque indicant, quæ adhuc extant, eius regni ueſtigia, Daulide ſupra Chæronean. Huius enim ueteris Græciæ, quæ Hellas nunc appellatur, multas olim partes Barbari tenuerũt, quos poſt allatam Philomelæ uim, & interemptum à mulieribus Ityn, Tereus in poteſtatẽ redigere non potuit. Atq; ille quidem ſibi ipſi Megaris manum conſciuit, quo in loco ei tumulum ſtruxerunt, ad quem annuum faciunt ſacrum, & in eo calculis pro farre utuntur: atq; eo quidem primùm in loco upupã auem uiſam memorant. Mulieres cùm Athenas confugiſſent, præ luctu & mœrore, ob ea quæ & paßæ fuerant, & fecerãt, contabuerunt. Vulgatã certè fabulam, earũ alteram in luſciniã, in hirundinẽ alteram mutatã, ex eo exiſtimo, quòd auis utraq; miſerabiles & luctuoſos cantus edunt. Habent Megarenſes & arcem alteram, cui ab Alcathoo nomen eſt, ad quam qui aſcenderint, ad dexteram Megarei monimentum uideant: is enim Cretico bello, ab Oncheſto, Megarenſibus auxilio uenit. Oſtenditur etiam deorum focus, quos Prodomeos uocant, quod eſt quaſi præſtructores dicas, quibus rem diuinã feciße tradunt Alcathoum, cùm eſſet murorum fundamenta iacturus. Iuxta eum focum lapis extat, ad quem citharam depoſuiße Apollinem tradunt,

dunt,

dunt, cùm muros facienti Alcathoo operam eſſet ſuam nauaturus. Cenſu uerò olim Athenienſium comprehenſos fuiſſe Megarenſes, id mihi argumento eſt, quòd ſatis conſtat ab Alcathoo filiam Peribœan unà cum Theſeo in Cretam Minotauro miſſam: eum certè in fabricandis muris ab Apolline adiutum Megarenſes affirmant, atq; eum, de quo dixi, lapidem ubi citharam depoſuit, pro teſtimonio habent: reddit enim, calculo ſi quis eum percuſſerit, eundem quem pulſæ fides ſonum, quæ mihi res planè admirabilis uiſa eſt: quanquam Coloſſum, qui Thebis in Aegyptijs eſt trans Nilum, non longè ab eo loco quæ Syringes, id eſt, fiſtulæ appellantur, maiore utiq; cum admiratione ſpectaui. Statua ibi eſt ſedentis hominis, quam multi Memnonis nominant, quem ex Aethiopia in Aegyptum ueniſſe, ac Suſa etiam uſq; penetraſſe tradunt. At ipſi Thebani Memnonē eſſe negant: nam Pharmenophan fuiſſe indigenam hominem dicunt. Audiui etiam qui Seſoſtris illam ſtatuam eſſe dicerent: eam Cambyſes cōminuit, & nunc etiam ſuperior pars à uertice ad medium truncum humi neglecta iacet, reliquum adhuc ſedere uidetur, ac quotidie ſub ipſum Solis ortū, ſonum edit, qualem uel citharæ, uel lyræ nerui, ſi fortè dum tenduntur, rumpantur. Apud Megarenſes curia eſt, ubi fuit olim Timalci ſepulchrum, quem antè dixi nō uideri mihi à Theſeo interfectum fuiſſe. In ipſo arcis iugo Mineruæ templū eſt, & in eo Deæ ſignum totum inauratū, præter manus tamen & imos pedes, qui uti ipſum os, ex ebore ſunt. Alterū ibidem eſt delubrum Mineruæ, cui Victoriæ cognomentum: aliud etiam Aeantidis, de quo cùm nihil à ſcriptoribus Megarenſiū monimentis mandatum ſit, ego ex opinione mea pauca adſcribam. Telamon Aeaci filius Alcathoi filiam Peribœam uxo

rem duxit: eius filium Aiacem, cùm Alcathoo in regnum ſuc ceßiſſet, ſignũ Mineruæ dedicaſſe exiſtimo. Apollinis uerò *ædes priſca fuit laterculis extructa, quam Adrianus princeps è candido lapide reſtituit*. Apollinis uerò Pythij et De*cumani ſimulachra nihil omnino ab* Aegyptiorum *ligneis ſignis differunt*. Eius uerò quem *Archegeten, id eſt, Gentilitatis autorem nuncupant*, Aegineticis *operibus perſimile eſt, totumq́; ebeno conſtat*. Audiui autem Cyprium homi*nem oppidoquàm peritum in herbarum generibus ad medendi uſum notandis, cùm diceret ebenum nulla folia, nullumq́; omnino fructu ferre, quin & ſtirpem nullam eſſe* Soli *expoſitam: radices tantùm terra occultari, quas eruant* Aethiopes, *atq; ij in primis, qui, quo maximè loco reperiantur, norunt. Eſt non procul* Legiferæ Cereris *fanum, unde qui deſcenderint*, Callipolidis Alcathoi *filij monimentum uideant. Sed & alterum habuit natu maiorem filium* Alcathous, *quem in auxiliũ* Melagro *miſit contra aprum* Calydoniũ: *cùm uerò à fera fuiſſet adoleſcẽs interemptus, atq; id primus reſciſſet* Callipolis, *ad patrem, qui ſacrum* Apollini *tunc fortè faciebat, in arcem accurrit, ac ligna è ſacris focis diſturbauit*. Quem *cùm piaculum cõmiſiſſe* Alcathous, *qui filiũ periſſe ignoraret, iudicaſſet, ira incitatus, ſtipite ex ijs ipſis quæ ille diſiecerat lignis capiti impacto, filium interfecit*. In *uia uerò quæ ad* Prytaneũ *ducit*, Inûs *monimentũ extat: id lapidum maceria incingitur, & ſponte natis oleis conueſtitur: ſoli enim ex omnibus* Græcis Megarenſes Inûs *cadauer in maritimã agri ſui oram eiectum, ac illud* Cleſò & Tauropolim, Cleſonis *filias*, Lelegis *neptes, ſublatum ſepulturæ mandaſſe: ipſamq́;* Inò *primùm apud ſe* Leucotheam *appellatam ferunt*. Ei *quidem quotannis rem diuinam faciunt*.

ciũt. Sed ijdem Iphigeniæ etiam heroicum monimentum monſtrãt,atq; eam Megaris mortuam aiunt.Ego uerò,quæ longè ſecus de Iphigenia Arcades narrãt, audiui. Neq; ignoro Heſiodum eo poëmate, quo illuſtres fœminas recenſet, ſcripſiſſe, non eſſe cæſam Iphigeniam, ſed Dianæ numine Hecaten factam. A quibus nihil diſcrepant quæ ſcripſit Herodotus, Tauros in Scythia naufragos uirgini immolare: uirginem uerò apud ipſos nuncupari Iphigeniam Agamemnonis filiam.Habent Adraſto etiam Megarenſes honorem, quem,dum exercitum à Thebarum expugnatione domum reduceret, mortuũ apud ſe tradunt. Mortis uerò ei cauſam fuiſſe, ſenectutẽ, & animi angorem ob Aegialei filij interitum.Extat et Dianæ templum,quod Agamemnonẽ erexiſſe dicunt,cùm ad Calchantem, qui Megaris habitabat, uenit, ei,ut ſe ad bellum Troianũ ſequeretur, perſuaſurus. In Prytaneo Menippum Megarei filiũ, & Alcathoi Echepolin ſepultos dicunt.Eſt ad Prytaneum ſaxum,Anaclethra appellant,quòd ibi Ceres poſt longos errores(id ſi fide hominum cuiquã dignũ uideri poteſt)filiam euocarit.Noſtra quidem etiamnum ætate Megarenſium fœminæ anniuerſario cerimoniarum ritu, fabulam confirmãt. Sunt intra oppidum ſepulchra, & multorum quidem, qui cum Perſis pugnantes mortem oppetierunt. Aeſymnium uerò quod appellant,heroum & ipſum eſt monimentum. Nam cum Hyperion Agamemnonis filius,qui poſtremus Megaris regnauit,propter ſuperbiã & crudelitatem à Sandione occiſus fuiſſet,non eſſe amplius uni parendum cenſuerunt,ſed annuos magiſtratus,qui uiciſſim ſummæ rerũ præeſſent, creandos.Quo tempore cùm Aeſymnus,autoritate nemini inter Megarenſes ſecundus,Delphos ueniẽs oraculũ conſuluiſſet, quî fieri poſ-

ſet,ut patria ſecundis rebus uteretur: & alia accepit reſponſa,et illud in primis,bene euenturũ, ſi plurium conſilio ciuitas uſa fuiſſet: quare cùm ad mortuos oraculũ pertinere interpretati eſſent, Curiã ædificandã, intraq; eius parietes heroũ ſepulchũ erigendũ curarunt.Hinc ad Alcathoi heroicũ monimentũ progredientes,ad eum locũ perueniãt,quo pro tabulario mea ætate Megarenſes utebantur: eſſe uerò perhibent Pyrgus Alcathoi uxoris monimentũ, quã ille habuit in matrimonio, priuſquàm cum eo eſſet Euæchme Megarei filia.Iam ad Iphinoës Alcathoi filiæ tumulum,quã uirginem è uita deceßiſſe memorant, patrio ritu puellæ ante nuptias inferias mittũt, crinisq; primitias detondent,nõ aliter quàm Hecaërge Deliorũ filiæ.In primo aditu ad Liberi Patris fanum, quod Dionyſion appellant, ſepulchrũ eſt Aſtycrateæ & Mantûs filiarum Polyidi, Cærani filij, Abantis nepotis, Melampodis pronepotis. Polyidus quidem ipſe ueniſſe dicitur Megara, cùm Alcathoum de cæde Callipolidis filij luſtrauit,& Liberi templum dedicaſſe,cum ſimulachro, quod totũ ætate noſtra præter os occultatur, id enim unum eſt in conſpectu. Aßiſtit Satyrus è Pario lapide, Praxitelis opus, atq; hunc quidem Patrium Liberũ appellant, alterũ uerò Daſyllium cognomento, Euchenorem Cærani filiũ Polyidi nepotem dedicaſſe ferũt. Secundùm Liberi,Veneris delubrum eſt, cuius ſignum ex ebore: deæ cognomen Praxis,atq; eius ſignũ,omniũ eſt,quæ in eo delubro ſpectẽtur, uetuſtißimũ.In eodem Pithûs deæ,id eſt, Suadelæ,eſt ſimulachrũ:& eius item deæ quam Paregoron, hoc eſt, conſolatricem nuncupant:operis autor Praxiteles.Viſuntur ibidem & Scopæ,Amor, Appetitus,Cupido,tam diuerſo inter ſe habitu ac facie,quàm diuerſa ſunt nomina ex ipſis numi-

num

num poteſtatibus indita. Iuxta Veneris, Fortunæ ædes eſt, ipſa dea à Praxitele elaborata. In proximo delubro Muſas & Iouem fecit Lyſippus. Eſt etiam apud Megarenſes Corœbi ſepulchrū, de quo, quæ uerſibus mandata ſunt, exponam, etſi eadem ab Argiuis celebrantur. Regnante Argis Crotopo, eius filiam Pſamathen tradunt puerum, quem ex Apolline pepererat, ut patrem, à quo ſibi plurimùm metuebat, celaret, expoſuiſſe: cumq; ita accidiſſet, ut à canibus regij pecoris cuſtodibus dilaceraretur, Apollinem Argiuis dirā quandam belluam immiſiſſe, Pœnam ipſi appellarunt, quæ è matrum gremijs infantes rapiebat: monſtrum uerò illud Corœbum Argiuorum miſericordia adductum confeciſſe. Verùm cùm dei ira nihil remiſiſſet, et peſtilenti morbo ciuitas uexaretur, ueniſſe Delphos iuuenem, ut de Pœnæ cæde Apollini ſatisfaceret: Pythiā, cùm illi in patriā redeundum negaſſet, ut è templo tripodem tolleret imperaſſe, quoq; loco excidiſſet, ibi urbe condita, ut conſideret. Cùm itaq; tripos illo imprudente lapſus ad Geraniam montem excidiſſet, in mentem ei cōtinuò oraculi ueniſſe, & eo in uico, cui Tripodiſco nomen fuit, conſediſſe. Corœbi uerò ſepulchrum Megaris eſt, in quo inſcripti elegi rem totā de Pſamathe & Corœbo teſtantur. Tumuli inſigne eſt, Corœbus Pœnam conficiens: quæ ſigna omnium, quæ in Græcia è lapide facta uiderim, antiquiſſima eſſe iudico. Nō longè à Corœbi monumento ſepultus eſt Orſippus, is qui cùm ueteri Athletarum more cum ſubligaculo gymnicos ludos obire conſueſſet, in Olympico tamē curriculo nudus uicit: idemq; poſtea cùm exercitus imperator eſſet, finitimis agri partē bello ademit. Nō inuitò crediderim Olympiæ ſubligaculū delapſum, nempe, qui noſſet ſine eo, multò queuis eſſe ad curſum expeditio

rem. E foro cùm redeas in uiã quæ Recta dicitur, ſi paululũ diuerteris, ad Apollinis Præſtitis accedas: ibi eſt Apollinis nobile ſignum, Dianæ, & Latonæ, & alia item ſigna, quæ fecit Praxiteles: Latona cum filijs. Ad portam, quam Nymphadas appellant, in ueteri Gymnaſio lapis eſt, qui non magnæ pyramidis formam præ ſe fert. Lapidem eum Apollinẽ Carinum nominant. Eſt ibidem Lucinæ ædes. Atq; hæc quidem, quæ oſtentare poßit, Megara habent. Ad nauale uerò, quam ætate etiã mea Niſæam uocant, ſi deſcendas, Cereris Ouiferæ templũ uideas. Cognomẽ uerò deæ, præter alia multa quæ ea de re prodita ſunt, ab ijs inditum cenſent, qui primi oues in ea regione pauerunt. Faſtigiũ quidem templi uetuſtate collapſum quiuis conijciat. Eadem ferè in parte arx conſurgit, quæ & ipſa Niſæa dicitur. In imo arcis cliuo ad maritimam oppidi partem, Lelegis monimentum eſt: hunc ex Aegypto appulſum regnaſſe aiunt: filiũ uerò fuiſſe Neptuni, & Libyes Epaphi filiæ. Finitima eſt Niſææ inſula non magna, quô Creticam claſſem appuliſſe Minoëm ferunt, cùm bellum Niſo intuliſſet. Montana Megarici agri pars Bœotis finitima eſt: in ea habitantur oppida Pagæ, & Aegiſthæna. In uiæ militaris, quæ Pagas ducit, ipſo diuerticulo, ſaxum eſt ſagittis confixum: eas per noctem Perſas eiaculatos miſiſſe tradunt. Pagis Dianæ cognomento Soſpitæ ſignum eſt æneum, magnitudine ei par quod Megaris eſt, neq; ipſa figura dißimile. Eſt etiam Aegialei Adraſti filij heroicum monimentum, qui cùm in primo prælio, quod cõmiſſum eſt cùm Argiui iterũ ad Thebas ueniſſent, ad Gliſantem occidiſſet, propinqui eum ſublatum Pagas in Megaricum agrum deportarunt: ac illius quidem monimentũ Aegialeum appellatur. Aegiſthænis Melampodis Amythaonis filij

*nis filij templum eſt, & in eo non magni utiq; uiri ſignũ co
lumnæ inſiſtit.* Melampodi *ſacrum faciunt, & feſtum diem
quotannis celebrant.* Futura *uerò prædicendi, neq; è ſom-
nijs, neq; ex alia ulla ratione, ei ſcientiam tribuunt. Audiui
etiam cùm in* Erenea Megarici *agri uico eſſem,* Autonoën
Cadmi *filiam ex* Actæonis *caſu, & reliquis paternæ domus
calamitatibus, mœrore & luctu confectam, huc* Thebis *au-
fugiſſe.* Autonoës *quidem in eo uico monimentũ oſtenditur.
In uia quæ* Megaris Corinthũ *ducit, & alij tumuli ſunt, &*
Terlephanis *Samij tibicinis, quem faciundum curaſſe dici-
tur* Cleopatra, Philippi *eius quem Amynthas genuit filia.*
Viſitur & Caris Phoronei *filij monimentum: id cùm initio
terræ tantùm agger eſſet, ex oraculo* Conchide *lapide exor
natum eſt.* Et *is quidem lapis apud ſolos* Megarenſes, *è Græ
cis omnibus cæditur. ex eo multa ſunt in ipſa etiam urbe o-
pera.* Eſt *ille quidem inſigni candore, & alio quouis lapide
mollior.* Marinæ *in eo conchæ undiq; cernuntur.* Talis *qui
dem hic lapis eſt.* Viam *uerò quam* Scironem *appellant, pri
mus, cùm* Megarenſium *copijs præeſſet, muniſſe dicitur* Sci
ron, *ita ut expeditis hominibus æqua eſſet.* Adrianus *uerò
princeps, eandẽ eouſq; dilatauit, ut per eam agi poſſent duo
obuij currus.* De *ſaxis uerò quæ in uiæ anguſtijs eminent,
fabula prodita eſt huiuſmodi.* Inò *cum* Melicerte, *ſe, natu
minore filio, de ſaxo, quam* Moluridam *petram appellant,
præcipitem dediſſe, cùm natu maiorem* Learchum *pater
occidiſſet: ac* Athamantem *quidem in uxorem & liberos fu
rore impulſum, ſunt qui dicant, ſæuiſſe: alij uerò ita uehe-
menter incenſum, quòd uxoris nefario facinore immiſſam
reſciſſet* Orchomenijs *famem, ac ſimul ab illa de medio ſub-
latum* Phrixum *putaret: atque omnino accidiſſe omnia nõ*

diuinitus, ſed nouercæ dolo, interpretaretur. Illam igitur tunc aiunt ſe in mare de Moluride petra abieciſſe: puerum quidem à Delphine exceptum, cùm in Corinthiorum Iſthmum fuiſſet expoſitus, mutato nomine, ex Melicerte Palæmonem appellatum: eiq; cùm alios habitos honores, tum uerò Iſthmicos ludos decretos. Moluridem certè petram Leucotheæ & Palæmoni ſacrarunt. Nam aliã ſaxa quæ Moluridi adiacẽt, infamia & conſcelerata putant, quòd cùm ea accoleret Sciron, inde quoſcunq; nactus eſſet hoſpites, in mare detruderet: eos uerò adnatans marina teſtudo cõficere dicebatur. Sunt autẽ marinæ teſtudines magnitudine tantùm & pedibus terreſtribus diſsimiles. Pedes quidem habẽt quales uituli marini. Sed eodem poſtea Sciron mortis genere ſcelus luit, à Theſeo in idem abiectus mare. In montis iugo Iouis Apheſij cognomento fanum eſt. Eſſe uerò ita appellatum tradunt, quòd cùm ad deprecandam agri ſiccitatem, Aeacus in Aegina diuinam rem, ex quodam oraculo, Panellenio Ioui faceret, cùm eſſet perlitatum, deus calamitatem remouerit. Ibidem Veneris, Apollinis, & Panos ſigna ſunt. Qui longius proceſſerint, Euryſthei monimentum offendent, quem ab Herculis liberis prælio ſuperatum, cùm ex Attica fugeret, quo loco ſepultus eſt, fuiſſe ab Iolao occiſum dicunt. Iam uerò ab hac uia deſcendentibus, in conſpectu eſt Latoi Apollinis ædes, & cum ea ferè coniuncti Megarenſium & Corinthiorum fines, ad quos Hyllum Herculis filium ſingulari certamine cum Arcade Echemone congreſſum, hominum ſermone percrebuit.

PAVSANIAE CORINTHIACA, SIVE LIBER SECVNDVS.

Corinthiaca quidem regio ad Argiuorum fines pertinet: à Corintho uerò nomen accepit, quem Iouis *fuiſſe filium cùm ſtudioſe quæſierim, nondum inueni qui tradiderit, præter* Corinthiorum *multitudinem.* Nam Eumelus Amphilyti *filius* è *gente* Bacchiadum, *qui carmina dicitur feciſſe, in Corinthiaca hiſtoria ſcriptum reliquit(ſi modò* Eumeli *illud opus eſt)*Ephyren Oceani *filiã primã in ijs finibus conſediſſe:* Marathonem *deinde* Epopei *filiũ*, Aloëi Solis *filij nepotem, patris iniquitatem & contumeliam fugientem, in maritimam* Atticæ *partem coloniam deduxiſſe: audita uerò* Epopei *patris morte, in* Peloponneſum *reuerſum, ac mox inter filios regno diſtributo, in* Atticam *rediſſe. Ab eius quidem filio* Sicyone, *Aſopian, à* Corintho *uerò* Ephyræan *nomen accepiſſe. Corinthi in præſentia nulli iam ſunt indigenæ: eſt enim penes eos ciuitas, quos in coloniam* Romani *miſere.* Huius *rei cauſa fuit* Achæorum *concilium, in quo cùm* Corinthij *cenſerentur, & ipſi unà cum cæteris bellum* Romanis *intulerunt,* Critolai *autoritatem ſecuti: is enim &* Achæos, *& ex ijs qui ſunt extra* Peloponneſum, *multos ad defectionem ſolicitauit.* Romani *uerò rerum potiti, & cæteræ* Græciæ *arma eripuerunt, & munitarum omnium urbium muros demoliti ſunt.* Deletã *quidem à* Mumio *conſule* Corinthum, *à* Cæſare, *à quo* Romana *reſp. quam nunc etiã retinet, formã accepit, reſtitutã ferunt: nam &* Carthaginem *etiã idem reſtituiſſe dicitur.* In Corinthiaco *agro ui-*

cus eſt,cui Cromion nomen,à Cromo Neptuni filio: in eo educatum ferunt Pityocampten, cui ſuus eſt inter Theſei ærumnas locus. Operis index eſt pinus, quæ in ipſo adhuc litore ſe progredientibus oſtendit. Fuit hoc ipſo in loco & Melicertæ ara:eò enim à Delphine euectum puerum memorant, quem cùm offendiſſet expoſitū Siſyphus, & humarit in Iſthmo, & Iſthmicos in eius honorē ludos inſtituerit. In prima Iſthmi fronte locus eſt,ubi Sinis latro,curuatis ad terram diuerſarū picearū ramis,ad eos, quos pugnando uiciſſet,arctis utrinq; uinculis alligabat,ut cùm in ſuā naturā arbores rediſſent,miſerabilē illi in modū diſtraherentur: quo ipſe poſtea ſupplicij genere à Theſeo affectus eſt: totā enim eam uiā,quæ Athenas à Troëzene ducit, Theſeus à latrocinijs perpurgauit,& ijs quos iam nominaui interemptis,& Epidauri Periphete, quē Vulcano natum putabant,quiq; in pugna ænea claua utebatur. Iſthmus autem ipſe Corinthiacus mari utrinq; alluitur. Duobus eius latera promontorijs terminantur,Cenchreis,& Lechæo. Ea res interiorē regionem continentem facit.Nam quicunq; Peloponneſum inſulā facere conatus eſt, morte oppreſſus,opus imperfectū reliquit.Quà ſanè Iſthmus fodi cœptus fuerit, operis extāt ueſtigia.Saxoſa eius pars omnino tētata nō fuit,quare ſitus adhuc ſui naturam ſeruat. Alexandro quidem Philippi filio id unum ex animi ſententia non ceſſit, quòd Mimantem fodere non potuit.Gnidios uerò ad Iſthmū fodiendum aggreſſos,oraculū Pythij Apollinis deterruit: tam ſcilicet difficile eſt,diuinitus attributam certis rebus naturam, humana arte ſuperare. Quod uerò Corinthij de terra ſua prædicant,nō ipſi,opinor,primi cōmenti ſunt:nam ante eos Athenienſes ad Atticā ornandam Deorū contentionē memoriæ prodi-

prodiderunt. Ipſi quidem Corinthij Neptunum narrant in certamen cum Sole de regione deſcendiſſe: diſceptatorē inter eos Briareum fuiſſe, qui cùm Iſthmum Neptuno, Soli uerò promontorium, quod urbi imminet, adiudicaſſet, ex eo Iſthmum Neptuni fuiſſe. Inſignia uerò illic opera, theatrū, & ſtadium è candido lapide. Quà ad ipſum dei fanum aditus eſt, una in parte athletarum poſitæ ſunt ſtatuæ, qui uictores in Iſthmijs renunciati fuere: in altera pinus conſitæ, & earum multæ quaſi ad rectam lineam. In templo, quod modica ſanè magnitudine eſt, ænei ſtant Tritones: & in antica eius parte, Pronaon appellant, Neptuni ſigna duo, Amphitrites unum, ipſum etiam mare æneum. Quæ intus ſunt, dedicauit ætate noſtra Herodes Athenienſis, equos quatuor inauratos, præter ungulas tamē, quæ ex ebore ſunt: et iuxta equos Tritones duos aureos ad pubem uſq;: nam reliqua eburna ſunt. In curru ſtant Amphitrite, & Neptunus, & rectus Delphini inſiſtit Palæmon puer, ebore & auro hæc etiam expolita. In media baſi, quæ currum ſuſtinet, mare expreſſum, & ex eo emergens Venus: aſſiſtunt utrinq; Nymphæ, quæ Nereides appellātur, quibus et in alijs Græciæ locis aras dedicatas noui, cùm ſoli lucos illis Pœmenæi conſecrarint, ubi & Achilli honores habentur. Apud Dotos in Gabalis ſanctiſſimū eſt templum. Extat in eo peplus, quem filio Alcmæoni ſumpſiſſe Eriphylen Græci dicūt. In eadem baſi Neptuni, inſcalpti ſunt etiam Tyndari filij, quòd ſalutaria creduntur nauibus & uectoribus numina. Tranquillitatis præterea illi & maris ſimulachrum, & equus deinde, cuius, quæ ſunt infra pectus partes, ceti figurā præferunt. Inò ad hæc, Bellerophontes, & equus Pegaſus. Intra templi ſeptum eſt Portuni ædes, in qua ſigna ſunt, Neptunus, Matuta

& ipſe Portunus. Eſt et cella, quod penetrale appellant: aditus eſt ad eam ſubterraneus, ibi uerò Portunũ latêre aiũt; ac ſi quis uel ciuis, uel hoſpes eo in loco peierarit, quin periurij pœnas det, effugere nulla ratione queat. Eſt etiam uetus, quam Ciclopum appellant, ara, ad quam Cyclopibus di uinam rem faciũt. Sepulchra uerò aut Siſyphi, aut Nelei ubinam ſint, ut maximè Eumeli carmina perlegas, non poſſis deprehendere: nam etſi Neleum ſint qui tradant, cùm Corinthum ueniſſet, morbo uitæ extremum diem clauſiſſe, & circa Iſthmum ſepultum, eius tamen monimentum neque Neſtori quidem ipſi à Siſypho monſtratum ferunt, ac planè ignotum eſſe omnibus expedire. Siſyphum ipſum ſepultũ quidem in Iſthmo, ſed eius ſepulchrum paucis omnino, qui æquales eius fuere, notum fuiſſe. Iſthmici ludi ne exciſa quidem à Mumio Corintho, intermiſſi ſunt, ſed etiam in ipſa urbis uaſtitate, ut eos faciundos curarent, datum negociũ fuiſſe Sicyonijs. Reſtituta Corintho, ad eos, qui nũc ſunt, inquilinos priſtinus honos redijt. Corinthiorum naualibus Leches & Cenchrias nomina dedêre, quos Neptuno ex Pirene Acheloi filia genitos credunt: quanquam ijs carminibus, quæ magnæ Eoëæ ſunt appellatæ, Oebali fuiſſe filiã Pirenen proditũ eſt. In Lechæo Neptuni templum eſt cum ſigno æneo. In uia quæ ab Iſthmo ad Cenchræũ ducit, Dianæ templum eſt, & ſignũ peruetus ligneum. In ipſo Cenchræo Veneris delubrum, & marmoreũ ſignũ. In maris ferè alluuie Neptuni ex ære: in altero uerò portus cornu, Aeſculapij & Iſidis fana. Cenchræo è regione ſunt Helenæ balneæ. Aqua è ſaxo in mare defluit multa illa quidem, & ſalſa, nihilo calidior quàm quæ igni primùm intepuerit. Quà uerò aduerſo cliuo ad Corinthũ acceditur, & alij ſunt in uia tumuli, &

li, & ad ipſam portā Diogenis Sinopenſis, quem Græci Canem appellarunt. Maximè ſuburbanus is lucus eſt, cui Craneo nomen. In eo Bellerophontis fanū eſt, & Veneris Melanidis delubrū: Laidis etiam ſepulchrum, cui leæna inſcalpta eſt, prioribus pedibus arietē tenēs. Oſtenditur etiā in Theſſalia Laidis monimentum: ueniſſe enim in Theſſaliam dicitur, Hippoſtratum amatorem ſuum ſecuta: primùm quidem ab Hyccaris, Siciliæ id oppidum eſt, à Niciæ militibus captā, Corinthū deinde, ab eo cui uendita eſt, adductā, meretrices aiūt longè omnes ætatis ſuæ corporis forma anteiſſe: tantæ uerò fuit Corinthijs admirationi, ut nunc etiam de Laide certent. Multa in urbe præclara opera, quæ partim reliquiæ ſunt antiquitatis, partim uerò florente poſterioribus ætatib. Corinthiorū ciuitate facta ſunt. In foro, ubi plurima ſunt tēpla, Diana eſt Epheſia cognomento, et Liberi Patris ſigna duo lignea, inaurata, præter ora tamen, quæ minio oblita ſunt: Lyſiū alterū, alterū Baccheū nominãt. Quæ de ijs ſignis peruagata ſunt uulgi ſermonibus, et ipſe ſcribã. Pentheum aiunt cùm Liberū Patrē multis contumelijs uexaret, & alia inſolenter facere auſum, & poſtremò, ut fœminarum operta ſacra ſpecularetur ad Cythærone profectū, in arborem aſcendiſſe, atq; inde omnia conſpicatum: quod cùm Bacchæ animaduertiſſent, impetu facto uiuentem eum laceraſſe, ac membratim diſcerpſiſſe. Corinthij redditū ſibi oraculū narrant, ut eam arborem quærerēt, & inuentæ diuinos honores haberent: illius igitur oraculi monitu ſe imagines illas faciundas curaſſe. Eſt præterea Fortunæ ædes, cuius ſignum recto ſtatu è Pario lapide. Templum adiunctum eſt Dis omnibus dicatū. Proximè erectus eſt aquæductus, cui inſiſtit Neptunus ex ære; ſub cuius pedibus Delphi

nus aquam profundit. Eſt etiam ex ære Apollo cognomento Clarius, & Venus, Hermogenis Cytherij opus. Sunt & Mercurij ſigna duo, & ipſa ex ære, & recto ſtatu: ſed eorũ alterum cellam ſuam habet. Iouis uerò ſub diuo poſita ſigna tria, quorum unum cognomen non habet, alterum Terreſtrem, tertium Celſiſsimum nuncupant. In medio foro eſt Minerua ex ære, in cuius baſi Muſæ inſcalptæ ſunt. Vltra forũ Octauiæ ædes eſt Auguſti ſororis, qui Cæſari in imperium Rom. ſucceſsit, ei nempe à quo eſt Corinthus reſtituta. Cùm è foro exieris Lechæũ uerſus, ueſtibula uideas, ac ſuper ipſis inauratos currus duos, quorũ altero Phaëthon Solis filius, altero Sol ipſe uehi uidetur. Intra propylæa uerò ingreßis, ad dexteram eſt Hercules æneus. Ab eo aditus eſt ad Pirenen fontem, de quo fabulis uulgatum, Pirenen Nympham cùm filium Cenchriam lugeret, quem Diana per imprudentiam occiderat, tantam profudiſſe lachrymarũ uim, ut in fontem ſui nominis conuerſa fuerit. Ornatus fons eſt candido marmore: in eo cellulæ exciſæ, è quibus tanquam è ſpeluncis in patulum ac ſubdialem alueum aqua profluit guſtatu ſuauis, & qua æs Corinthium candens immergi autumant, cùm alioqui nullum habeant æs Corinthij. Eſt autem & Apollinis ad Pirenem ſignũ, & ſeptum, in quo pictum Vlyßis in procos facinus. Rurſus in uia qua ad Lechæũ rectà iter eſt, Mercurius ex ære ſedens uiſitur, cui adſiſtit aries, quòd unus præ cæteris Mercurius greges tueri, & augere exiſtimatur: quam rem Homerus in Iliade ſignificat:

Hic ſibi natus erat pecoris ditißime Phorba,
Quem ſibi præ cunctis charum Cyllenia proles
Ditarat Teucris.

Nam quæ cognita in Magnæ matris initijs mihi ſunt de Mer

curio

curio & ariete, conſultò reticeo. Poſt Mercurij ſignum Neptunus *eſt, &* Matuta, *et delphine uectus* Portunus. *Balneæ uerò paßim Corinthijs, et aliæ è publica pecunia extructæ, & quas impenſa ſua* Adrianus Imp. *exædificauit. Quæ uerò omnium ſunt nobilißimæ prope* Neptuni, *eas* Euryclcs *Spartanus condidit, & cùm alijs lapidibus, tum uerò eo qui in* Crocis *Laconici agri uico exciditur, exornauit. Ad læuã aditus,* Neptunus, *ſecundùm eum uenatricis habitu* Diana *ſtat. Aquæductus multi in diuerſis urbis regionibus (luculenta enim Corinthijs perennium aquarum copia ſuppeditat) & is, quem ducta è* Stemphylo *aqua erigendum curauit* Adrianus. *Quæ ſpectentur dignißima ſunt, ubi à* Dianæ *ſigno diſceſſeris,* Bellerophontes, *& ex ipſa* Pegaſi *equi ungula manans aqua. Alteram uerò qui uiam tenuerint à foro Sicyoniã uerſus,* Apollinis *ædem cum æneo ſigno uideãt, & modico hinc interuallo fontem qui* Glauces *dicitur, quòd in illum ſe* Glauce *abiecit, ſalutarem ſibi aquam fore ſperans contra* Medeæ *ueneficia. Supra fontem hunc ædes eſt, quod* Odeum *appellant.* Proximũ *ei* Medeæ *filiorum ſepulchrũ, quorum nomina* Mermerus, *&* Pheres. *Lapidibus uerò à* Corinthijs *obrutos memorãt, propter ea quæ à matre* Glauce *munera attulerunt. Sed enim quòd per uim oppreßi innocentes fuere, nece ſua illis Corinthiorum liberi pœnas dederunt ex oraculo, & ſolennia illis ſacra fieri cœpta,* Pauoris*q́; imago dedicata.* Extat *illa hac etiam ætate muliebri habitu ad terrorem quammaximè effecta.* Deleta *uerò à* Romanis *Corintho, & indigenis male mulctatis, priſtinum ſacrificandi morem coloni non retinuerunt: neq; amplius illis pueri aut crinem tondent, aut obſoletam ueſtem induunt.* Medeã *quidem ipſam cùm* Athenas *ueniſſet,* Aegeus *in ma-*

trimonio habuit: ſed inſidijs, quas Theſeo fecerat, detectis, in Aſiæ eam partē, quæ tunc Aria uocabatur, profugit, ubi de ſe Medis nomen dedit. Iam filium, quem ſecum in Arios abduxit, Aegeo genitum tradunt, Medoq́; ei nomen fuiſſe: Hellanicus tamen Polyxenum nuncupat, & patrem ei Iaſonem fuiſſe ſcribit. Carmina Græci habent, quæ Naupactia nominant, in illis ſcriptum extat, Iaſonem poſt Peliæ mortem Corcyram migraſſe, ibiq́; Mermerū eius filium in continenti ea, quæ è regione eſt, uenantem, à leæna interfectum. Cinæthon Lacedæmonius (nam & is Gentilitates uerſibus mandauit) Medum & Eriopen filiā ſuſcepiſſe Iaſonem ex Medea, ſcriptū reliquit, neq́; amplius quicquā, quod ad pueros pertineat. At Eumelus Solem dicit Aloëo Aſopiam terram, Ephyræā Acetæ tradidiſſe: Aceten deinde Colchos profectum Buno regnū ſuum cōmendaſſe: Bunum ipſum Mercurio ex Alcidamea genitum, qui cùm è uita deceſſiſſet, Epopeum Aloëi filium Ephyræorū imperium obtinuiſſe: deinde uerò cùm Corinthus Marathonis filius nullos reliquiſſet liberos, Corinthios ex Iolco Medeam in regnum uocaſſe: eam uerò Iaſonem regni compotem feciſſe, ac filios quidem peperiſſe, ſed in lucem quicquid edidiſſet, in Iunonis fano occultare ſolitā, quòd nempe immortales futuros ſibi perſuaſerat: uerùm cùm neq́; id ex uoto eueniſſet, & re comperta, Iaſon non modò deprecanti ueniam non dediſſet, ſed ea relicta Iolcon reuertiſſet, & ipſam Corintho profectam Siſypho imperium tradidiſſe. Hæc perinde, ut mihi comperta ſunt, expoſui. A ſepulchro non multum diſtat Frænatricis Mineruæ (Chalinitida appellant) fanum: Mineruam etenim aiunt præ cæteris Dis Bellerophonti cùm alijs in rebus opitulatam, tum uerò à ſe domitum, fræno iam impoſito, Pegaſum

ſum dediſſe. Ligneum eſt deæ ſignum: os tamen, manus, & imi pedes, è candido lapide ſunt. Neq; uerò Bellerophontem regnum Corinthiorum unquam poſſediſſe, ſed in Prœti Argiuorum regis poteſtate fuiſſe, & ipſe ut credam facilè adduci poſſum, ac nihilo minus qui Homeri carmina nõ indiligenter legerit: ſatis etiam conſtat tenente iam Lyciã Bellerophonte, Corinthios perpetuò ijs qui aut Argis, aut Mycenis rerum ſummæ præeſſent, paruiſſe, quandò priuatim ipſi nullum ad Troiam ducem miſerunt, ſed Agamemnonis ſigna & auſpicia ſecuti, eius expeditionis participes fuere. Siſyphus quidem non Glaucũ duntaxat Bellerophontis patrem genuit, ſed præter eum, Ornytionem etiam, & poſt hunc Therſandrum, & Almum ſuſcepit. Ornytione Phocus natus, Neptuni tamen creditus: is Thyræam in ea regione, quæ nunc Phocis dicitur, coloniam deduxit: Thoas eius frater natu minor Corinthi manſit: eo Demophon, Demophonte Propodas, Propoda Doridas & Hyanthidas geniti ſunt. His regnantibus Dorienſes exercitum duce Alete Hippotæ filio, Phylantis nepote, Antiochi pronepote, & Herculis abnepote, contra Corinthum duxerunt: ibi Doridas & Hyanthidas regno Aletæ tradito, ipſi Corinthi manſerunt. At plebs prælio uicta ſedibus ſuis pulſa eſt. Aletes ipſe, & eius poſteritas, ætates quinq; uſq; ad Bacchin Prumnidis filium regnum tenuit. Aetates totidem Bacchidæ uſq; ad Teleſten Ariſtodemi filium, quo ab Arieo & Perante de medio ſublato, regno finis impoſitus: Prytanei enim deinceps ex Bacchidarum gente ſummæ rei præfuerunt. Hos tyrannide occupata, Cypſelus Ectionis filius oppreſſit. Nepos Cypſelus fuit Melanis Antaſi filij. Melana quondam ex Gonuſa oppido, quod ſupra Sicyonem eſt, Corinthum de-

ducendæ coloniæ cauſa cum Dorienſibus profectum, Alctes primùm ex quodam oraculo in aliam Græciæ partem dimi ſit: deinde uerò mutata ſententia & oraculo neglecto, cum ſibi ſocium & contubernalem aſciuit. Atq; hac caſuum uarietate Corinthiorum reges iactatos comperi. Templum uerò Mineruæ Frænatricis iuxta theatrum eſt, & ei proximum Herculis nudo corpore ligneum ſignum, quod à Dædalo factum tradunt. Ac Dædali quidem opera rudia ſunt, neq; aſpectu decora, ſed quæ numen ueluti quoddam præ ſe ferant. Supra theatrũ templum eſt Iouis quem Capitolinũ, Romanorum uoce, Græca lingua Coryphæum rectè appellaris. Ab hoc theatro ſatis multum diſtat priſcum gymnaſium, & fons, quam Lernã uocant: incingitur is columnis, atq; item ſedilibus planè appoſitis, ad eos excipiendos, qui æſtate frigus captatũ ueniant. Coniuncta ſunt cum ipſo ferè gymnaſio, deorũ delubra duo, Iouis alterũ, alterũ Aeſculapij: Aeſculapius ipſe & Hygea è candido lapide ſunt: nam Iuppiter æneus eſt. Iam qui in Acrocorinthum aſcendant (montis id iugũ eſt urbi imminens, quod Soli in diſceptatione Briareum, Veneri Solem conceßiſſe narrant Corinthij) ſed in Acrocorinthũ qui aſcendant, fana duo Iſidis uideant, alterum Pelagiæ, alterum uerò Aegyptiæ cognomento: totidem Sarapidis, quorum alterum Canopitani appellant. Sunt deinceps Solis aræ, Neceßitatis & Violentiæ ædes, in quam ingredi fas eſſe negant. Supra eam, Matris deûm delubrum, columna, ſolium, utrunq; lapideum. In Parcarũ uerò Cereris & Proſerpinæ æde ſigna aperta nõ ſunt. Eadem in parte eſt Bunææ Iunonis templum, à Buno Mercurij filio dedicatum, à quo & Dea cognomen accepit. Iam in ipſo ad Acrocorinthum aditu delubrum eſt Veneris: ſigna in eo,

ipſa

ipſa dea armata, Sol, & Cupido arcum tens. Fontem uerò eum qui à tergo delubri eſt, conceſſum aiunt ab Aſopo Siſy pho, quòd cùm raptam à Ioue Aeginam ſciret Aſopi filiam, tum demum indicaturū dixerit, cùm in ipſa Acrocorintho perennem aquam haberet: quare cùm Aſopus, ne recuſare amplius poſſet, fontem dediſſet, indicauit ſcilicet ille, & eius indicij, ſi ſatis id credi poteſt, pœnas aiunt apud inferos dare. Audiui etiam qui dicerent eum fontem Pirenem eſſe, & aquā ex eo in oppidū defluere. Nam Aſopus amnis ſuos habet in Phliaſiorum finibus ortus, atq; inde per Sicyoniorū agrū lapſus, in mare iuxta Corinthū exit. Filias uerò Aſopo Phliaſij fuiſſe dicūt, Corcyran, Aeginā, Theben, et à prioribus duabus inſulas eas, quarū altera antè Scheria, Oenone altera ſit appellata, nouū nomen accepiſſe: à tertia Theben, quæ ſub Cadmea eſt, nominatam: Thebani tamen id minimè confitentur: eam enim Theben Bœotij fuiſſe, nō Phliaſij Aſopi contendunt. De flumine uerò Aſopo eadem à Phliaſijs & Sicyonijs traduntur, eſſe non indigenam, ſed aduenā amnem: Mæandrū etenim à Celænis per Phrygiam & Cariam in mare ad Miletum erumpere, inde in Peloponneſum ſubterfluere, atq; illic Aſopū fieri. Neq; uerò ab hac opinione diſsident, quæ à Delijs me audiſſe memoria teneo: Inopum amnē è Nilo occulto meatu ad ſe peruenire. Quin & Nilum fama eſt Euphraten eſſe, qui ubi paludi immerſus diu latuerit, ſupra Aethiopas Nilus euadat. Hæc de Aſopo mihi audita ſunt. Ab Acrocorintho, quà in montanā partē diuertitur, eſt porta Teneatica, & Lucinæ fanum. Oppidū quæ Te nea dicitur, ſtadia fermè LX. hinc diſtat. Oppidani ſe Troianos fuiſſe affirmāt, qui captiui è Tenedo à Græcis abducti, eum locum ab Agamemnone acceptum teneant: & illi qui-

dem Apollinem in primis uenerantur. A Corintho uerò qui mediterranea parte relicta, rectà Sicyonem uerſus contendant, non longè ab urbe templum ad uiæ læuã incenſum uideant. Fuerũt Corinthiorum fines multis alijs bellis infeſti, per quæ ueri poteſt uideri ſimile, cùm ſacra, tum profana ædificia in ſuburbanis igni fuiſſe conſumpta. Hoc certè templum Apollinis eſſe, & à Pyrrho Achillis filio exuſtum ferunt. Audiui autẽ & aliud de eo quiddã huiuſmodi: ædem hãc Ioui Olympio Corinthios erexiſſe, eamq; ſubito incendio, incertũ unde igni immiſſo, cõflagraſſe. Sicyonij (ſunt enim in hac parte Corinthijs finitimi) hæc de originibus ſuis cõmemorant: extitiſſe primùm in ea regione Aegialeũ indigenam, atq; eo regnante, eam Peloponneſi partẽ quæ Aegialus hoc etiam tempore nuncupatur, nomen ſumpſiſſe: ac illũ quidem plano loco oppidum, cui Aegialea nomen, muniſſe: fuiſſe uerò ibi arcẽ, quo loco nunc Mineruæ templũ eſt: Aegialeo patre Europen natũ, Europe Telchinen: huic filium Apin fuiſſe, cuius ante Pelopis in Olympiã aduentũ, eouſq; opes creuerint, ut ea tota regio, quæ intra Iſthmũ eſt, ab eo fuerit Apia nuncupata. Iam uerò Apis Thelxionẽ ſuſcepit, Thelxione ortus Aegyrus, Aegyro Thurimachus, Thurimacho Leucippus: Leucippo uirilis proles nõ fuit, filia unica Chalchinia: eam è Neptuno puerũ peperiſſe, quẽ Leucippus ſublatũ & eductũ, regni ſucceſſorẽ moriens reliquerit: nomen huic Perato fuiſſe, de cuius filio Plemnæo, quæ memoriæ prodita ſunt planè miraculo mihi adſcribẽda uidentur. Nam cùm omnes qui ei naſcebantur filij in primo uagitu animam agerent, poſtremò Plemnæi uicem miſeratam Cererẽ, ad eius uxorẽ peregrinæ ornatu ueniſſe memorant, eiq; Orthopolin recẽs natũ educaſſe. Orthopolidi filia fuit

Chryſor-

Cryſorthe, quam ex Apolline peperiſſe Coronum pro certo habent: Corono ortus Corax, & eo natu minor Lamedon: Corace uerò ſine liberis mortuo, Epopeus, qui id temporis è Theſſalia uenerat, imperium ſibi uindicauit. Hoc primùm regnante hoſtilem exercitum tradunt in fines ſuos inuaſiſſe, cùm ante perpetua pace uſi fuiſſent. Eius uerò belli huiuſcemodi cauſa perhibetur. Antiopes Nyctei filiæ celebre fuit ob formæ excellentiam apud Græcos nomen, quam fama proditũ etiam eſt nõ Nicteo, ſed Aſopo amne, qui Thebani & Platæenſis agri fines interſecat, genitam: eam Epopeus, quòd antè uxorem ſibi petiſſet, libidine et petulantia impulſus rapit: hanc iniuriã cùm armis Thebani perſequerentur, cõmiſſo prælio, Nycteus uulnus accepit. Ipſe etiã Epopeus ſaucius ex acie, uictoria tamẽ potitus, diſceſſit. Nycteus, cùm ſui eum Thebas reportaſſent, nõ ita multò pòſt moriens regni adminiſtrationẽ Lyco fratri ad tẽpus reliquit, Labdaco Polydori filio, Cadmi nepote, cuius ipſe antè tutor fuerat, in eius tutelã tradito: à quo multis precibus contendit, ut maiore exercitu in Aegialean ducto Epopeum ulciſceretur, atq; ipſam etiã Antiopen, ſi capere poſſet, male mulctaret. Epopeus interea pro uictoria Dis gratulatus, ludisq; et ſacris eo nomine peractis, Mineruæ templũ erexit, ac opere iam abſoluto deam eſt precatus, ſibi ſignũ aliquod ut daret, num ei accepta fuiſſet fani dedicatio: ſtatim itaq; oleũ tradunt ante templũ diuinitus fluxiſſe. Verũ & ipſe Epopeus paulò pòſt ex uulnere negligentius curato diẽ ſuũ obijt: quo factu eſt ut belli cauſa remota fuerit. Siquidem Lamedon, qui in regnũ ei ſucceſſit, ultro Antiopen Lyco reddidit, quæ cùm Thebas reduceretur, in ipſa quæ Eleutheras ducit uia, partu leuata eſt: qua de re uerſus hoſce fecit Agis Amphiptolemi filius:

Antiope peperit Zethum,atq; Amphiona dium,
Aſopo celeri currenti uortice nata,
Iuppiter hos genuitq́; ſimul regnator Epopeus.

Sed hos ad auguſtiores multò natales retulit Homerus, *cùm Thebas ab illis primùm conditas dixerit,quippe qui, uti mi bi uidetur, inferiorem urbem à* Cadmea *diſtinguat.* Lamedon *quidem regno inito uxorem* Athenienſem *duxit* Phenò Clytij *filiam:bello mox contra* Achæos Archandrum *&* Architelen *ſuſcepto, ex* Attica *belli gerendi ſibi ſocium* Sicyonem *adſciuit, data ei in matrimonium* Zeuxippe *filia, à quo poſtea iam regnum adepto, & regio tota* Sicyonia,*et urbs,quæ antè* Aegiale *fuit,*Sicyon *nuncupata eſt. Ac* Sicyonem *quidem ipſum nō* Marathone Epopei *filio, ſed* Metione Erechthei *genitum ferunt,quibus* Aſius *aſſentitur.* Nam Heſiodus Erechtheo *illū,* Ibycus Pelopi *attribuit.*E Sicyone *uerò* Chthonophyle *gignitur, quæ* Mercurio Polybum *peperit:ex eademq́; et* Phliante Liberi Patris *filio, qui habuit eam in matrimonio,* Androdamas *naſcitur.*At Polybus Lyſianaſſam *filiam,* Talao Biantis *filio* Argiuorum *regi locauit.* Ad Polybum Adraſtus Argis *eiectus* Sicyonem *confugit,eoq́; mortuo regnum ipſe adijt.Poſt* Adraſti *deinde in patriam reditum,* Ianiſcus Clytij *eius nepos, cuius filia cum* Laomedonte *fuerat, ex* Attica *ueniens regnum inijt,à cuius obitu* Phæſtus *è filijs* Herculis *unus(ut uulgò ferebatur)regnat. Sed cùm is ex oraculi reſponſo in* Cretam *migraſſet,*Zeuxippus Apollinis *è* Syllide *nympha filius regnū dici tur obtinuiſſe. Qui cùm deceßiſſet,* Agamemnon Sicyonijs, *& ipſi regi* Hippolyto Rhopali *filio,*Phæſti *nepoti,bellum intulit. Is opibus diffiſus ſuis,* Agamemnonis *&* Mycenæorum *ſe imperata facturum ſpopondit.* Hippolyto Lace-

ſtades

ſtades filius fuit, quo regnante, Tamphalcos Temeni filius cum Dorienſibus Sicyonem nocturno impetu occupauit: in Hippolytum tamen, quòd ex Herculis nepotibus eſſet, nihil acerbè aut crudeliter commiſit, quinimò imperiũ cum eo communicauit. Ex eo Sicyonij Dorienſes facti, & inter Argiuos cenſeri cœpti. Aegialei uerò in campis ſitã urbem cùm Demetrius Antigoni filius euertiſſet, uetuſtæ arci urbem, quæ nunc permanet, adiunxit. Et cauſam quidẽ, quãobrem tantopere Sicyoniorum opes attritæ fuerint, non facilè quis, etiam ſi ſtudioſe quæſierit, inuenire poßit. Quare id quod Homerus de Ioue dixit, pro cauſa eſto:

Vrbes qui multas à celſo culmine uertit.

Iam uerò magnis cùm cladib. Sicyonij afflicti eſſent, ipſam urbem terræmotus ad ſolitudinem & uaſtitatem redegit: ac tunc multa quæ admirationi fuerant, opera interierunt. Eodem uerò caſu Cariæ & Lyciæ urbes magnis calamitatibus affectæ, & Rhodus in primis inſula tam uehementer concuſſa eſt, ut Sibyllæ uaticinatio Rhodi ſit exitio comprobata. Quà ex Corinthiaco agro in Sicyoniũ iter eſt, Lyci Meſſenij monimentum extat, quicunq; ille fuerit: neq; enim Lycum ego ullum Meſſenium comperio, qui uel in Quinquertio ſe exercuerit, uel in Olympicis ludis palmam tulerit. Eſt hoc quidem monimentum terræ tumulus. Ad hunc enim ferme modum ſuorum cadauera condunt Sicyonij: corpus terra cõtegunt, deinde lapidea baſi extructa columnas erigũt, quibus faſtigia, uel ut Græci uocant, aquilas imponunt, eadem propè ſpecie qua ſunt templorum culmina. Inſcribunt uerò ſepulchris planè nihil, ſed eius quem extulerunt nomen appellantes, patris mentione prætermiſſa, illum ualere iubent. Iam uerò poſt Lyci monimentum trans Aſopũ,

ad dexterã Olympiũ eſt. Ad uiæ læuã modico interuallo ſepulchrum Eupolidis Athenienſis Comœdiarũ ſcriptoris. Hinc qui progreſſi fuerint, ad ipſam quaſi urbem à diuerticulo redituri, Xenodices, quæ è partu mortua eſt, monimentum uideant. Illud quidẽ nõ eadem eſt forma, qua ſepulchra faciũt Sicyonij: in eo enim in quo pingi poſſet, locus relictus eſt, et pictura ſanè, uti alia quæuis, eſt quæ ſpectetur digniſſima. Porrò hinc qui proceſſerint, ſepulchrũ inueniẽt Sicyonijs extructum ijs qui ad Pellenen, ad Dymen Achæorũ, ad Megalopolim, & ad Selaſian mortẽ oppetierunt, de quibus poſterius omnia exponentur pleniſſimè. Ad portã fons eſt in ſpecu, cuius aqua nõ è terra ſcaturit, ſed è ſpecus faſtigio manat, qua de re Stazuſan nuncupant. In arce quæ nunc extat, Fortunæ Acrææ ædes, & ſecundùm id Caſtorum: numinum ipſorũ è ligno utrobiq; ſigna ſunt. In theatri, quod infra arcem ædificatũ eſt, Scæna, uiri ſcutũ tenentis ſtatua uiſitur, quã Arati Cliniæ eſſe dicunt. Non longè à theatro Liberi Patris templũ eſt: dei ſignũ ex ebore, & circa eum Bacchæ è candido lapide: has quidem ſacras fœminas eſſe dicũt, Liberi Patris inſtinctu afflatas. Alia ſigna Sicyonij in ſacrario cõdita habent: hæc quotannis ſtata nocte in Bacchi templum deportãt, ex eo loco quod Coſmeteriũ, id eſt, põparũ cellariũ, nuncupãt: his faces accẽſas præferũt, et patrijs cantibus põpã proſequuntur. Pompæ ueluti dux eſt, quẽ Baccheum nominant, ab Androdamante (ut ipſi dicũt) Phliantis filio dicatus. Portatur poſt eum Lyſius, quem Thebis Pythiæ monitu Phanes huc dicitur tranſtuliſſe. Venit quidem Phanes Sicyonem eodem tempore, quo Ariſtomachus Cleodami filius: ab oraculo enim ipſi edito cùm aberraſſet, à reditus itidem in Peloponneſum præſtituto tempore aberrauit.

uit. Quà à Liberi Patris in forum deſcenditur, ad dexteram Dianæ templum Liminææ eſt, cuius tectum uetuſtate collapſum eſſe, facilè eſt aſpicienti cognoſcere. De ſigno uerò deæ neq; fuerit'ne aliunde deportatum, neq; quo caſu corruptũ ſit, quicquã afferunt. In foro Pithûs Suadelæ ædes eſt. Suadelam uerò hac de cauſa colere inſtituerunt. Apollo & Diana Pythone cæſo, ut ſe expiarent ueniſſe Aegialen tradunt, ſed incuſſo terrore, eo ipſo in uico qui nunc Phobus dicitur, in Cretam ad Carmanorẽ diuertiſſe, ac ſtatim peſtilentẽ morbum Aegialenſibus immiſſum, quem depelli non poſſe uates monuerunt, ni Apollo & Diana placarentur. Miſſos itaque pueros ſeptem ac totidem uirgines ad Sythan amnẽ ſupplicum ornatu, quorum precatione perſuaſos deos in arcem ueniſſe: eo itaq; in loco quo primùm uenere, Suadelæ ædem dicatam. Idem uerò ritus hoc etiam tempore ſeruatur. Pueri enim feſto Apollinis die ad Sythan ueniunt, ac deorum ſigna in ædem Suadelæ deportant, deinde in templo Apollinis ea reponũt. ac ipſum quidem templum, quod hoc tempore extat, in foro eſt: uetuſtũ uerò à Prœto dedicatum tradunt, quo in loco eius filiæ furoris morbo liberatæ ſunt. Addunt Meleagrũ in hoc ipſo templo haſtã poſuiſſe, qua aprũ Calydoniũ cõfecerat. In eodẽ etiã templo dedicatas fuiſſe Marſyæ tibias. Poſt aduerſum enim Sileni caſum, eas Marſyan amnẽ in Mæandrũ, deinde in Aſopũ detuliſſe: eiectas inde in agrũ Sicyoniũ, paſtorẽ quendã ſuſtuliſſe, & Apollini dicaſſe. Ex ijs donarijs nullum ſanè incendiũ illud, quo templũ cõflagrauit, reliquũ fecit. Nam quæ extãt ætate mea cùm templũ, tum ſignũ, Pithocles dedicauit. Quod uerò fanũ iuxta Suadelæ ædem Romanis imperatoribus conſecratũ eſt, fuit olim Cleonis tyranni domus. Nam Cliſthenes

Ariſtonymi filius, Pyrrhonis nepos, tyrannidē tenuit quandiu inferiorem urbem Sicyonij incoluerunt. Cleonis in ea, quæ nunc manet, urbē dominatus fuit. Ante Cleonis domum heroicum eſt Arati monimentum, qui rerum geſtarū gloria æquales omnes uicit ſuos, de quo hæc potiſsimum cōmemorari poſſunt. Poſt Cleonis mortem, tam effrænata ciuitatis principes inceſsit dominandi cupiditas, ut eorū duo eodem tempore tyrannidem inuaſerint, Euthydemus, & Timoclidas: quibus eiectis, populus ſummæ rerum Clinian Arati patrem præfecit. Verùm nō multis pòſt annis, cùm Clinias è uita iam exceſsiſſet, ad tyrannidē acceſsit Abantidas: quo dominante Aratus, uel quòd ab eo eiectus fuerit, uel quòd uoluntate ſua ceſſerit, in exiliū abijt. Ipſum certè Abantidan ciues trucidarunt. Dominatum tamen eius pater Paſeas occupauit, quem mox cùm Nicocles ſuſtuliſſet, ipſe ſibi tyrannidem uindicauit. Hunc Aratus, comparata exulum & Argiuorū conductitiorum militum manu, pellere adortus, cùm ad muros nocte acceſsiſſet, præſidium partim fefellit, partim ui ſuperauit, atque ita oppido potitus, aſſumpta plebe ſumma cum celeritate ad tyranni domum accurrit, quam non magno utiq; negocio cepit: ſed Nicocles furtim eſt elapſus. Tum Aratus ciuitatis liberā adminiſtrationē Sicyonijs tradidit. Domos & prædia quæ diuendita fuerant, emptoribus precio diſſoluto, exulibus cùm reddidiſſet, diſsidiorum & controuerſiarum cauſas concordia conſtituta ſuſtulit. Idemq; cùm Macedones, Antigono Philippi acceptam à Demetrio eius patre tutelā gerente, Græcos omnibus formidoloſi eſſent, Sicyonios, tametſi Dores erant, cum Achæorum concilio coniunxit. Imperator uerò ab Achæis declaratus, exercitum contra Amphiſſenſes duxit, & Aetolorum fines ingreſſus

greſſus, agrum populatus eſt: Corinthum mox, eam tenente Antigono cum Macedonũ præſidio, ſubito impetu, & pugna cõmiſſa, cùm alios multos, tum ipſum præſidij ducem Perſeum, Senonis Mnaſeæ filij philoſophi auditorem, occidit. Corinthum itaq; cùm Aratus liberaſſet, addiderunt ſe ad Achæorum concilium Epidaurij, ac Troezenij, qui Argoli cum litus incolunt, quiq; extra Iſthmum ſunt Megarenſes. Quare cum Achæis Ptolemæus ſocietatem coijt. Lacedæmonij uerò Agidem Eudamidæ filium regem ſuũ ſecuti, ſubita excurſione Pellenen occuparunt: uerũ Arato ſuperueniente prælio uicti, relicta Pellene domum ſe certis cõditionibus receperunt. Ibi Aratus cùm Peloponneſiacæ res proſperos habuiſſent ſucceſſus, indignũ ratus negligenter ferre Piræeũ, Munychiam, Salaminem, & Suniũ à Macedonibus teneri, neq; tamen ſperaret per uim inde eos eijci poſſe, Diogenem præſidiorum præfectũ adduxit, ut talentis C L. acceptis, ea loca dederet: ipſe quidem eius pecuniæ ſextantem Athenienſibus dedit. Perſuaſit etiam Ariſtomacho Argis dominanti, ut popularem remp. Argiuis redderet, eamq; cum Achæorum concilio cõiungeret. Idem Mantineam à Macedonibus occupatam cepit. Sedenim hominibus haudquaquã ex animi ſententia cuncta eueniunt: quandoquidem Aratum neceßitas impulit, ut ſe ad Antigoni Macedonum regis ſocietatem adiungeret. Res ita geſta eſt: Cleomenes Leonidæ filius, Cleonymi nepos, Spartæ regnum adeptus, Pauſaniã ſibi imitandum propoſuit, nempe qui & tyrannidem appetijt, & legibus antè ſancitis ſibi ſtandum nõ putauit: uerùm ut qui ferocior fuit multò, & minus uitæ retinendæ auidus, per animi elationẽ & audaciã breui omnia perdidit. Nam & ex altera familia Eurydamidam regem adhuc impube-

rem per Ephoros ueneno de medio ſuſtulit, ad fratremq́; ſuum Epiclidam imperium tranſtulit: & ſenatus autoritate euerſa, Patronomos, quaſi dixeris patriarū legum autores, pro eo ordine, quo ad ipſum duntaxat nomē inſtituit. Mox rerum utiq; maiorū, & toti Græciæ imperandi cupiditate incitatus, Achæis primùm bellum intulit, uel quòd uictos, fo re ſibi auxilio ſperabat, uel quòd ſuis eos conatibus impedi mento eſſe nolebat: atq; eos quidem ad Dymen (qui uicus ſu pra agros Arati eius ipſius fuit, qui tunc Achæis imperabat) prælio uicit. Aratum itaq; coēgit Achiuis & Sicyoni ipſi metuentem, Antigonum in auxilium accerſere: Cleomenes enim pace Antigoni uiolata, cùm alia multa apertè præ ter fœderis conditiones fecerat, tum uerò Megalopolitanos ſedibus expulerat: quare cùm Antigonus in Peloponneſum tranſiſſet, Achæi ad Selaſian cū Cleomene ſigna contulerūt, quo uicto, & Selaſian diripuerunt, & ipſam etiam Lacedæmonem expugnarunt. Lacedæmonijs uerò Antigonus & Achæis priſtinā reipublicæ formam reddidit. De Leoni dæ uerò liberis Epiclidas in pugna cecidit: Cleomenes, cùm in Aegyptum fugiſſet, honorificè primùm eſt à Ptolemæo acceptus: at deinde in uincula coniectus, eo crimine damnatus eſt, quòd aduerſus regem Aegyptios concitaſſet: & is ſanè tunc effugit. Sed mox cùm Alexandrinis noui tumultus autor extitiſſet, iterū comprehenſus mortem ſibi conſciuit: cuius caſu Lacedæmonij regio dominatu liberati, ad hunc uſq; diem, eius, quam tunc inſtituerūt, reip. ueſtigia retinent. Arato Antigonus ut de ſe benemerito uiro, & rerum geſtarum gloria inſigni, perpetuam præſtitit beneuolentiam. At eum Philippus cùm iam regnare cœpiſſet, quòd multa, quæ ille agebat, in eos quibus præerat, iracundius, Aratus non

proba-

bat, ac ſæpe etiam animi impetu uehementius concitatum coërcebat, nihil tale timentē ueneno dato necauit. Eius qui*dem cadauer Aegio, ubi ſupremum diem clauſerat, Sicyonem relatum, magnificè ſepultum eſt, & hac ipſa etiam æta te heroicum eius monimentum Arateum nuncupant. Idem uerò Philippus eodem necis genere oratores duos Athenien ſes, Euryclidem & Myconem, qui apud populum dicendo non parum ualebant, tollendos curauit. Sed ipſi etiā Philip po mortiferum poculum perniciem fuerat allaturum. Nam cùm alterum ex eius filijs, Demetrium, natu minor Perſeus ueneno peremiſſet, ipſe animi ægritudine conſumptus eſt: quod expoſui ad eam ſententiam diuinitus ab Heſiodo uerſu prolatam, animum referens, malum conſiliū in ipſummet primùm autorem uertere. Poſt Arati monimentum ara eſt Iſthmio Neptuno dicata. Sunt item Melichij Iouis, & Dianæ, cui Patroa cognomentum, rudia & ſine ulla arte facta ſigna. Melichius pyramidis, Patroa columnæ figuram habet. Eodem in loco curiā ædificarunt, et porticū, cui à condi tore nomen Cliſtheniæ: eam enim de manubijs extruxit Cliſthenes, cùm belli contra Scironem geſti ſocius Amphictyonibus fuiſſet. In ſubdiali fori parte Iupiter æneus ſpectatur Lyſippi, proximè Diana inaurata. Nec longè abeſt Apollinis ſacellum, Lycæi cognomento, quod uetuſtate iam collapſum, nihil omnino ſpectandū præbet. Cognominis huiuſmodi cauſa fuit: Cùm lupi ouilia tantopere uexarent, ut nul lus iam ex illis capi fructus poſſet, monſtrauit Apollo quo loco aridum quoddam lignū iaceret, cuius corticem carnibus permiſtū cùm ex eodem oraculo lupis appoſuiſſent, ſta tim illi interempti ſunt. Lignū quidem ipſum in æde Lycæi Apollinis poſitum eſt, ſed qua ſit ex arbore, ne ipſi quidem*

Catulli.

norunt ciuitatis antiquitatum interpretes. Continenter po ſita ſunt ænea ſigna, filias eſſe Prœti *dicunt, uerùm inſcriptio alias fœminas nominat.* Ibidē Hercules *ex ære à* Lyſippo Sicyonio *factus.*Proximè Mercurius Forenſis.*In gymnaſio, quod à foro nō longè abeſt,* Hercules *è marmore,* Scopæ *opus.Eſt & alibi* Herculis *ædes. Huius uerò loci conceptum ambitum omnem* Pædizen *nominant, in cuius medio templum, & in eo ligneum ſignum priſci operis,* Laphaus Phliaſius *fecit.In* Herculis *quidem ſacro traditum à* Phæſto *morem retinent. Is enim cùm in* Sicyoniam *ueniſſet, animaduertit* Herculi *tanquam heroi parentari: indignè uerò ferens diuinos illi honores non haberi, inſtituit, quod adhuc à* Sicyonijs *ſeruatur, ut iugulati agni ad aram pernas adurerent: carnium uerò parte una, non aliter quàm uictimarum ſoliti eſſent, ueſcerentur, altera* Herculi *tanquam heroi parentarent. Feſtorū uerò dierum, quos in* Herculis *honorem agitant, priorem* Onomatan, Herculeum *alterum uocant.* Hinc *uia ad* Aeſculapij *ducit. Accedentibus ad ſeptum, duplex ſe læua in parte cella oſtendit: in antica* Somni *ſignum poſitum, cuius præter caput nihil eſt reliquum: poſticum eſt* Apollini Carneo *dicatum, quò nulli præterquàm ſacerdotibus fas eſt penetrare. In porticu* Balenæ *os ingenti magnitudine locatum eſt.*Propè Somnij *ſignum eſt, &* Leonem *ſopiens* Somnus, Epidotes *cognomēto.* Quà *patet ad* Aeſculapij *acceſſus, in altera* Panos, Dianæ *in altera parte ſigna uiſuntur.*Ingreſſus *ipſum uideas* Aeſculapiū *imberbem, ex auro & ebore à* Calamide *factum, altera ſceptrum, altera uerò ſatiuæ pinus fructū tenentem. Deum ipſum aiunt in* Draconem *uerſum,* Nicagoræ Sicyoniæ *mulieris,* Agaſiclis *matris,* Echetimi *uxoris opera,* Epidauro *ad ſe mulorū bigis deportatum.*

tatum. De templi lacunari ſigna quædam non magna pendent, è quibus, quæ Draconi inſidet, Ariſtodaman eſſe dicunt Arati matrem: Aratum enim ipſum Aeſculapij filium autumant. Atq; ille quidem ambitus nihil habet aliud memoratu dignum. Ex eo uerò ad aliud Veneris templum tranſeas, in quo primùm ſe Antiopes ſignum offert: eius enim filios Sicyonios fuiſſe, & eorum cauſa Antiopen ad ſe ueniſſe, ſibiq; cum ea affinitatem interceßiſſe tradunt. In Veneris illud templum ſolæ ingrediuntur, æditua mulier, cui uiri conſuetudine eſt interdictum: & uirgo, quæ annuo fungitur ſacerdotio, Lutrophorin eam à lauacro quod portat, appellant. Cæteris ab ipſo duntaxat ueſtibulo, omnibus deam aſpicere, & uenerari fas eſt. Eius effigiem ſedentem fecit Canachus Sicyonius, is nempe qui & Didimæũ Mileſijs, & Thebanis Iſmenium Apollinem fecit. Venus ipſa ex auro & ebore facta, capite apicem, qui Polus dicitur, geſtat: manu altera papauer, altera manum tenet. Victimarum illi omnium femora, præterquàm ſuium, conſecrant, partes alias iuniperi lignis adolent. Verùm et dum femora torrentur, cum illis unà pæderotis folia incendunt. Naſcitur pæderos herba ibi intra ſeptũ aprico loco, neq; alibi uſpiã prouenit, ne in ipſa quidem Sicyonia. Folia ei minora fagi, ilicis maiora. Forma eadem ferè cum quercùs folio, altera pars ſubnigra, alba altera: neq; omnino diſsimilis color ei, qui in albæ populi folijs cernitur. Hinc ad gymnaſium adeuntibus ad dexteram, Pheræa Dianæ ſe ædes oſtendit: deæ ligneum ſignum Pheris huc deportatum dicunt. Gymnaſium Clinias Sicyonijs exædificauit, in quo puberes hac ipſa etiam ætate erudiuntur. In eo Dianæ ſignum è marmore pubetenus expolitum, & Hercules inferiore trunci parte quadratis Mercurij ſi-

gnis perſimilis. Iam qui hinc ad portam, quæ Sacra dicitur, diuerterint, templum Mineruæ non longè ab ipſa porta uideant: Epopeus olim dedicauit: id magnitudine & ornamentis, omnibus eius temporis operibus præſtitit. Verùm & huius famā uetuſtas obliuione obruit: de cœlo tactū cōflagrauit: ara tantùm, quòd illi uni fulmen pepercit, qualem Epopeus fecit, adhuc manet. Ante aram Epopeo monimentum, aggeſta in tumulum terra, extructum. Prope ſepulchrū Di uiſuntur Auerrunci, quibus Græci eodem ritu quo ſolent mala deprecari, rem diuinā faciunt. Epopeum è proximis templis, unum Dianæ & Apollini ædificaſſe dicunt, alterum Iunoni Adraſtum: in eorum neutro ſignum ullum reliquum. Aras in Iunonis receſſu Pani & Soli è candido lapide Adraſtus idem ſtatuit. Iam uerò quà in campos ferè deſcenditur, Cereris templum eſt, quod Plemnæum dedicaſſe ferunt, quò gratiam deæ pro filij nutricatione referret. A templo, quod Iunoni dedicauit Adraſtus, paululū abeſt Carnei Apollinis ædes, cuius ſolæ ſtant columnæ: parietes uerò, tectum etiā nullum omnino inuenias. Neq; plus quicquā de Prodomiæ Iunonis æde extat: hanc Phalces dedicauit Temeni filius, ducem ſibi deam Sicyonem proficiſcenti futuram ſperans. A Sicyone rectà Phliuntem cōtendentibus, in diuerticulo quod à uia ſtadia ad ſummum decem abeſt, lucus occurrit, cui Pyrææ nomen: ſacrum id Præſtiti Cereri, & Proſerpinæ. Ac in eo uiri ſeorſum à fœminis feſtos illis dies agitant: nam ædem Nympharum, Nymphonem ipſi appellant, fœminis ubi ſacra facerent conceſſerunt: ſuntq; in eo Liberi Patris, Cereris, & Proſerpinæ ſigna, os tantum oſtendentia. Iam quæ Titanen ducit uia, ſtadia fermè ſexaginta procedit, ob anguſtias uehiculis inuia. At qui per eam ſtadia, opinor,

*opinor, x x. promouerint, et ad læuā Aſopum amnē tranſ-
miſerint, ad lucum accedant ilicibus condenſum, ubi fanum
dearum, quas Athenienſes Seueras, Sicyonij Eumenidas no-
minant. Iis die ſtato quotannis ſacrum facientes, prægnan-
tes oues mactant, ac mulſo pro libamentis, pro corollis flori
bus uti ſolenne habent. Eodemq; propemodū ritu, ad Parca
rum aras, quæ in ſubdiali eiuſdem luci parte ſunt, ſacra fa-
ciunt. Hinc in uiam reuerſus, cùm rurſum Aſopum traiece
ris, mox in montis uerticem peruenias, quem Titana inco-
luiſſe indigenæ ferunt: fuiſſe uerò eum Solis fratrē, à quo re-
giunculæ nomen inditum. Fuit autem Titan hic (niſi mea me
coniectura fallit) in obſeruandis anni opportunitatibus ad-
modū ſolers, unusq; optimè omniū norat, quibus quæ ſemi-
na, quasq; ſtirpes tēporibus, quos item fructus ſol facilè au-
geret, & coqueret. Quocirca Solis illum fuiſſe fratrem com
menti homines ſunt. Poſt quem Alexanor Machaone Aeſcu
lapij filio genitus, in Sicyoniā profectus, in Titane Aeſcula-
pij fanum erexit: id & alij accolunt, maximā uerò partem
dei ipſius ſerui tenent. Intra ſeptum cupreſſetum eſt, ex ue-
tuſtis admodum arboribus. Signum è quo ſit uel ligno, uel
metallo, neq; quis eius fuerit artifex, quiſquā omnino poſ-
ſit cognoſcere, niſi quis fortè ad Alexanora opus referat.
Signi ipſius ſola ſe facies, manus, et imi pedes oſtendunt, par
tes cæteræ lanea tunica & pallio uelantur. Eodem fermè
habitu eſt Hygeæ ſignum, neq; enim illud facilè conſpicias:
uelatum enim undecunq; eſt, partim comis, quas deæ mulie
res detonderūt, partim uerò Babyloniæ ueſtis lacinijs. Qua
uerò cunq; re litare quis uoluerit, eadem traditum eſt il-
lud etiam numen placari, cui eſt Hygeæ nomen (ualetudinē
bonam nos appellamus.) Alexanori uerò, & Euamerioni,*

ſua enim & ipſis ſigna ſunt: alteri tanquam heroi poſt Solis occaſum parentāt, alteri diuinos honores habent. Atq; hunc quidem Euamerionem, ſi rectè conijcio, Pergameni ex quodam oraculo Teleſphorum, Aceſium Epidaurij nominant. At Coronidis quod extat ligneum ſignum, nulla eſt in ædis parte conſtitutum: uerùm ubi deo ipſi tauro, agno, ſue fecerunt, Coronidem ipſam in Mineruæ tranſportāt, ibiq; eam colunt. Neq; uerò uictimarum femora ſuccidere ſatis habent, ſed totas humi pecudes adurunt, præter aues, eas enim aris imponunt. In ijs faſtigij partibus, quas aquilas uocant, Hercules inſiſtit. In extremis uictoriæ ſigna. In porticu ſigna poſita Liberi Patris, & Hecates: Venus ad hæc, Ceres, & deorū fortuna, lignea omnia: è marmore uerò Aeſculapius, cognomento Gortynius. Ad angues quidem dep ſacros, quo minus accedant homines, terror obſtat. cibum illis in primo aditu apponunt, neq; amplius quicquam eorum cauſa ſatagunt. Intra ſeptum ſtatua poſita eſt Graniani Sicyonij, qui in Olympicis palmas tulit de quinquertio duas, de ſtadio unam, de iterato ſtadio (Diaulon dicunt) duplicem, quòd nudus & cum ſcuto cucurriſſet. In Titane Mineruæ ædes illa uiſitur, quo Coronidis ſignū deportant: & in ea Mineruæ ligneum ſignū uetuſtū, quod ipſum etiā de cœlo tactū ferunt. E uertice deſcendentibus (in uertice enim templū ſitum eſt) ara ſe uentorum oſtendit, ad quam nocte una quotannis ſacerdos ſacrum facit. Facit etiam ad foueas quatuor arcana neſcio quæ, appoſita ad uentorum ſæuitiam placandam. cantat præterea, uti narrāt, magica quædam Medeæ carmina. A Titane quà iter eſt Sicyonem, qui ad mare deſcendant, Iunonis templum uideant, quod neq; ſignum, neq; lacunar habet: dedicaſſe ferunt Prœtum Abantis filium. Iam quà deſcendi-

ſcenditur ad portum, qui Sicyoniorum dicitur, ſi ad Pellæneorum nauale, quod Ariſtonautas appellant, paulùm ſupra uiam flexeris, ad læuam Neptuni delubrum uideas: at ſecundùm ipſam uiam militarē Elyſſon, & poſt eum Scythas amnes in mare decurrunt. Hoc loco Phliaſius ager Sicyonijs finitimus. Vrbs ipſa XL. *ſtadia diſtat à Titane: à Sicyone Phliuntē recta uia ducit. Phliaſios quidem non eſſe Arcadici nominis, ſatis declarant Homeri uerſus quibus Arcades enumerantur: neq; enim ipſi eo delectu comprehenduntur. Argiuos uerò ab initio fuiſſe, tum Dorienſes factos, poſt Herculis liberûm in Peloponneſum reditum, ipſe hiſtoriæ progreſſus declarabit. Ac de Phliaſijs cùm multa inter ſe diſcrepantia memoriæ prodita non ignorem, ea duntaxat perſequar, in quæ maximè conſenſum eſt. Primum omnium in his finibus Arantem extitiſſe tradunt indigenam hominem, qui oppidum condiderit in eo colle, qui noſtra etiamnum ætate Arantinus dicitur. Neq; ita longè abeſt ab altero uertice, in quo Phliaſiorum arx eſt, Iuuentæ ædes. Vrbs itaq; à conditore, & regio Arantia eſt appellata. Eo regnante Aſopus Ceglusæ & Neptuni (ſic enim creditū eſt) filius, amnem eum adinuenit, quem ab ipſo inuentore Aſopum uocant. Arantis uerò ſepulchrum eſt in uico quæ Celenæ nominantur, quo etiam in loco Dyſaulin hominem Eleuſinium ſepultum dicunt. Aras filium Aorin, & filiam Aræthyræan habuit: hos Phliaſij & uenandi peritia, & bellica uirtute præſtitiſſe memorant. Mortua autem Aræthyræa, Aoris, quò teſtatam ſororis memoriā relinqueret, regionem totam Aræthyræan nominauit, quam Homerus inter eos populos numerauit qui Agamemnonis imperio continebantur:*

Orneasq; colunt, & Aræthyren peramœnam.

Arantis quidem filiorum ſepulchra non alia in parte quàm in Arantino colle eſſe conijcio: ſtant enim in illis Cereris inſignes pilæ, & ante deæ initia eodem in templo Arantem cantu celebrant, & ad libamina eius filios euocant, ad ipſa monimenta cõuerſi. Phliantẽ ipſum, à quo tertiũ acceſſit regioni nomen, Caſo Temeni filio natũ, quod eſt in Argiuorũ hiſtorijs, neutiquã ut credam adduci poſſum, quippe qui eum Liberi Patris filiũ habitũ norim, & ex ijs unũ, qui nauẽ Argo cõſcenderũt: cui rei Rhodij poëtæ uerſus teſtimonio ſunt:

Venit Aræthyrea Phlias Bacchi inclyta proles,
Diues opum ſtabili tenuit dum ſede penates,
Aruaq́; quæ uitreis Aſopus perfluit undis.

Phliantis uerò matrẽ fuiſſe Aræthyrean, nõ Ghebonophylen, cùm hæc uxor eius fuerit, ex qua Androdaman ſuſcepit. Herculis autẽ liberis redeuntibus Peloponneſi cunctæ ciuitates præter Arcadas trepidarũt, aliæ enim Dorienſes in ciuitatem receperunt, aliæ antiquis ciuibus eiectis, nouos accipere ſunt coactæ. Quæ uerò ad Phliuntem pertinent, ita ſe habẽt: Rhegnidas Doriẽſis Phalco Temeni filio genitus, ab Argis & Sicyonia cum exercitu Phliuntem uenit: ac cæteri quidem non recuſabant quod ille poſtulabat, ut ſedes quiq; ſuas retinerent, ipſi regnum deferrent, ſocijs agrum aſſignarent: at Hippaſus, totaq́; eius factio obſiſtendum cenſebant, neq; omnino ſine pugna tam multa, ac præclara bona Dorienſibus concedenda. Sedenim cùm eius ſententiam populus repudiaſſet, cum ijs qui ſequi uoluerũt Samũ exilij cauſa conceſſit. Hippaſi huius pronepos fuit Pythagoras, cui ſapientiæ laus attributa eſt, è Mneſarcho Euphronis filio Hippaſi nepote procreatus. Hæc de rebus ſuis Phliaſij, quibus multa Sicyonij aſſentiuntur. Addentur iam quæ apud Phliaſios

ſios in primis oſtenduntur, quæq; memoratu digniſſima uideri poſſint. In arce cupreſſetũ eſt, in quo uetuſtiſſimum templum. Deam, cui id eſt dedicatum, priſci Ganymedan, recentiores Heben nominãt, cuius & Homerus mentionem fecit, ubi Alexandri & Menali ſingulare certamen exponit: eam quidem Oenochoon, ideſt, uini miniſtram, appellant: quo in loco deſcendentem facit ad inferos Vlyſſem, uxorem eam Herculis eſſe dixit. At Olen poëta eo carmine quo Iunonem exornat, ab Horis educatam Iunonem ſcriptum reliquit. Filios uerò eam habuiſſe Martem, & Heben. Habent huic deæ Phliaſij honores multos, ſummum uerò omnium, quòd qui ſupplices huc confugerint, cuiuſuis criminis impunitatem conſequuntur: quin & qui uincti antè fuerunt, ad eas arbores quæ in luco ſunt, compedes ſuſpendunt. Dies uerò feſtos quotannis celebrant, quos Ciſſotomos, hoc eſt ac ſi Hederiſcos dicas, appellant. Signum quidem neq; in operto cuſtodiunt, neque in aperto ullum oſtendunt: atq; eius rei religione ſancitã cauſam quandam referunt. Exeuntibus è foro ad læuam delubrum eſt cum ſigno è marmore Pario. In arce ſeptum Cereri ſacrum. In eo templum cum Cereris & Proſerpinæ ſignis: nam Dianæ (extat enim Dianæ ex ære eodem in loco) per mihi antiquum eſſe uidetur. Quà ex arce deſcenditur Aeſculapij ædes ad dexterã eſt, in quo ſignum imberbe. Infra ædem theatrũ, à quo non longè Cereris templũ, & priſca in eo ſigna ſedentia. In ipſo foro capra ex ære, magna ſui parte inaurata, cui ob eam cauſam honos eſt à Phliaſijs habitus, quòd ſidus, quam Capram uocant, ortu ſuo uitibus perniciẽ afferre cõſueuit: ne itaq; cœleſtis Capra uinetis noceat, forenſem illam ex ære cùm alijs afficiũt honoribus, tum uerò auro eam exornant. Eſt eodem in lo-

co Ariſtiæ Pratini filij monimentum: uterq; Satyris faciundis omnibus, præterquàm Aeſchylo, præſtiterunt. In poſtica fori parte domus eſt, quam Phliaſij Fatidicam nuncupant: in eam enim ingreſſus Amphiaraus (quemadmodũ ipſi narrãt Phliaſij) cùm noctem unam obdormiſſet ſtatim diuinare cœpit, cùm antè indoctus planè fuiſſet: id cùm ita euenißet, in reliquum omne tempus occluſæ illæ ædes fuerunt. Non longè locus eſt qui Vmbilicus dicitur, meditullium totius Peloponneſi, ſi modò ita ſe habet res uti ipſi dicunt. Ab Vmbilico progreſſus Liberi uetuſtum templum uideas, Apollinis etiam unum, & aliud Iſidis. In eis Liberi & Apollinis ſigna expoſita omnium oculis ſunt: Iſidis uerò ſolis ſacerdotibus cõſpicere fas eſt. Peruagata eſt inter Phliaſios fama, Herculem è Libya redeuntem abreptis Heſperidum mãlis Phliuntem ueniſſe, ſui cuiuſpiã negotij cauſa: ad eum ibi commorantem Oneum ex Aetolia, qui ſocer eius eſſet, acceßiſſe: ibi cùm uel Oeneus Herculem ad cœnam uocaſſet, uel ipſe apud eum accumberet, dicitur Hercules digito uno, Cyathi pueri, qui erat Oeneo à calice, eius in fundendo miniſterio offenſus, tam grauiter caput percußiſſe, ut ex eo uulnere puer diem ſuum obierit. In eius facti memoriã Phliaſij ad Apollinis, cellam ædificarunt, in qua è marmore ſigna ſunt, Cyathus Herculi poculum porrigẽs. A Phliunte ſtadia ad ſummum quinq; Celeæ abſunt, quo in loco quarto duntaxat quoq; anno Cereris initia referuntur, quibus præeſt antiſtes, cui nõ eſt perpetuum ſacerdotium illud, uerùm nouus legitur ſub ipſum initiorum tempus: & is quidem, quin, ſi uelit, uxorẽ ducat, nulla religione impeditur. Initia uerò ipſa, etſi ab Eleuſinijs quibuſdam in rebus differunt, multa tamen ex illis accepta à ſe retineri ac ſeruari ipſi Phliaſij fatentur:

tentur: aiunt enim Dyſaulen *Celei fratrem cùm ad ipſos con fugiſſet, initiorum ritum monſtraſſe: pulſum autem illum* Eleuſine *ab* Ione Xuthi *filio, cùm illum* Athenienſes *bello contra* Eleuſinios *ſuſcepto imperatorem delegiſſent.* At ego Phliaſijs *nunquã aſſentiar quenquã ex* Eleuſinijs *pugna uictũ in exiliũ abiſſe, cùm ante belli euentũ utrinq; certæ cõditiones acceptæ ſint, et* Eumolpus *tunc* Eleuſine *manſerit.* Potuit *hic quidem* Dyſaules *alia de cauſa, quàm ob eam quæ à* Phliaſijs *prodita eſt,* Phliuntẽ *ueniſſe. Neq; uerò, uti ego ſentio, aut ulla ei fuit cũ* Celeo *cognatio, aut omnino claro fuit inter* Eleuſinios *loco: neq; enim eum ſuis uerſibus præteriſſet* Homerus. *Is enim quo carmine* Cererem *celebrat, recenſens eos omnes qui initia à dea docti ſunt, nullũ omnino* Dyſaulen *noſſe uidetur. Sunt autem hi uerſus eius:*

Myſtica ſacrorum diua didicere magiſtra
Triptolemus, Dioclesq; ſimul frænator equorum,
Eumolpus, Celeusq; duces, populiq; parentes.

Hic igitur Dyſaules, *uti* Phliaſij *memorant, & initia tradidit, & primus uicum* Celeas *appellauit. Extat itaq;, ut antè dixi,* Dyſaulæ *monimentum, quo tamen uetuſtius eſt* Arantis *ſepulchrum: neq; enim eo regnante, ſed mutlò pòſt, ut* Phliaſij *teſtantur,* Dyſaules *uenit: æqualem enim* Prometheo Sapeti *filio* Arantem *fuiſſe aſſerunt, tribusq; ipſi ætatibus* Pelaſgo Arcadis *filio ſuperiorem, & ijs qui apud* Athenienſes Aborigines *ſunt appellati. In eo templo quod* Anactorum *appellant, de tholo currus pendet quem* Pelopis *fuiſſe tradũt. Et hæc qnidem præ cæteris hiſtoria digna apud* Phliaſios *ſunt.* Media *eſt inter* Corinthũ *et* Argos *urbs non utique magna* Cleonæ, *à* Cleone, *quem* Pelopis *fuiſſe filium tradunt, appellata. Non deſunt tamen qui* Cleonem

unam ex Aſopi amnis, qui Sicyonem præterfluit, filiabus dicant fuiſſe. Nomen certè urbi ab horum alterutro impoſitum eſt. In ea ædes Mineruæ ſignum habet Scyllidis & Dipœni arte factum: fuiſſe eos aiunt Dædali diſcipulos. Sunt qui Dædalum uelint uxorem duxiſſe Gortynis filiam, è qua ſint ei hi liberi geniti. Præter hanc ædem Cleonis, Euryti & Ceatæ monimenta ſunt, quos cùm ludos Iſthmicos ſpectatum iſſent, Hercules ſagittis confixit, indignè ferens illos Augeæ bello contra ſe in acie ſtetiſſe. A Cleonis Argos uiæ duæ ducunt: expeditis altera commodior, & compendiaria: nam quæ ad Tretum eſt, anguſta & ipſa, cùm undiq; montibus concludatur, uerùm facilius multò uehicula tranſmittit. In illis ipſis montibus leonis Nemei ſpecus oſtenditur, à quo uicus Nemea nõ longius quàm ſtadia abeſt quindecim. Ibi Nemei Iouis templum planè inſigne, tametſi teſtudo collapſa eſt, neq; ullum in eo reliquum iam ſignum. Circa templum cupreſſetũ, quo in loco cùm nutrix Opheltem in herba poſuiſſet, à Dracone peremptum memorant. Sacra Ioui Nemeo Argiui in Nemea faciunt, eiq; certam ſacerdotem deligunt, et armatis uiris curſus certamina proponunt in ipſo Nemeorum conuentu, qui per Brumæ dies celebratur. Eſt ibidem Opheltæ ſepulchrum lapidea maceria incinctum, intra cuius ambitum eſt è ceſpite tumulus Lycurgi Opheltæ patris. Proximum fontem Adraſtean appellant, uel alia quauis de cauſa, uel quòd cum Adraſtus monſtrarit. Regionem uerò appellatam dicunt à Nemea Aſopi filia. Eſt ſupra Nemean Apeſas mons, in quo Perſeum primùm Ioui Apeſantio rem diuinam feciſſe tradunt. Iam qui redeãt ad Tretum Argos acceſſuri, ad læuam Mycenarum ruinas uideant, & Mycenarum quidem conditorem

ditorem Perſeũ Græci agnoſcunt. Cauſam uerò urbis cõden dæ, et qua poſtea re impulſi eam euerterint Argiui, ipſe exponam: neq; enim in ea regione, cui nunc Argolidi nomen, res ulla uetuſtior hominum eſt memoriæ commendata. Inachum aiunt cùm regnaret, præterfluentem amnem de ſuo nomine nuncupaſſe, & Iunoni ſacrum feciſſe. Vulgatum etiam eſt Phoroneum primùm in ea terra extitiſſe, cui pater Inachus, non ſanè uir, ſed fluuius fuerit. Fuiſſe uerò eun dem Phoroneum arbitrum cum Cephiſſo, Aſterione, & Inacho fluuijs, inter Neptunum & Iunonem de regione diſceptantes, qui cùm litem ſecundum Iunonem dediſſent, iratum Neptunum aquam illis omnem ademiſſe: & ex eo factum, ut neque Inachus, neque alius eorum amnium quiſquam aquam accolis ſuppeditent, niſi imbribus adiuti: per æſtatem enim in magna ſoli ſiccitate, ſola Lerna aquam habet. Phoroneus quidem Inachi filius primus diſperſos antè homines & ſeorſum habitantes, in unius ciuitatis ius compulit, & ab eo oppidum illud, quo congregati ſunt, Phoronicum eſt nuncupatũ: nam regio ab Argo Phoronei ex filia nepote nomen accepit. Argo Piraſus & Phorbas, Phorbante Triopas, Triopa geniti ſunt Iaſus & Agenor. Iò quidem uel quo ſcripſit Herodotus modo, uel ut Græci narrant, in Aegyptũ profecta eſt: Crotopus uerò Agenoris filius Iaſo in imperiũ ſucceſſit, è quo natus Sthenelas: poſtea Danaus ex Aegypto ueniẽs pulſo Gelanore Sthenelæ filio, Agenoris nepotes regno ſubmouit: & Danai ſanè caſus, eiusq; filiarũ audax in patrueles facinus, æquè Græcis omni bus notum: notũ etiam Danao uitæ muneribus functo, Lynceum regnum tenuiſſe. Iam uerò Abantis filij, Lyncei nepotes, ita regnum inter ſe partiti ſunt, ut Acriſius Argis man-

ſerit, Prœtus Heræum, Midean, Tiryntha, & Argolici agri maritimã oram poſſederit, cuius imperij adhuc Tirynthæ extant monimenta. Interiecto dein tempore Acriſius cùm uiuere etiamnum Perſeum, & uirtutis multa documenta dare cognouiſſet, Lariſſam ad Peneum amnem conceßit. At Perſeus cùm uiſendi aui materni, cumq; ſibi tum oratione cùm factis conciliandi cupiditate eſſet incenſus, Lariſſam uenit, ubi et ætatis robore, & diſci à ſe inuenti gloria elatus, dum artem in hominum conuentu oſtentat, Acriſium aduerſo fato interuenientem, diſci impetu occîdit: atq; ita dati olim Acriſio reſponſi uocem ratam fecit, quem à fati certo euentu uindicare non potuit uel in filiam, uel in nepotem excogitata crudelitas. At Perſeus Argos reuerſus, cùm eius parricidij infamiam magno ſibi duceret dedecori, Prœto perſuaſit ut ſecum regnum cõmutaret. Tunc ipſe illius imperio ſuſcepto Mycenas condidit, quam urbem eo nomine appellauit, quòd eo in loco ei enſis fungus, id eſt, capuli ipſum capitulum excidißet: Myceten enim id eodem quo fungum nomine uocant. Audiui etiam qui dicerẽt, ſitientem humo fungũ ſuſtuliſſe, ac repentinis aquæ ſcatebris ſiti magna cum uoluptate depulſa, ex eo caſu urbem Mycenas nominaſſe. Homerus quidẽ in Odyſſea, Mycenes mulieris eo uerſu mentionem fecit:

Tyro atq; Alcmene, ſertiſq; ornata Mycene.

At Mycenen quidem Inachi filiam, Areſtoris uxorem fuiſſe illis uerſibus conſcriptũ eſt, quas Græci Eœas magnas appellant: eam itaq; nomen aiunt urbi dediſſe. Quem uerò cõminiſcuntur ſermonem, Mycenem Spartonis fuiſſe filium, Spartonem Phoronei, mihi utiq; non probant: ſiquidem neq; Lacedæmonijs, apud quos Amyclis eſt Spartæ mulieris

ris effigies. Spartonem uerò Phoronei filium fuiſſe ſi audiant, ex ipſa nominis opinor nouitate, non parua admiratione afficiantur. Mycenas certè ipſas, Argiui maleuola quadam obtrectatione ducti euerterunt, quòd ipſis ceſſantibus, ea ciuitas octoginta homines ad Thermopylas miſiſſet, qui Lacedæmonijs præclari facinoris ſocij fuere. Ille itaq; præreptæ quaſi gloriæ dolor, Argiuos ut Mycenas excinderēt, ſolicitauit. Reſtant tamen ambitus partes quædam, & porta una, cui leones inſiſtunt: Cyclopum uerò & hæc opera eſſe aiunt, & eoſdem Prœto Tirynthis muros fecìſſe. Inter Mycenarum autem ruinas fons eſt, Perſea nomine, Atreiq; & filiorum ſubterraneæ cellæ, in quibus eorum fuere theſauri: ſepulchrum etiam Atrei, & eorum item omnium, quos cum Agamemnone à Troia reuerſos in conuiuio Aegiſthus occidit: nam de Caſſandræ ſepulchro inter Myceneos & Amyclæos, utra in urbe ſit, diſceptatur. Eſt ibidem & ipſius Agamemnonis monimentum, tum Eurymedontis aurigæ, & item Teledami & Pelopis, quos peperiſſe geminos Caſſandram dicunt, infantes uerò adhuc paruulos ad parentum tumulum ab Aegiſtho iugulatos. Electræ etiam: ea enim ab Oreſte Pyladæ nuptū data eſt, è qua Hellanicus ſcriptum reliquit, Medontem & Strophium Pyladæ genitos. At Clytemneſtra & Aegiſthus modico à muris interuallo ſepulti: neq; enim digni ſunt habiti qui eodem in loco humarentur, quo Agamemnon & cæteri qui cum eo occiſi ſunt. Ad læuam Mycenarum ſtadia x v. abeſt Iunonis fanum. Præter uiam aqua fluit, quæ dicitur Eleutheria: ea ad arcanas expiationes utuntur templi & ſacrorum. Fanum ipſum in planiore Eubœæ parte ſitū eſt: Eubœan montem appellant. Aſterionis etenim amnis filias, Eubœan, Porſym-

nam & Acream, & eaſdem Iunonis nutrices fuiſſe dictitã: ab earum una Acræan montem appellatum, qui ex aduerſo Iunonis eſt: ab Eubœa, iam diximus. Proſymnam uerò uocatam de ſororis tertiæ nomine Aream, quæ Iunonis templo ſubiacet. Aſterion ipſe infra Iunonis fluit, ac deinde in ſpecũ demerſus abſconditur. Ad eius ripas herba naſcitur, quam Aſterionem nominant: eius caulem Iunoni conſecrant: è fo-lijs coronamenta contexunt. Fani architectum Argiuum Eupolemũ produnt. Quæ ſupra columnas opera ſunt, ea partim ad Iouis natales, partim ad Gigantum cum dis pugnam, partim etiam ad Troianum bellum & Ilij euerſionem pertinent. Statuæ pro ueſtibulo ſtant, cùm fœminarũ, quæ ſacerdotio Iunonis functæ fuerint, tum heroum, & aliorum, & ipſius in primis Oreſtis: nam quæ nomine Auguſti inſcripta eſt, Oreſtem illum fuiſſe aſſerunt. In primo templi aditu, ad læuam Gratiarum priſci operis ſigna extant: ad dexteram Iunonis lectus. In templi antica parte, quem Pronaũ appellari antè dictum eſt, poſitum ſcutum illud, quod Euphorbo Menelaus in bello Troiano eripuit. Deæ ſignũ in ſolio ſedet eximia magnitudine, auro & ebore fabricatũ, Polycleti opus. Corona capiti impoſita: ea Gratias & Horas egregiè factas habet: Dea manu altera Punicum malum, altera uerò ſceptrũ tenet. Quæ de malo Punico arcanis conſignata ſunt ſacris, ſilentio prætereo. Cuculũ uerò auem idcirco ſceptro aiunt impoſitum, quòd uirginis Iunonis amore captus Iupiter, in eam ſe auẽ uerterit, quã puella tanquã ludicrũ captarit. Hæc ego, & quæ his ſunt ſimilia de dis uulgata, etſi uera neutiquã exiſtimo, nõ putaui tamen negligenda. Aſtitiſſe etiam tradunt Iunoni Hebes ſignum Naucydis arte factum, ipſum etiam ex auro & ebore. Eſt etiã ſuper columna uetus

Iunonis

Iunonis ſignum: omnium uerò uetuſtiſſimũ, è pyro ſylueſtri factũ: quod cùm Piraſus Argi filius Tirynthem aſportaſſet, oppido euerſo, Argiui in Iunonis reportarunt: ipſe illud uidi ſedentis forma, & modica magnitudine. Dona quidem digna quæ hiſtoriæ mandentur, in eo templo ſunt: primùm ara, in qua cælatæ Herculis & Hebes nuptiæ, argentea omnia: deinde pauo ex auro & pellucidis lapidibus, quem dedicauit Adrianus imperator: ea enim Iunoni ſacra auis habetur: aurea deinde corona, & purpurea palla, Neronis dona. Sunt autem ſupra templum hoc, antiquioris templi fundamenta, & quod reliqui flamma fecit: crematum illud quidem eſt, cùm ſomnus Chryſeidem Iunonis ſacerdotem oppreſſiſſet, incenſis proximæ lucernæ lumine coronamentis. Ipſa quidem Chryſeis Tegean ad Aleæ Mineruæ aram ſupplex cõfugit: neq; tamen ea calamitas Argiuos uſq; eò commouit, ut eius ſtatuam deijciendam putarent: manet ea adhuc in priore parte eius templi, quod conflagraſſe diximus. Quà Mycenis Argos iter eſt, ad læuam Perſei, iuxta ipſam uiam heroicum monimentum extat: nam Perſeo hoc etiam in loco honores à finitimis habentur, multò uerò maximi in Seripho. Eſt & apud Athenienſes Perſei delubrũ, & in eo Dictys & Clymenes, qui Perſei ſeruatores appellati ſunt, ara. At in Argiuorum finibus, qui paululum à Perſei monimento progreſſi fuerint, ad dexteram Thyeſtæ ſepulchrum uideant, cui aries è marmore impoſitus eſt: aurei enim uelleris agnũ fratri Thyeſtes ſubripuit, cùm eius uxorem ſtupri cõſuetudine ſibi conciliaſſet. Atreus uerò nulla potuit adduci ratione, ut par duntaxat pari referret: uerũ illius liberûm cæde, & decantatis in ſcena epulis, pœnas à fratre expetiuit. De Aegiſtho utiq; & Agamemnone nõ habeo pro com

perto dicere, iniuriám ne Aegiſthus prior intulerit, an uerò ulciſci uoluerit Tantali Thyeſtæ filij cædem, cui Clytemneſtra à patre Tyndaro uirgo deſponſa fuerat. Quòd ſi Pelopis in Myrtilum facinus nepotum fuit pœna luendum, congruunt nimirũ his caſibus, quæ Glauco Epicydæ filio Spartanorum regi, cùm ille peieraſſet, Pythia reſpondit, Commiſſam periurio fraudem in nepotes redundaturam. Ab Arietibus (ſic enim Thyeſtæ monimentum uocant) qui aliquantulum proceſſerint, ad regiunculã peruenient cui Myſia nomen, in qua eſt Myſiæ Cereris ædes. Nomen id ſumptũ à Myſo quodam homine, quem Cereris hoſpitem fuiſſe Argiui dicunt. Eius ædis tectum collapſum eſt. In eo delubrum aliud è coctilibus laterculis erectum, in quo è ligno, Proſerpinæ, Plutonis, Cereris ſigna. Hinc progreſſus ad Inachum amnem peruenias, quem ubi tranſieris, ad aram primùm Solis accedes, deinde ad portam, quæ de proximo templo nominatur, Lucinæ. Et Argiuos quidem ſolos ex omnibus Græcis in tria regna diuiſos noui. Quo enim tẽpore regnũ tenuit Anaxagoras Argei filius, Megapenthis nepos, is furor fœminas inuaſit, ut cum intra domeſticos parietes contineri non poſſent, per totum agrum palantes uagarentur: inuentus tandem eſt Melampus Amythaonis filius, à quo ſanatæ ſunt. Ei Anaxagoras ita gratiam retulit, ut æquis cum eo fratreq; eius Biante partibus regnũ cõmunicaret. A Biante regnarunt deinceps uiri quinq;, per ætates quatuor, uſq; ad Cyanippũ Aegialei filium, omnes à Neleo genere materno originẽ ducentes. A Melampode totidem per ſex ætates uſq; ad Amphilochum Amphiarai filium. At indigenarum gens Anaxagoræ nepotes, regnum longiore multò tempore retinuerunt. Iphis enim Alectoris filius, Anaxagoræ nepos,

poſ, Sthenelo Capanei fratris filio imperiũ reliquit: ac deinde cùm poſt euerſum Ilium Amphilochus in eum locum migraſſet, qui nunc ab eo Amphilochi appellantur, & Cyanippus ſine liberis obiſſet, ſolus Cylarabis Stheneli filius regnũ obtinuit. Verùm neq; is liberos ullos reliquit. Oreſtes itaq; Agamemnonis filius paterno regno eiectus, cùm in proximis locis exularet, Argis primùm potitus eſt: deinde Arcadum manu & Phocenſiũ auxilijs fretus, ut ea ſemper opem implorantibus præſtò fuerunt, Spartæ regnum occupauit. Lacedæmonijs uerò haudquaquã inuitis Oreſtes imperauit: illi enim Tyndari nepotem, cui parẽrent digniorem putarunt, quàm Nicoſtratũ & Megapenthen, quos Menelaus è ſerua genuerat. At cùm è uita exceſſiſſet Oreſtes, ei in regnum ſucceſſit Tiſamenus filius, quem ex Hermione Menelai filia ſuſceperat: nam Penthilum nothũ ei filiũ Erigonen Aegiſthi filiã peperiſſe, uerſibus Cinæthon ſuis teſtatus eſt. Tiſameno regnante Herculis poſteri in Peloponneſum redie re, Timenus & Creſphontes Ariſtomachi filij, quiq; eos ſecuti ſunt Ariſtodemi, qui iam è uita deceſſerat, tertij eorum fratris filij. Ac de Argis quidem, eorumq; regno, iure optimo, uti mihi uidetur, certabant: erat enim Tiſamenus Pelopis nepos, ut Heraclidæ à Perſeo originem ducebãt. Iam uerò Tyndarum ipſum eiectum ſciebant olim fuiſſe ab Hippocoonte: Hippocoontem, eiusq; filios ab Hercule interfectũ, regnum apud Tyndari liberos depoſitũ. Eodemq; iure Meſſeniæ regnum repetierũt, quòd Hercules Pylo exciſa, regionem hanc apud Neſtorem depoſitam reliquiſſet. His igitur adducti rationibus, Argis Tiſamenum, ex Meſſenia Neſtoris poſteros expulere, Alcmæonem Silli filium, Traſymedis nepotem, & Piſiſtrati filium Piſiſtratũ, ad hos Pœonis, qui

Danaus. Cùm Argos ueniſſet, de regno cum Gelanore Sthe-
nelæ filio contendit, ac cùm eorum uterq; ad populum mul-
ta, & ea maximè probabilia & iuri conſentanea dixiſſet,
neq; omnino quæ Gelanor afferebat minus æqua uideren-
tur, cauſa ampliata eſt in craſtinum. Poſtero die prima lu-
ce, in boum gregem in pomœrio paſcentium lupus impetũ
fecit, atq; is taurum ipſum gregis ducem adortus eſt. Viſum
eſt Argiuis Gelanori cum tauro, cum lupo eſſe Danao a-
ptiſſimam conuenientiæ rationem, quòd ſcilicet uti lupus a-
mal eſt homini minimè familiare, ſic propémodũ ad id tem-
poris nulla fuiſſet Danaus Argiuorum uſus conſuetudine.
Quare cùm taurum lupus confeciſſet, è re nata Argiui Da-
nao imperium adiudicarunt: tunc Danaus lupum ab Apol
line immiſſum interpretatus, Lycij Apollinis ædem dicauit.
In ea eſt Danai ipſius ſolium, & Bitonis ſtatua, uir humeris
taurum portans. Verſibus enim Lyceas teſtatum reliquit,
cùm pompa Nemeorum Ioui ab Argiuis traduceretur, Bito
nem eo fuiſſe corporis robore, ut ſublatum taurũ portaret.
Non longè ab hac ſtatua ignem accendunt, Phoronei ignem
appellant: neq; enim ijs aſſentiuntur, qui traditum à Prome
theo ignem hominibus dicunt, cùm totum ignis inuentũ ad
Phoroneum referant. Lignea Veneris & Mercurij ſimula-
chra, alterum Epei opus, Hypermneſtræ donum fuiſſe alte-
rum dicunt: Hypermneſtram enim Danaus in iudicium uo-
cauit, eo crimine, quòd una ex omni filiarum numero, pa-
tris imperata facere neglexiſſet. Nam qui ex Lyncei ſalute
ſe periculo carere nõ poſſe putaret, ab ea, quæ mandatũ fa-
cinus uti ſorores nõ perpetraſſet, inſigni ſe notatũ infamia
interpretabatur. At Argiuorũ illa ſentẽtijs abſoluta, in eius
iudicij memoriã, Venerem quæ uictoriã præfert, Nicopho-

ron uocant, dedicauit. In ipſo templo Ladas eſt, qui pedum celeritate cunctos anteiuit ætatis ſuæ homines: Mercurius etiam è ſublata teſtudine lyram facere meditãs. Pro æde baſis eſt, in qua inciſa eſt tauri & lupi pugna: inciſa etiam uirgo, quæ lapidem in taurum mittit: Dianam eam uirginem nominant. Hæc Danaus dicauit, & loco proximo columnas cum ligneis Iouis & Dianæ ſignis. Sepulchra ibidem ſunt Lini Apollinis filij, et Pſamathes Crotopi: & Linũ quidem hunc eundem eſſe dicunt, qui carmina fecit. Verùm quæ ad hunc magis pertinent, in alium hiſtoriæ locũ differo: nam de Pſamathe ſatis multa, qua in parte Megarenſium res perſecuti ſumus, expoſuimus. Præter ea quæ enumerauimus eſt ibidem Apollinis Agyci, id eſt, uiarũ præſidis, ſignum, & Pluuij Iouis ara, ad quam, qui fœdus de Polynice in regnum reſtituendo percuſſerunt, coniurationem fecere, ſi Thebas excindere non potuiſſent, mortem omnino ſe oppetituros. De Promethei monimento minus quàm Opuntij, quæ ueritati ſint conſentanea, mihi uidentur Argiui dicere: Parenti dam enim aiunt Creuganti pugili effigiem de Corinthijs tropbæum erexiſſe. Simulachrum præterea conſpicitur Iouis Melichij, quod eſt ac ſi Manſucti dicas, è candido marmore, Polycleti opus. Dedicatum uerò ob huiuſmodi cauſam audiui. Lacedæmonij ſuſcepto ſemel cõtra Argiuos bello, nullum belligerandi finem fecerunt, priuſquàm utroſq; Philippus Amyntæ filius definitis iam tum ab initio imperij terminis circumſcripſit. Nam ſuperioribus temporibus Lacedæmonij de ijs quæ extra Peloponneſum eſſent nihil laborantes, de Argiuorum ſemper aliquid finibus carpebant. Poſtremò Argiui ad bellicã rem ſtrenuè conuerſi, dum illi fortè extra fines bellarẽt, occupato tempore in eorũ agrum inuaſerunt:

uaſerunt:quare uehementer exacerbatis utrinq; animis, Ar*giui ſibi ſtatuerunt lectiſsimorum mille hominum præſidiū alendum, quibus dux præfectus* Bryas Argiuus*: is & alia inſolenter ac libidinoſe multa in populum fecit, & uirgini cuidam, dum ad uirū duceretur, ijs ipſis qui ducebant ereptæ,uitiū obtulit.at illa eadē nocte* Bryantē *ſomno oppreſſum oculis orbauit: deprehenſa,ubi illuxit, ſupplex ad populum cōfugit:enimuero populus eam nō dedêre ad ſupplicium depoſcentibus mille uiris:quare ad pugnā re deducta, uictor populus in perſequendis hoſtibus iræ indulgens, nullum ſupplicij genus prætermiſit.*Interiecto *dein tempore,et alia expiandi ciuilis ſanguinis cauſa facta ſunt,&* Manſueti Iouis *ſignum dedicatū.* Prope *ſunt è marmore facti* Cleobis *&* Biton,*qui impoſitā plauſtro matrem,ipſimet in* Iunonis *templum trahunt.* E *regione* Nemei Iouis *ædes,in qua ſimulachrū dei recto ſtatu ex ære,Lyſippi opus.* Hinc *ad dexteram progreßis oſtendit ſe* Phoronei *ſepulchrum:*Phoroneo *quidem noſtra etiamnū ætate parentant.* Supra Nemei Io*uis,*Fortunæ *fanū eſt perantiquū, in quo inuētas à ſe primū teſſeras* Palamedes *dedicauit.* Proximū *monimentū* Choriæ Mœnadis *appellant:*Liberi *enim* Patris *caſtra, & alias fœminas,& hanc ſecutā,cùm ille* Argos *exercitū duceret,memorant:at* Perſeum *uictoria potitū, ex illis fœminis multas cecidiſſe,ac cæteris cōmune monimentū,huic uerò quòd dignitate anteiebat, ſuum eſt ſeparatim poſitum.* Non *longè* Horarū *eſt ædes.*Illinc *rediens poſitas uideas ſtatuas* Polynicis Oedipodis *filij, & eorū omniū ducum, qui cum illo ſub* Thebarū *muris pugnantes ceciderunt:eos ſeptem duntaxat recenſuit* Aeſchylus,*cùm plures tamen è primarijs uiris* Ar*giuorum, et è tota* Meſſene,*atq;* Arcadiæ *parte in eius belli*

ſocietatē ueniſſent. uerùm & ipſi Argiui illum Aeſchyli numerum ſecuti ſunt. Proximè eorū ſitæ ſtatuæ ſunt, qui Thebas cepere, Aegialeus Adraſti filius, Promachus Parthenopæi, Talai nepos: Polydorus Hippomedontis, & Therſander: Amphiarai præterea liberi Alcmæon et Amphilochus: Diomedes ad hos, & Sthenelus: quin & Euryalus Meciſtei, & Polynicis filij Adraſtus & Timéas. A ſtatuis hiſce non longè oſtenditur Danai monimentum, & honorarius eorum omnium tumulus, qui aut ad Ilium cecidere, aut iam reduces oppreſſi ſunt. Eſt ibidem Seruatoris Iouis ædes, è qua in cellam uenias, ubi Argiuorum matronæ Adonin lugent. Ad dexteram eius aditus templum Cephiſſo flumini dicatum eſt: eius fluminis aquam non ſemel à Neptuno exhauſtam credi uolunt, cùm ipſi tamen eo ipſo in loco ubi templum eſt, pro comperto habeant ſubter amnem fluere. Iuxta Cephiſſi Meduſæ è marmore caput, Cyclopum hoc etiam opus fuiſſe dictitant. Vicum qui à tergo eſt Criterium nominant, quòd in eo de Hypermneſtra à Danao iudiciū factum memoriæ proditum ſit. Non longè theatrum eſt, in eo & alia quæ ſpectentur, & uir, uirum cædens, Othnadam Spartanum Perilaus Argiuus Alcenoris filius: & is quidem antè de lucta uictor in Nemeis renunciatus fuerat. Supra theatrum Veneris fanum, in cuius fronte è pauimento columna ſurgit, cui inſiſtit Teleſilla, quæ cantica fecit. Ad pedes eius carminum uolumina iacent: ipſa galeam aſpicit, quam capiti iam impoſitura manu tenet. Fuit Teleſilla hæc, & alijs de cauſis inter fœminas illuſtris, & honorem præcipuum ex poëtica meruit. Hæc illa Teleſilla eſt quæ tale uirtutis muliebris documentum dedit. Quo tempore Argiui maiore quàm dicendo explicari poſſit clade, à Cleomene Anaxan-

naxandridæ filio Lacedæmoniorũ rege afflicti ſunt, alijs in prælio cæſis, qui ſupplices in Martis lucum cõfugerũt, partim eorum ad pacis conditiones euocati, nihilo minus uiolati ſunt, partim uerò ubi ſe dolo circumuentos ſenſerũt, ſeipſos & lucum ſimul cremarunt: quare Cleomenes conſumpta Argiuorum militari ætate & robore, ad Argos oppugnandum confeſtim Lacedæmoniorum copias duxit. Ibi Teleſilla ad murorum præſidia ſeruitijs, et ijs omnibus qui per ætatem arma ferre non poſſent, amandatis, è domibus & templis armis, quæ reliqua fortuna belli fecerat, refixis, omnes quæ integra ætate erant fœminas obarmauit, & in eum locum eduxit, quà ad oppidum Lacedæmonios acceſſuros exploratum habebat: neq; uerò illæ hoſtè appropinquante bellico clamore exterritæ ſunt, quin fortiter & præſenti animo pugnantes, hoſtiũ impreſſionem ſuſtinuerunt. At Lacedæmonij cùm cogitare cœpiſſent, ſi fœminas uiolaſſent, inuidioſam fore eam uictoriam: ſin uicti eſſent, ſe turpiſſimè diſceſſuros, omnem ab illis belli iram abſtinuerũt. Atq; hoc quidem facinus multò antè Delphici oraculi uox prædixit, quã Herodotus uel alijs, uel ijſdem planè expoſuit uerſibus:

Nanq; animoſa uiros cùm uincet fœmina, & omnem
Auferet Argolicæ pubi Mauortis honorem,
Tunc Argiua phalanx ſæuis lacerabitur armis.

Hæc de præclaro fœminarũ facinore Apollo. Iam uerò qui à Veneris fano deſcenderint, & ad forum flexerint, Cerdûs Phoronei uxoris monimentum offendant. Sunt ibidem templa Aeſculapij, Dianæ cognomento Suadelæ. Hoc Hypermneſtra dicauit, quo tempore in iudicio patrẽ uicit, cùm ille eius criminis ream egiſſet, quòd Lynceo pepercıſſet. Eſt & Aeneæ ex ære ſtatua, et uicus cui Delta nomẽ. Nominis quæ

fuerit cauſa, quoniam quæ uulgò prodita ſunt mihi nō probantur, conſultò prætereo. Ante eum uicum ara erecta eſt Phyxij, id eſt, Liberatoris Iouis, & propè Hypermneſtræ monimentum Amphiarai matris: alterius etiam Hypermneſtræ Danai filiæ. Sepultus in eodem tumulo Lynceus eſt. E regione extat ſepulchrum Talai Biantis filij, de quo, eiusq; poſteris, iam antè egimus. At Mineruæ Tubæ cognomento ædem Hegeleon extruxiſſe aiunt: fuiſſe eum Tyrrheni filiū, Tyrrhenum Hercule et Lyda muliere genitū, primumq; tubam oſtendiſſe, cuius poſtea cantum Hegeleus Dorienſes eos docuerit, qui Temenū ſecuti ſunt: quocirca nominaſſe eum Mineruam Tubam. Ante ædem Mineruæ ſepulchrū uideas, quod eſſe dicunt Epimenidis: Lacedæmonios dum bellarent cum Gnoſijs, Epimeniden uiuum cepiſſe, ac deinde cùm eum occidiſſent, quòd minimè læta prædiceret, ſublatum cadauer eo in loco humaſſe. At ædificium è candido marmore quod in medio fermè ſe foro attollit, trophæum de Pyrrho Epirotarū rege eſt, ut ipſi prædicant Argiui: quo enim in loco cadauer eius crematum eſt, ibidem ei fuiſſe erectum monimentum, in quo cùm alia quibus in prælijs utebatur inſcalpta, tum uerò elephanti. Atq; hoc quidem opus ad eius buſtū eminet, oſſa uerò ſunt in Cereris condita, cùm ita cecidiſſet ut proximo loco interiret, perinde atq; eſt à me in libro de Atticis rebus expoſitum. Et in primo quidem aditu templi Cereris licet adhuc uidere in ſupero foriū limine ipſius Pyrrhi affixū ſcutū. Non longè uerò ab eo opere quod in foro Argiuorum eſt, tumulus terræ conſurgit, in quo conditum ferunt Meduſæ Gorgonis caput, de qua nullam ut fabulæ rationē habeamus, hæc memoriæ prodita ſunt. Phorci eam filiam fuiſſe: patre mortuo, acceptum ab illo regnū eorum

rum

rum populorũ, qui Tritonidem paludem accolũt, tenuiſſe. Solitam in uenationes & pugnas exire cum Afrorum, quibus imperabat, manu: quare cùm Perſei *copijs, quas ille lectiſsimas ex* Peloponneſo *adduxerat, acie occurriſſet, noctu per inſidias oppreſſam:* Mortuæ *pulchritudinem admiratũ* Perſeum, *præciſum caput, ut ſpectaculo eſſet, in* Græciã *reportaſſe.* At Proclus Carthaginienſis Eucratis *filius, ueri ſe rè ſimiliorem hiſtoriam literis mandauit.* In Africæ *deſertis beſtias gigni multas mirabili ſpecie atq; inuſitata, feros inter eas uiros & fœminas, ac uirũ ſe* Romã *illinc deportatũ uidiſſe teſtatur.* Conijcere *itaq; ſe, ex illis fœminis unã fuiſſe* Meduſam, *quæ cùm à ſuis gregibus aberrãs ueniſſet ad* Tritonidem *paludem, eius accolas male mulctaſſe, uſq; dum à* Perſeo *eſt occiſa.* Adiutricem *uerò* Perſeo Mineruam *fuiſſe idcirco proditum, quòd qui ſtagnũ illud accolunt homines,* Mineruæ *ſacri ſunt.* Iuxta *hoc* Gorgonis *monimentũ, eſt* Argis Gorgophones Perſei *filiæ tumulus: cui quare ſit id nominis impoſitum, omnibus ad quorũ aures peruenerit, per ſe ſtatim perſpicuũ eſſe poteſt.* Hanc *primam fuiſſe aiunt, quæ* Perieri Aeoli *filio, qui cum uirgo nupta fuerat, mortuo, alteri uiro* Oebalo *nupſerit, cùm antè ſanctum & ſolenne fœminis fuiſſet, priore uiro mortuo, ſecũdis nuptijs abſtinere.* Ante *hoc ſepulchrũ, trophæũ erectum eſt lapideum de* Laphaë Argiuo *homine: hunc (ſcribo quæ ipſi* Argiui *de ſe memorant) dominatu, facto impetu populus eiecit: cumq; is ad* Lacedæmonios *cõfugiſſet, conati illi quidẽ ſunt in priſtinã eum tyrannidem reducere: at* Argiui *prælio uictos reiecerunt, multosq; de* Lacedæmoniorũ *numero, ac ipſum in primis* Laphaën *interemerunt.* Ab *hoc trophæo non longè abeſt* Latonæ *ædes: ſimulachrũ,* Praxitelis *opus eſt.* Eius, *quæ*

deæ aßiſtit, uirginis effigiem, Chlorin uocant: filiam Nio*bes fuiſſe dicunt, eiq́; ab initio* Melibœæ *nomen fuiſſe*. Per*emptis uerò à* Diana *&* Apolline Amphionis *filijs, de eo fratrum numero hanc et* Amyclan*, quòd ſolæ* Latonam *fue rint deprecatæ, ſeruatas fuiſſe, ac* Melibœan *quidem præ terrore ſtatim uiridem factam, qui cùm ei color perpetuus fuiſſet, pro* Melibœa*, ſumpto ex rei euentu nomine,* Chlo*rin appellatam. Et ab his quidem* Niobes *ſuperſtitibus liberis initio templum* Latonæ *factum* Argiui *aſſerunt. At ego, qui* Homerum *autorem ſequor ſtudioſius aliquanto quàm cæteri, nullum omnino relictum de* Niobes *filijs exiſtimo.* Teſtimonio *uerſus ille eſt:*

Quiq́; *ſuperfuerant geminos fixere ſagittis.*

Totam *ſanè funditus* Amphionis *domũ exciſam, compertũ habuiſſe uidetur.* Ad Latonæ *dexterã eſt* Iunonis Antheæ*, quaſi* Floridæ *dixeris, ædes. Pro æde earũ mulierũ tumulus, quæ ab* Aegei *maris inſulis* Liberi Patris *caſtra ſecutæ, contra* Argiuos *eorumq́; ducem* Perſeũ *pugnantes ceciderunt: à maritimis quidem unde uenerant locis,* Marinas *eas nomi nãt. Ex aduerſo ei monimento* Cereris *eſt fanũ cognomento* Pelaſgidis*, quòd illud dedicarit* Pelaſgus Triopæ *filius.* Pro *pè adeſt* Pelaſgi *ipſius ſepulchrum: quod ubi prætereris, æneum cippum uideas modica magnitudine: is priſca ſuſtinet ſimulachra,* Dianæ, Iouis, Mineruæ. Lyceas *uerſibus mandauit* Mechanei Iouis*, quaſi* Machinatoris *dicas, ſignũ illud eſſe.* Hoc *in loco* Græcos *tradit ad* Troiam *ituros con iuraſſe, non antè ſe ab eo bello diſceſſuros, quàm aut* Ilium *expugnaſſent, aut in pugna mortem oppetiſſent.* Non de*ſunt qui in eo cippo* Tantali *oſſa condita dicant: ille nempe qui ſiue* Thyeſtæ*, ſeu* Brontei *filius fuerit (utrunque enim traditur)*

traditur) qui cum fuit Clytemneſtra, priuſquàm Agamemnoni nuberet, hoc in loco ſit an alibi ſepultus, per me ne fuerit cõtrouerſum. Atenim qui Iouis et Plutûs eſt habitus, eius ego monimentũ, ualde illud quidem inſigne, Sipyli uidi. Sed neq; ulla eum uis adegit, ut è Sipylo fugeret, ſicuti poſtea Pelopem, quem armis & exercitu eiecit Ilus Phrygis filius. Sed hæc hactenus ſatis à nobis quæſita fuerint. Quæ uerò ritè ad proximum ſcrobem peraguntur, ea indigenã hominẽ Nicoſtratum inſtituiſſe aiunt. Mittunt autem per eam foueã hoc etiam tempore ardentes Proſerpinæ faces. Extat eodẽ in loco Neptuni cognomento Proſclyſtij, id eſt Inundatoris, templum: diluiſſe enim maximã partẽ agri eo tempore Neptunum memorant, quo Inachus, quiq; ei in conſilio adfuerunt, terram eam Iunonis eſſe debere pronunciarunt: at deinde cùm Iuno exoraſſet ut mare deduceret, per quem locum unda refluxit, in eo Proſclyſtio Neptuno templum Argiuos erexiſſe. Vbi aliquantulum proceſſeris, Argi ſepulchrum offendes, quem Ioue & Niobe Phoronei filia genitum putãt. Exinde Caſtoris & Pollucis templum, in quo ſimulachra cùm ipſorum tum liberûm Anaxis, & Mnaſini, atq; eorum utriuſq; matrum, Ilairæ & Phœbes, Dipœni & Scyllidis arte facta, è ligno ebeni omnia, et ipſi Caſtorũ equi ex ebeno: cætera, pauca quidem, ex ebore. Prope Caſtorum Lucinæ fanũ dicauit Helena, quo tempore Theſeo cum Pirithoo in Theſprotos profecto, à Caſtore et Polluce Aphidna capta, Helena Lacedæmonẽ reportata eſt: fuiſſe eam aiunt à Theſeo grauidam, & Argis enixã templũ Lucinæ erexiſſe: puellam uerò quam peperit Clytemneſtræ educandam tradidiſſe: fuiſſe enim iam tum cum Agamemnone Clytemneſtram. Ipſam uerò poſtea Helenã Menelao nuptam. Quare

*& Euphorion Chalcidenſis, & Pleuronius Alexander, & ante eos Steſichorus Himeræus, idem, quod Argiui celebrãt uerſib. teſtati ſunt, Iphigenian Theſeo ex Helena genitã. Vltra Lucinæ fanum eſt Hecates delubrũ: Deæ ſignũ Scopæ opus, hoc quidẽ è marmore: atq; è regione ſunt duo eiuſdem deæ ſigna, ex ære alterũ Polycletus Polycleti frater, alterũ Naucydes Mothonis filius fecit. Quà per uiam rectã iter ad gymnaſium quod à Stheneli filio Cylarabi nuncupatur, ſepulchrum extat Licymnij Electryonis filij, quem dixit Homerus à Tleptolemo Herculis filio cæſum, cuius cædis cauſa Argis exulauit Tleptolemus. Qui paululum à Cylarabi gymnaſio, & ea porta, quæ proxima eſt, diuerterint, Sacadæ monumentum inueniant, qui primus Pythicum cantum Delphis cecinit, quo placatus Apollo redijt cum tibicinibus in gratiam, cùm ante eos male odiſſet propter Marſyæ & Sileni, qui deum ipſum prouocarant, certamina. In Cylarabi gymnaſio ſignum eſt Mineruæ cui Paniæ cognomen: Stheneli ibidem tumulum, ipſius etiam Cylarabi oſtendunt. Præterea extructum fuit non longè à gymnaſio commune monumentũ ijs Argiuis, qui cum Athenienſibus claſſe ut Syracuſas & Siciliã in poteſtatem redigerent, profecti ſunt. Hinc ea cõtendentibus uia, cui nomẽ * oſtendit ſe ad dexteram Liberi Patris ædes, cuius ſignum delatum tradunt ex Eubœa: nam cũ Græcis ab Ilij expugnatione redeuntibus, ad Caphareum fractis nauibus magna ipſorum pars inter ſcopulos periſſet, Argiui qui è naufragio terram prenſare potuerunt, frigore propè & fame conſumpti precati dicuntur, ut quis deûm ſe in tantis rerum difficultatibus ſaluos uellet: cùm itaq; proceſſiſſent, ſpecum Liberi Patris animaduertêre, & dei in eo ſignum: in eum uerò ſpecũ multæ*

ſe ca-

ſe capræ frigus fugientes gregatim immiſerant, quibus mactatis, carnibus famem, pellibus frigus repulerunt: deinde uerò cùm hyems remiſiſſet, fabricatis nauibus in patriam reuecti, ſignum quod tunc è ſpecu aſportarunt, hac etiam ætate religioſe colunt. Poximè ad Liberi Patris Adraſti domum *uideas, & paulò longinquius* Amphiarai *fanum: ultra fanum,* Eriphyles *monimentũ: poſt hæc* Aeſculapij *templum, &* Batonis *ædes.* Fuit hic Baton Amphiarai *gentilis, & ipſe de* Melampodidarũ *genere: qui cùm in prælijs* Amphiarao *aurigæ operam nauaret, reiectis à* Thebarum *muris* Argiuis, *eodem terræ hiatu quo ille, cum curru hauſtus euanuit.* Iam *uerò à* Coele *redeuntibus, qui in conſpectu eſt tumulus,* Syrnethûs *eſſe dicunt. quòd ſi honorariũ uelint eſſe, atq; in eius fœminæ memoriam extructum, non omnino abſurda dicunt: ſin* Syrnethûs *ipſius cadauer ibi conditum, mihi id nullo pacto perſuaſerint: id enim facilius illi crediderint, qui bus* Epidauriorum *res ignotæ ſunt.* De Aeſculapij *uerò tem plis, quod apud Argiuos nobiliſsimũ eſt, habet* Dei *ſignum, quod ætate noſtra extat, ſedens è candido lapide: aſsidet* Bona *ualetudo, aſsident qui ſigna ipſa fecerũt* Xenophilus & Straton. *Templum dedicauit initiò* Sphyrus Machaonis *filius,* Alexanoris *illius cui* Titanæ *honores habentur, frater.* Pheræ æ *uerò* Dianæ (Pheræan *enim* Argiui *etiam ueneran tur) tam apud* Sicyonios, *quàm apud* Athenienſes *ſignũ eſt, quod ad ſe* Pheris, *quæ ciuitas eſt in* Theſſalia, *deportatum tradunt.* Iam *uerò quòd apud ſe* Argiui *eſſe dicunt* Deianiræ Oenei *filiæ monimentum, &* Heleni Priami *filij:* Mineruæ *etiam ſignum, poſt* Ilij *euerſionem ad ſe translatum, illud ſcilicet ipſum quod unum fuit de ijs, quibus demum amiſsis, capi* Ilium *potuit, illis ego neutiquam aſſentior: nam*

Palladium (ſic enim eſt Mineruæ ſignum appellatum) ſatis manifeſtum eſt Aeneam in Italiã deportaſſe: ac Deianiram Trachine ſcimus, nõ Argis, finẽ uiuendi feciſſe, cùm eius tumulus iuxta Heraclean ſub Oeta monte adhuc extet. Quæ uerò ad Helenũ Priami filiũ pertinent, ea ſunt à me ſuperius expoſita: ueniſſe illum in Epirum cum Pyrrho Achillis filio, eoq́; mortuo ſuſcepta eius liberûm tutela Andromachen uxorem duxiſſe: ac Ceſtrinen Epiri partem à Ceſtrino Heleni filio nomen accepiſſe. Neq; uerò ignorant qui res ueteres Argiuorum in cõmentarios retulerũt, non omnia ſe ad hiſtoriæ fidem cõmemorare: uulgatæ tamen opinioni, à qua diſſidere multò difficillimũ eſſe exiſtimant, ſeruiunt. Habent Argiui alia multa quæ ſpectentur digna: inter ea ſubterraneum ædificium, in quo fuit thalamus ex ære, quem feciſſe dicitur Acriſius ad filiæ cuſtodiã: uerùm eum euertit Perilaus, dum tyrannide oppreſſam urbem teneret. Nunc Crotopi in eo monumentum eſt, & Creſij Liberi templum. Libero enim cùm extincto bello, quod cum Perſeo gerebat, inimicitias poſuiſſet, & alios magnos utiq; & præclaros honores decretos memorant, & nominatim hoc ei delubrum dicatũ: Creſium uerò nuncupatũ, quòd eo in loco mortuã Ariadnã ſepulturæ mandaſſet. Tradit Lyceas, cùm templũ reſtitueretur, fictilem urnam inuentã, in qua Ariadna condita fuiſſet: ſpectaſſe ill am ſe, & de Argiuis multos. Prope Liberi, eſt etiam Cœleſtis Veneris fanũ. Arcem Lariſſam appellant de Pelaſgi filiæ nomine, à qua duæ etiam eodem nomine nuncupatæ ſunt urbes in Theſſalia, quarum altera eſt ad mare, altera uerò ad Peneum amnem. Aſcendentibus in arcem oſtendit ſe Acræ Iunonis fanum: Apollinis etiam ædes, quã primus omnium Pythaëus Delphis ueniens erexiſſe dicitur.

quod

quod nũc extat in eo ſignũ,ex ære eſt, recto ſtatu, Diradiotes Apollo *cognomento:nam & locus ipſe in quo templum,* Diras,*hoc eſt,*Iugum,*uocatur.* Oraculũ *in eo templo(nam hac ipſa ætate in eo reſponſa conſulentibus redduntur) hoc inſtituto celebratur.* Fœmina *cui uiri conſuetudine interdictum eſt, oraculo præſidet:ea noctu agna facit ſingulis menſibus,ac ſtatim uictimæ ſanguine libato,furore diuinitus afflatur.* Diradiotæ *templo proximum eſt* Perſpicacis Mineruæ,*à* Diomede *dicatum, quòd pugnanti ad* Ilium *nebulam dea ab eius oculis remouiſſet.His ſtadium adiunctnm eſt, in quo* Ioui Nemeo *&* Iunoni *ludos faciũt.Quà ad arcem iter, ad uiæ læuam* Aegypti *filiorum monimentum hoc etiam in loco eſt: ſunt enim hic abſciſſa à reliquo corpore condita capita, ſicuti in* Lerna *ſine capitibus corpora: nam & eorum cædes ad* Lernam *cõmiſſa : adoleſcentes uerò cùm fœminæ trucidaſſent, capita abſciderunt, quò certum facinoris indicium ad patrem deferrent.* In *ipſa arce, cui* Lariſſa *nomen, ædes eſt* Iouis *cognomento* Lariſſæi:*faſtigiũ ea iam nullũ habet,neq; dei ſignũ, quod ligneũ eſt, baſi ulli amplius inſiſtit.* Iam Mineruæ *ædes proxima ualde digna eſt quæ ſpectetur: in ea cùm alia ſigna poſita ſunt, tum* Iouis *ligneũ oculos habens duos qua in parte homini eos natura locauit, tertium uerò in fronte : hunc illum eſſe* Iouem Patriũ *tradunt,qui in* Priami Laomedontis *filij regia ſub diuo poſitus fuit, ad cuius aram dicitur* Priamus *capto* Ilio *cõfugiſſe:obtigiſſe uerò eum in diuiſione prædæ* Sthenelo Capanei *filio, hocq; ipſo in loco ab eo in rei memoriã dicatum.* Habere *aũt eum tris oculos idcirco conijcere quis poſſit,quòd cõmunis omnium hominũ ſermo regnare in cœlo* Iouem *prædicat.Quòd aũt idem etiam ſub terris imperet,* Homeri *uerſu teſtatum eſt:*

Iuppiter infernus, atq; inclyta Perſephonea.

Aeſchylus quidem Euphorionis filius ipſum maris etiam regem Iouem appellat: quare hac ductus ratione, quicunq; illum fecit, tris ei oculos attribuit, unum & eundem ſignificans deum, tribus, quas di tres ſortiti inter ſe dicuntur, mundi partibus imperare. Iam uiæ aliquot Argis aliò ducunt: una ad Tegean Arcadiæ urbem. Ad eius dexteram Lycone mons, in quo inter cæteras arbores cupreſſi multæ. Erectum eſt in montis uertice Orthiæ Dianæ templum, ubi ſigna Apollini, Latonæ, & Dianæ dicata ex candido marmore, Polycleti eſſe opera aiunt. Quà ex monte deſcenditur, ad publicæ uiæ læuam Dianæ ædes: à qua non longè ad dexterã mons, qui Chaon dicitur, cuius imæ partes ſatiuis arboribus ueſtiuntur. Erumpunt hinc manifeſto emerſu Eraſini aquæ, à Stymphalo illæ quidem Arcadiæ ortum ducentes, haud aliter quàm ſcatebræ illæ quæ Rheti appellantur, ab Euripo ad Eleuſinem, inde uerò in hoc ipſum mare profluentes. Ad ipſam hanc Eraſini è monte Lycone eruptionẽ, Libero Patri & Pani ſacra faciunt. Libero quidem feſtos etiam dies agunt, quam Turbam nominant. Iam uerò ad eam uiam quæ Tegean ducit ſi redeas, ad dexterã uici eius quam Trochon appellant, Cenchreæ ſunt, cui caſtello unde nomẽ, memoriæ nõ eſt traditum: uideri tamen poßit & ipſum à Cenchreo Pirenes filio nuncupatum. Buſta eo in loco ſunt quæ Polyandria appellant, Argiuorum, qui Lacedæmonios ad Hyſias uicerunt: quod prælium inter ipſos factum inuenio, Piſiſtrato apud Athenienſes ſummum magiſtratum gerente, anno quarto eius Olympiadis, qua Eurybotus Athenienſis uictor de curriculo renunciatus eſt. Qua certe parte ad planiora deſcenditur, ruinæ ſe oſtendunt oppidi Hyſiarũ, quo in loco

cladem

cladem Lacedæmonios accepiſſe tradunt. Quæ uerò Argis Mantineã ducit uia, nõ eſt omnino eadẽ quà Tegean iter eſt: uerùm hæc à porta initium habet, loco ei quam Dirada diximus appellari, proxima. In hac uia templum erectum eſt aditu duplici, quorum alter ad Orientem, alter ad Occaſum conuerſus eſt: in illo Veneris ligneum ſimulachrũ, in altero Martis poſitum eſt: utrunq; Polynicis & Argiuorum, qui auxilio ei fuerunt in perſequenda fratris iniuria, dona fuiſſe aiunt. Hinc progreſſus cùm torrentem traieceris, cui nomen Charadro, ad uicũ accedas qui Oenoë dicitur, ab Oeneo (ut Argiui dicũt) nuncupata. Oeneũ enim aiunt Aetoliæ regno pulſum ab Agrij filijs, ad Diomeden Argos confugiſſe: illum uerò ducto in Calydoniam exercitu, Oenei quidem iniurias ultum, negaſſe tamen ſe poſſe illic permanere: hortatũ itaq; eſſe, ut ſe Argos ſequeretur: quod cùm feciſſet, tum alios ei honores, perinde atq; æquum fuit paterno auo, habuiſſe, tum uerò uicum eum in quo è uita exceßit, Oenoën uocaſſe. Supra Oenoën Artemiſium mons eſt, & in eius iugo Dianæ templum. In eodem monte Inachi amnis fontes haudquaquã dubij, etſi aqua minimè longinquum terræ ſpacium præterfluit. Illic nihil aliud uiſitur quod quenquam poßit magnopere detinere. Ab eadem porta, quæ ad Diraden eſt, uia altera Lyrcean deducit: in hoc oppidũ confugiſſe dicitur Lynceus, cùm de quinquaginta fratribus unus eſt necis periculo liberatus, atq; hinc face prolata ſignum dediſſe: ita enim ei cum Hypermneſtra conueniſſe, ut cùm Danai inſidias effugiens in tutum ſe recepiſſet, inde facem oſtentaret: ipſam etiã uicißim Hypermneſtram aiunt à Lariſſa facem protuliſſe, quò ſe ſignificaret periculum omne euaſiſſe: in cuius rei memoriam Argiui quotannis feſtum diem celebrant, quæ Fax

dicitur. Oppidum quidem antè Lyncea uocabatur: uerùm cùm Lyrcus idem poſtea tenuiſſet nothus Abantis filius, ab eo Lyrcea nomen, litera tantum unica immutata, accepit. In ipſis ruinis & alia extant nihil omnino digna quorũ fiat mentio, & pila cum Lyrci ſtatua. Argis Lyrcea abeſt ſtadia ad ſummũ LX. totidem ab Orneis. Eius mentionem in Græcis, qui ſunt ad Troianũ bellum profecti, percenſendis, nullam omnino fecit Homerus, ex quo ea iam tum ætate deſertum id oppidum fuiſſe conſtat. Quòd uerò Orneæ incolumes erãt, proinde ut loco priores in Argiuorũ finibus ſunt, ita ab eodem poëta prius quàm aut Phlius, aut Sicyon nominantur. Nomen habuere ab Orneo Erechthei filio, cui Peteus genitus eſt, Peteo Mneſtheus is, qui Agamemnonẽ cum Athenienſibus in euertendo Priami regno iuuit. Eiecti uerò poſtea ſedibus ſuis Orneatæ ab Argiuis, eorum ciuitatis inquilini facti ſunt. Eſt Orneis adhuc Dianæ fanum: in eo ligneum ſtat ſignum. Extat & ædes altera dis eadem omnibus dicata. Vltra Orneas ſunt Phliaſiorum & Sicyoniorum fines. Quà Argis in Epidauriorum agrum iter eſt, ad dexteram ædificium ſurgit pyramidis forma: in eo ſcuta, ea figura qua ſunt Argolici clypei. Commiſſam eo ipſo in loco inter Prœtũ & Acriſium pugnã de regno æquo marte memorant: pacem poſtea inter eos conciliatã, quòd neutrius ſatis firmum ſine alterius opibus eſſe poſſet imperiũ: congreſſos autem tunc primùm cum ſcutata utrinq; acie, atq; ijs quidem qui ex utroq; exercitu ceciderant, quòd res inter ciues & propinquos geſta fuerat, commune ſepulchrum eſt erectum. Hinc progreßis ad dexteram ſe Tirynthis ruinæ oſtendunt. Ipſi certè Argiui Tirynthios eiecere, quòd ijs in ciuitatem ſuam receptis, augeri ciuium multitudine urbem uo

luerunt.

lucrunt. Tirynthia quidem heroëm, à quo urbi nomen, Argi filiũ, Iouis nepotem fuiſſe perhibent. Vrbis muri, qui ſoli inter ruinas reliqui ſunt, Cyclopum fuiſſe opus fama uulgauit: extructi uerò ſunt è rudibus lapidibus, quorũ ſinguli ea magnitudine ſunt, ut ne mininius quidem eorũ loco moueri poßit iumentorum bigis: parui uerò incerti ſunt lapides, ut per eos maiores aptiore ſtructura coagmentarentur. Quà ad mare deſcenditur, Prœti filiarũ thalami ſunt. Quòd ſi in militarem uiam redeas, ad Midean, quæ ad eius læuã eſt, uenias. Regnaſſe hîc ferunt Electryonẽ Alcmenæ patrẽ: ætate quidẽ noſtra ita deleta eſt, ut ſola area reſtet. Quà Epidaurũ rectà cõtenditur, uicus eſt Leſſa, in quo Mineruæ delubrũ et deæ ligneũ ſignũ, nihil omnino ab eo differẽs quod in Lariſſæ arce eſt. Supra Leſſam Arachnæus mons: Sapyſelaton cũ antè diceretur, regnãte Inacho ita cœptus eſt appellari. In eo aræ Iouis et Iunonis, ad quas in magna ſoli ſiccitate immolãt. Ad Leſſan cũ Argiuorũ agro Epidauriorũ fines iunguntur, in quorũ priuſquã urbẽ introëas, in Aeſculapij uenias. Hanc regionem qui ante Epidauri in eam aduentũ tenuerint, non habeo dicere: quin Epidauri etiã ipſius qui poſteri fuerint, nõ potui de incolis cognoſcere. Regnaſſe illi quidẽ ante Dorienſium in Peloponneſum aduentũ Pityreum memorãt Ionis filium, Xuthi nepotem, ab eoq; ſine pugna traditũ Deiphonti & Argiuis imperium: ueniſſe uerò eum cum ciuibus ſuis Athenas, ibiq; domiciliũ cõſtituiſſe: Deiphontẽ Epidauriam terrã occupaſſe cum ea manu Argiuorũ, qui à reliquis Argiuis, Temeno mortuo deſciuerãt. Deiphontes & Hyrnethò Temeni liberos oderant: quæ ſecuta eſt eos multitudo, plus illis multò, q̃ Ciſo et fratribus ſtudebat. Epidaurus ipſe, à quo regioni nomẽ, uti Elei tradũt, Pelope natus eſt. Quòd

ſi Argiuorum opinionem ſequimur, & eorum carminum quas Eœas *magnas appellant,* Epidauro *pater fuit* Argus Io*uis filius: ipſi enimuero* Epidaurij, Apollini Epidaurum *attribuunt. Cauſam uerò huiuſmodi afferunt, quare ſacra ſit* Aeſculapio *regio.* Veniſſe *in* Peloponneſum Phlegyan *uiſendæ eius terræ ſtudio ſimulato, re tamẽ ipſa ut ſpecularetur, quàm frequens ea eſſet incolarum multitudine, quidq́; militaris ætatis ac roboris haberet: fuit enim* Phlegyas *omnium ſui temporis bellator acerrimus, quippe qui in quancunq; partem excurſiones feciſſet, ex ea cùm frumenta, tum reliqua omnia agebat & rapiebat. Is cùm iam* Peloponneſum *intraſſet, filia, quæ patrem ſequebatur, cùm adhuc ſe uterũ ex* Apolline *ferre patrem celaſſet, in* Epidauriorũ *finibus puerum enixa, illum in monte exponit, cui hac ipſa etiã ætate* Titthion *nomen, id eſt ac ſi* Mamillam *dicas, cùm antè* Myrtion *appellaretur. Mutati nominis cauſa, quòd expoſito infanti lac præbuit capra, quæ cum cæteris in eo ſaltu paſcebat, dum interea cum canis cuſtodiret. Ibi* Areſthanas *(fuit enim hoc caprario nomen) cùm à reliquo grege in pecore recenſendo, capellam unam, cumq́; ea canem aberraſſe animaduertiſſet, totũ eum ſaltum quæritans peragrauit: inuentum uerò puerum cùm tollere uehementer cuperet, ac iam propius accederet, effulſiſſe aiunt cœleſtem ab illo ignẽ: quo deterritum prodigio paſtorem, cùm diuinum quiddam id eſſe, uti erat, ſuſpicaretur, ſtatim retroceſſiſſe: mox fama per terras ac maria omnia uulgauit, ſanari ab illo quouis morbo laborantes, mortuos etiam excitari.* Alia *etiã de re eadem prodita eſt hiſtoria:* Coronidem *iam prægnantẽ cum* Iſchyæ Elati *filio concubuiſſe, ob id interemptam à* Diana, *quòd illa* Apollini *factam contumeliam ulciſci uoluit: ardente uerò*

te uerò rogo, è media flamma puerum à Mercurio ereptũ. At tertia quædã de Aeſculapij natalibus fabula uulgata eſt, quæ mihi quãlongiſsimè à ueritate abhorrere uidetur. Aeſculapiũ Arſinoë Leucippi filia natũ: etenim Apollophani Arcadi cùm Delphos ueniſſet ex deo quæſiturus, genitúsne ex Arſinoë eſſet Aeſculapius, & ciuis'ne eſſet Meſſeniorũ, reſponſum his uerſibus datum:

Aſclepi auxilium cunctis mortalibus almum,
Filia quem Phlegyæ peperit mihi iuncta cubili,
In campis Epidaure tuis, formoſa Coronis.

Quod ſanè oraculũ facilè declarat nõ eſſe natũ ex Arſinoë Aeſculapiũ: uerùm id aut Heſiodus, aut ex ijs aliquis qui Heſiodi carminibus uerſus ſuos interpoſuere, in Meſſeniorum gratiam finxerunt. Teſtimonio uerò multa mihi ſunt, Epidauri genitum Aeſculapium, ac omnem huius dei cultum ex Epidauro acceptũ. Nam & Athenienſes initiorum diem unum, quem Aeſculapio tribuunt, Epidauria nuncupant, atq; illo ſe die honores habere Aeſculapio cœpiſſe tradunt: & Archias Ariſtæchmi filius à conuulſione membrorum ſanatus, qua inter uenandum apud Pindaſum correptus fuerat, dei religionem Pergamũ traduxit: acceptam à Pergamenis deinde Smyrnæi templo conſecrarũt, quod noſtra ætate Aeſculapij nomine ad mare eſt. Quin & quòd colitur Balanagris apud Cyrenæos Aeſculapius, Medici cognomento, ex Epidauro ſumptus eſt. Ad Cyrenaici quidem ſimilitudinem factum eſt id Aeſculapij templum, quod Lebenæ, quæ eſt Cretenſium urbs, extat. Diſsimilis in eo ſacri ritus, quòd Cyrenaici capras mactant, cùm ab Epidaurijs traditum hoc omnino non fuerit. Deum uerò ſtatim ab initio habitum Aeſculapium, neq; eius religionem ſolo temporis

progreſſu,& fama hominum profeciſſe, & alijs argumentis colligo; & ex Homeri uerſibus, quibus hæc ille dicentem facit Agamemnonem:

Talthybi huc propera,magnumq; Machaona nobis
Duc,hominem Aſclepi genitum de ſemine.

Idem eſt enim ac ſi dixiſſet, hominem dei filium. Aeſculapij lucum circunquaq; montes incingunt, intra cuius ambitum mori quenquã,aut naſci,religio eſt, eodem ſcilicet ritu, qui & in Delo inſula ſeruatur. Iam uerò quicquid ciuis peregrinúsue immolarit,id totum intra eundem ambitum conſumitur: quem ritum Titanæ etiam ſeruari nouimus. Aeſculapij ſimulachrum dimidio ferme minus eſt eo, quod Athenis eſt Iouis Olympij: auro illud quidem,& ebore perfectum: teſtatur inſcriptio opus eſſe Thraſymedæ Arignoti filij Parij hominis. Sedet in ſolio ſcipionem tenens: altera manu draconis caput premit, cane ad pedes decumbente. In ipſo ſolio Argiuorũ heroum opera cælata ſunt: Bellerophontes Chimæran conficit, Perſeus Meduſæ caput abſcindit. Supra templum ædes ſunt, in quibus qui precatum deum uenerunt, dormiunt, rotunda figura, atq; è candido marmore, Tholum appellant, dignum certè quod uiſatur ædificiũ. In eo Pauſiæ pictoris opus,Cupido abiecto arcu & ſagittis,lyram tenens. Ebrietas etiam ab eodem opifice facta: bibit ea è uitrea phiala: expreſſa ita eſt in tabula uitrea phiala,ut per eius perſpicuitatem muliebre ſe os oſtendat. Pilæ uerò intra ambitum priſcis temporibus multæ ſteterunt, è quibus ſex ætate mea reliquæ: in ijs uirorum et fœminarum,quæ à deo curatæ ſunt,nomina inciſa: morborum etiam,quo quiſque laborarat: addita eſt curationis ratio: ſcripta uerò ſunt omnia Dorica lingua. Seorſum eſt ab alijs antiqua pila: in ea inciſum,

inciſum, dicaſſe Aeſculapio Hippolytum equos XX. Huius pilæ inſcriptioni conſentanea Aricini dicunt, diſcerptū ob Theſei imprecationes Hippolytum, in uitam ab Aeſculapio reuocatum: neq; poſtea patri unquam ignoſcere uoluiſſe, uerùm omni eius deprecatione ſpreta, in Italiam ueniſſe, ibiq; dicato Aricinæ Dianæ templo regnaſſe. Mea quidem etiānum ætate iis, qui ad templū ſingulari certamine dimicarint præmiū deæ ſacerdotiū propoſitū eſt: ſed in certamen ingenuus nemo deſcendit: ſerui duntaxat qui fuga ſe dominis ſubduxerint. In ipſo fano apud Epidaurios theatrum eſt omniū operis dignitate mea ſententia præſtantiſſimū: nam quæ apud Romanos uiſuntur, antecellūt illa quidē tam ornamentis, quàm, quod eſt Megalopoli apud Arcadas, magnitudine. De arte uerò, partiū cōuenientia ac pulchritudine, quis Polycletū audeat in certamen prouocare? Polycletus enim ipſe theatro ædificādo præfuit, idemq; rotundā ædem fecit. In luco ædes eſt Dianæ cum ſimulachro, Epiones cognomento, ex eo fortaſſe, quòd morbos mitigare hoc numen credatur: Veneris cella ac Themidis: Curriculū præterea magnæ ex parte agger: Aquæductus cùm teſtudine, tum reliquo opere ita exornatus, ut cū admiratione ſpectetur. Quæ uerò opera Antoninus uir ſenatorius ætate noſtra fecit, hæc ſunt: Aeſculapii balneæ, deorū templū, quos Epidotas nominãt. Dicauit præterea ædem Bonæ ualetudini, Aeſculapio, Apollini cognomento Aegyptio. Porticum ad hæc reſtituit, quæ Cotyos eſt appellata: ea uerò collapſo tecto tota corruerat, ut quæ è crudis fuerat extructa laterculis. Cumq; Epidaurii fani accolæ ægerrimè ferrēt, quòd et fœminæ ſub tecto nō pareret, & ægri ſub dio animā agerent, Antoninus domo ædificata, incōmodū remouit: fuit itaq; in poſterū et ad morien

theatrum

polycletus

q̄ tẽpla pasa

dum ægris, & ad pariendũ mulieribus conſecratus religione locus. Montes *ſupra lucum ſunt duo,* Titthion *alter, alter uerò* Cynorthium, *in quo* Maleatæ Apollinis *templum, quod ſolum de antiquis operibus extat: nam quæ circa templum ipſum ſunt cætera, & aquæductus caſtellum, cum receptaculo depluentis aquæ, ea omnia* Epidaurijs *fecit* Antoninus. Dracones *quidem cùm omnes, tum in primis eorum quoddam genus fuluo colore conſpicuum,* Aeſculapio *ſacri habentur: ſuntq; illi hominibus cicures. eos ſola* Epidauriorum *terra alit, quod in certis animalium generibus alijs etiã regionibus uideo contigiſſe: ſiquidem ſola* Africa *terreſtres crocodilos gignit duûm cubitûm, nihilo minores.* Ab Indis *uerò cùm alia, tum uerò aues pſittaci afferuntur. At ſerpentes qui* Megalaunæ *appellantur, ſupra* xxx. *cubitûm magnitudinem excreſcentes, quales &* India & Africa *nutrit, nõ dracones, ſed ex alio quodã genere* Epidaurij *eſſe affirmant. Quà ad montis uerticem aſcenditur, circa uiam eſt olea, quæ* Verſilis *appellatur: manu eam ab* Hercule *in orbẽ circunductam, eam figuram memorant accepiſſe.* Nunquid *uerò eam terminum* Aſinæis *ſtatuerit ijs, qui in* Argolica *terra ſunt, non poſſim ego facilè iudicare: nam neq; alio ullo in loco eorũ tota regione ad uaſtitatem redacta, ulla ſe oſtendunt ſatis manifeſta finium monimenta.* In *ſummo monte eminet* Coryphææ Dianæ *templum, cuius in cantico quodã ſuo* Teleſilla *mentionem fecit. Quà in ipſam* Epidauriorum *urbem deſcenſus eſt, agrum uideas undiq; agreſti olea conueſtitum.* De Hyrnethoë *autem, quæ ab* Epidaurijs *accepi, quæq; maximè probabilia uidentur, ea ſcribam.* Ciſus, & Temeni *reliqui filij intelligebant nõ mediocri dolore* Deiphontem *affectum iri, ſi quo modo ab eo poſſent* Hyrnethò

thò abducere: uenerunt itaq; Epidaurum Cerynes & Phalces, nam minimo eorum natu Agræo, fratrum conſilium minimè probatum eſt: conſtiterũt illi cum curru ante muros, euocata per caduceatorem ad colloquium ſorore: quæ cùm ueniſſet, primùm omnium adoleſcentes Deiphontem criminari, deinde illam orare ut Argos reuerti uellet, pollicentes cùm alia multa, tum uiro ſe eam nuptum daturos, & rebus omnibus multò quàm Deiphontes eſſet meliori, & cùm hominum numero, tum agri fœlicitate longè ſuperiori: quæ audiens Hyrnethò indignißimè tulit, ac ut par pari referret, Deiphontẽ reſpondit ſibi meritò placere plurimùm, fuiſſeq; eum Temeno generum minimè pœnitendũ, at illos percuſſores potius, quàm filios Temeni appellari poſſe. Ad hæc illi nihil reſpondentes, fœminam comprehenſam, atq; in currum impoſitam, abduxere. Cùm uerò Epidauriorum quidam ad Deiphontem detuliſſet, à Ceryne & Phalce inuitam abduci Hyrnethò, & ille quàm potuit celerrimè fugientes eſt inſecutus, & Epidaurij re audita, præſtò fuere. Deiphontes quidem hõmines aſſecutus, Cerynen iaculo transfixit: at Phalcen cùm Hyrnethò arctè cõplexus teneret, iaculari ueritus, ne illam, ſi fortè aberraſſet, interimeret, cominus cum eo congreſſus, abſtrahere mulierem conabatur. At Phalces pertinaciter et uiolenter retinens ac trahens, facilè mulierem cùm grauida eſſet, exanimauit: atq; ille quidem cùm in ſororem tam impium facinus commiſiſſet, incitato curru ſeſe in fugam dedit, quò anteuerteret, priuſquàm Epidauriorum concurſu opprimeretur. Deiphontes cũ filijs (ex illa enim mares ſuſceperat Antimenen, Xanthippum, & Argeũ, filiã uerò Orſobiam, quam poſtea Pamphilus Aegimij filius uxorẽ duxit) ſublatũ Hyrnethûs cadauer,

in locum hunc deportarũt, qui ab ea Hyrnethium uocatur: condito uerò heroico monimento, & alios illi honores habuere, & ſanxerũt, ne quæ aut ex oleis, aut alia ulla arbore in eo agro enata, ui aliqua abſciſſa auulſaue forẽt, à quoquã aſportari ad profanum ullum uſum poſſent, ſed quòd ſacra eſſent Hyrnethoë, omnia illic ut relinquerentur. Non longè ab urbe eſt Meliſſæ monimentum, quæ cum Periandro Cypſeli filio fuit. Eſt item Patrocli Meliſſæ patris, qui Epidaurijs imperauit, quemadmodum & gener eius Periander Corinthijs. Ipſa quidem Epidauriorũ urbs hæc habet quæ monimentis literarum mandentur digniſſima. Fanum eſt Aeſculapij, in quo ipſius dei, & Epiones ſigna. Epionẽ uxorem fuiſſe Aeſculapij memorant. hæc ſub dio ſunt è lapide Pario. Intra muros delubra ſunt Liberi Patris, & Dianæ lucus. Diana ad imaginem metentis ficta eſt. Veneri etiam templum extructum: nam quod eſt apud portum in proiecto in altum promontorio ſitum, id Iunonis eſſe aiunt. Iam Mineruæ ligneũ quod in arce ſignũ eſt, ualde illud quidem inſigne, Ciſſæam Mineruã nominant. Aeginetæ inſulam incolũt, quæ è regione Epidaurij agri eſt, in qua ab initio nullos fuiſſe incolas dicunt: ſed in eam uacuam & deſertam, à Ioue Aeginam Aſopi filiam deportatam, à qua cùm Oenope antè uocaretur, nomen acceperit: uerùm cùm Aeacus iam adoleuiſſet, rogaſſe Iouem aiunt, ut inquilinos ſibi daret: illum itaque è terra homines, à quibus inſula teneretur, protuliſſe. Neminem uerò præter Aeacum, qui in ea inſula regnarit, nominare poſſunt. Ac ſatis quidem ſcimus neminem omnino de Aeaci filijs Aeginæ permanſiſſe: Peleus enim & Telamon ob Phoci cædem ſolum uerterunt: nam Phoci filij circa Parnaſſum regionem eam tenuerunt,

cui

cui Phocidi nomen eſt: una tamen antè ætate hoc ei nominis eſt inditum à Phoco Ornytionis, qui coloniam illuc deduxit. Hoc *ſanè Phoco regnante, ea duntaxat regio Phocis eſt nuncupata, quæ eſt ad* Tithorean *&* Parnaſſum: *poſtea uerò ab* Aeaci *filio proxima etiam loca omnia nomen acceperunt, ſicuti* Minyæ *appellantur, tum qui* Orchomenijs *finitimi ſunt, tum uerò qui ad* Scarphean *Locrorum urbem pertendunt. Et à* Peleo *quidem* Epiri *reges fuere oriundi. Quod uerò ad* Telamonis *filios attinet, minus fuit ab* Aiace, *cùm priuatā ille ſemper uitā egiſſet, illuſtre genus: præterq̄ quòd* Miltiades, *cuius ductu ad* Marathonē *ab* Athenienſibus *pugnatū eſt, et* Cimon *eius filius inſigni gloria fuerunt. At* Teucri *poſteri* Cypriorum *regnū uſq; ad* Euagorā *obtinuere. Iam* Phoco *Aſius poëta filios fuiſſe memoriæ prodidit* Panopeum *et* Criſum. *E* Panopeo *natus eſt* Epeus, *qui* Durateum *equum fecit, uti* Homerus *memorat.* Criſi *nepos fuit* Pylades, Strophio *Criſi filio, &* Anaxibia Agamemnonis *ſorore genitus. Hæc fuit gentis, qui ſunt* Aeacidæ *appellati, omnis poſteritas, qui ab eadem ſtirpe profecti, domo profugi alò cōmigrarunt. Interiectis deinde temporibus* Argiuorum *pars ea quæ* Epidaurum *cum* Deiphonte *occupauit, in* Aeginam *tranſmiſit, atq; eius inſulæ indigenis permiſta,* Dorienſium *in eam cùm mores, tum linguam importauit. Poſt hæc uerò eouſq; auctæ ſunt* Aeginetarum *opes, ut naualibus copijs* Athenienſibus *ferè ipſis fuerint potētiores, &* Perſico *quidem bello ſecundùm* Athenienſes *maximum nauium numerum deduxere. Verùm parum fuit hæc ipſis potentia diuturna: ſiquidem eiecti ſedibus ſuis ab* Athenienſibus, Thyræan *ab* Lacedæmonijs *acceptā in* Argiuorū *finibus incoluerunt: inſulam tamen, oppreſsis ad* Helleſpontum

Athenienſium triremibus, receperunt:ad priſtinas uerò opes atq; copias nunquam licitum eſt aſpirare. Eſt ipſa inſula è mari longè omnium, quæ in Græcia ſunt, aditu difficillima:incingitur enim undiq; aſperis cautibus, ac cæcis dorſis. Eas moles contra prædonum excurſiones, & omnem hoſtilem impetum, de induſtria ieciſſe dicitur Aeacus. Prope portum eum quo maximè appellitur, Veneris templum eſt. Celeberrimo autem urbis loco, quod Aeacum appellant, ſeptum id eſt quadratum è candido lapide. In primo aditu eorum ſtatuæ ſunt, qui ad Aeacum à Græcis miſsi uenere. Eius legationis cauſam eandem, quam Aeginetæ, reliqui etiam Græci fuiſſe narrant. Cùm diuturna ſiccitate Græcia laboraret, ac non minus reliqua, quæ extra Iſthmũ eſt, Græcia, quàm tota Peloponneſus cœleſtiũ aquarũ penuria affecta eſſet, miſsi Delphos ſunt, qui ex oraculo calamitatis cauſam ac remedium cognoſcerent. Ibi reſpondit Pythia, Iouem placandum:utendum uerò, modò ut uelit obſequi, Aeaco deprecatore. Ex eo itaq; reſponſo miſsi ex ſingulis urbibus ad Aeacum, ut deprecationem ſuſciperet oratum: ille Panellenio Ioui ſacris ritè peractis, & uotis nuncupatis, imbrium Græciam compotem fecit. ad rei memoriã legatis Aeginetæ ſtatuas p[illegible]erunt. Intra ſeptum oleæ ſunt antiquitus conſitæ, & ara paulùm ſupra aream eminens, eam aram monimentum eſſe, quod Acaci dicitur, in arcanis eſt. Iuxta Aeaceum Phoci tumulus eſt, incinctus in ambitum crepidine. Incumbit aſperum & rude ſaxum, quo cùm Phocum ad quinquertium fratres inuitaſſent, pro diſco uſi ſunt: ac eodem Peleus conſultò Phocũ, cùm loco ei ſuo lapis eſſet mittendus, dicitur percuſsiſſe:quod illi facinus, ut matri obſequerentur, dicuntur commiſiſſe: ipſi enim è Scironis filia,

lia, Phocus è Thetidis ſorore (ſi Græcorum eſt ſermonibus fides habenda) natus fuerat. Quare non ſolũ ob Oreſtis amicitiã, ſed ut proauũ ulciſceretur, uidetur mihi Pylades eius cædis qua Neoptolemus occiſus eſt, particeps fuiſſe. Ac tunc quidẽ cùm diſci ictu Phocus cõcidiſſet, ſtatim fratres Endeide nati, naui ex inſula profugerunt. Telamon non ita multò pòſt caduceatorem ad patrem mittit, qui ſuis uerbis neget cogitatò Phoci cædem admiſſam. Aſt Aeacus illum deſcendere in inſulam uetuit: tantùm de naui, uel ſi ita mallet, ab extructo in mari aggere, iuſsit cauſam dicere: ille igitur noctu intra occultum portum naui uectus aggerem extruxit, & is quidem agger noſtra etiamnum ætate extat. Damnatus uerò eo crimine, quòd de Phoci nece culpa nõ caruiſſet, Salamine cum claſſe iterum abijt. Non longè ab occulto portu theatrũ eſt quod ſpectetur ſanè dignum, magnitudine ac reliquo opere par ei, quod eſt apud Epidaurios: unico conſurgit latere, quo theatrum, quantum operis patitur conuenientia, fulcit. Aedes ſacræ non multùm inter ſe diſtant, Apollinis una, Dianæ altera, Liberi Patris tertia. In Apollinis, dei ſignum nudum è ligno, arte factum patria: at Diana, & Liber ueſte uelati: cum barba Liber. At Aeſculapij templum in diuerſa regione eſt, cum ſimulachro ſedenti è marmore. Præ cæteris uerò dis in primis Hecaten colũt Aeginetæ, cuius quotannis initia celebrant. Initiorũ autorem Thracem Orpheum perhibent. Maceria templum ambitur: in eo ligneum ſignum factum à Myrone, cuius unicũ os ut corporis truncus: nam primus, uti ego exiſtimo, Alcamenes Athenienſibus triplex fecit iunctis corporibus Hecates ſignum, quam Epipyrgidian illi appellant, iuxta inuolucris Victoriæ ædem poſitam. Apud eoſdem Aeginetas cõtendentibus

ad Panellenij Iouis eſt Aphææ fanum, in quã Pindarus Aegi netis canticum fecit. Cretenſes quidem (ipſi enim omniũ pri mi patrios quoſdam ſermones de hac de protulerũt) Carma noris eius, qui de Pythonis cæde Apollinem purgauit, Eubu lum filiũ fuiſſe aiunt: Ioue & Carme Eubuli filia Britomar- tin genitam, quæ cùm ſe totam in currendi uenandiq́; ſtudia tradidiſſet, fuiſſe eam Dianæ multò chariſſimam. Verùm cùm Minoën præ amore inſequentem fugeret, ac ſe in mare abieciſſet, in retia, quæ ad piſces capiendos in mare miſſa fuerant, incidiſſe: à Diana in deorum numerum relatam. Colunt eam nõ ſoli Cretenſes, ſed ipſi etiam Aeginetæ, quòd in inſula uiſam Britomartin autumant. Et eadem ſanè Ae- ginetis Aphæa eſt, quæ apud Cretenſes Dictynna. Panelle- nium præter Iouis ædem nihil habet mons aliud memoratu dignũ: eam uerò ab Aeaco Ioui dicatã tradũt. Quæ uerò de Auxeſia & Lamia, quemadmodum ſcilicet cùm Epidaurij diu imbres deſideraſſent, atq́; ex oraculo quodam ſigna hæc ex olea ab Athenienſibus accepta feciſſent: tum uerò quẽad- modum cùm Epidaurij tributum imperatum Athenienſi- bus non penderent, quòd ea ſigna penes Aeginetas eſſent: Athenienſes qui inſulam ad ea repetenda tranſmiſerant, om nes perierint: hæc omnia cùm ſubtiliter perſecutus fuerit Herodotus, non eſt libitum ab eo luculenter perſcripta re- ferre. Id unum addam, uidiſſe me ea ſimulachra, remq́; illis diuinam feciſſe: fiunt autem illis non alio, quàm ſacra Eleu- ſinia, ritu. Atque hæc hactenus de Aegina, & Aeaco, deq́; o- peribus iis, quæ in ea inſula uiſuntur. Finitimi ſunt Epidau rijs Troëzenij: hi res ſuas quantum qui maximè amplifi- cant. Orum aiunt primum in ea terra genitum: mihi ue- rò Aegyptiacum, nõ Græcum nomen Orus eſſe uidetur: at

illum

illum regnaſſe dicunt, & ab eo regionem Oræan nuncupatam. Poſtea uerò Althepum à Neptuno ex Leide Ori filia genitum, accepto ab auo regno, Althepiam eam nominaſſe. Interea dum hic regnum teneret, diſceptaſſe Neptunum & Mineruam de loci tutela: ita ex eo certamine diſceßiſſe, ut ex Iouis arbitrio, cõmunis utriq; is honos eſſet: eam ob rem Mineruam uenerantur Poliadem & Stheniadem, duobus eandem cognominibus, & Neptunum Regem cognomento. Quin & uetuſtus eius populi numus tridentis nota, & Mineruæ capite ſignatus eſt. Succeßit Althepo Saron: hunc ad mare aiunt Saronidi Dianæ templum ædificaſſe, loco paluſtri ac uadoſo, ob eam uerò cauſam Phœbæam paludem dictã. Saronem ipſum narrant cùm uenandi ſtudio plurimùm delectaretur, ceruum uſq; ad mare perſecutum, atq; inde cùm fugientem acrius urgeret, ſe in eam alluuiem demiſiſſe: nantem uerò longius iam à litore feram cùm prædæ cupiditate captus non dimitteret, in pelagus prouectum, ibi & labore confectum, & maris æſtu iam propè ſubmerſum diem ſuum obiſſe. Eius cadauer ad Phœbæam paludem in Dianæ luco, atqueadeo intra ædis maceriam conditum: æſtuarium illud ab eo caſu pro Phœbæa Saronidem paludem appellatum. Poſteriorum uerò regum uſq; ad Hypereten & Anthan neminem norunt: hos quidem Neptuni ferunt & Alcyonis Athlantis filiæ ſatu ortos, ab illisq; Hyperean & Anthean in ipſa regione oppida condita: quorum alterum Aëtius Anthæ filius, accepto à patre patruoq; imperio, priore nomine mutato, Poſidoniaden appellarit. Atenim cùm Trœzen & Pittheus ad Aëtium ueniſſent, tres iam pro uno reges fuerunt. Firmiores certè Pelopis filiorũ opes fuiſſe ea res argumento eſſe po

teſt, quòd cùm Troëzen deceßiſſet è uita, Pittheus Hyperean et Anthean in ius ac formã unius ciuitatis redactas, & ex utraq; in unum coacta multitudine, Troëzena de fratris nomine nuncuparit. At Troëzene multis quidem pòſt annis, qui ab Aëtio Anthæ filio originem ducebant, in coloniã mißi Halicarnaſſum & Myndum in Caria deduxerũt: Troëzenis filij Anaphlyſtus & Sphettus in Atticam migrarunt, à quibus curiæ Athenienſium duæ nomina acceperunt. Hoc loco de Theſeo Pitthei ex filia nepote, quòd ſatis ſunt omnibus eius res notæ, nihil ſcribo, ſed ea quæ addenda cenſeo in præſentia perſequor. Herculis liberos poſtliminio reuerſos ipſi etiam Troëzenij in ciuitatis ſocietatem receperũt: quippe qui & Dorienſibus, qui Argis uenerant, & ipſis etiam Argiuis antè paruiſſent. Nam & Homerus in exercitu Græcorum recenſendo, Diomeden illis imperaſſe dicit: ſiquidem Diomedes & Euryalus Meciſtei, ſuſcepta Cyanippi Aegialei filij tutela, Argiuos ad Troiam deduxere. Sthenelus uerò (uti antè expoſui) natalibus multò fuit clarioribus, nempe qui de eorum eſſet gente qui ſunt Anaxagoridæ appellati: ei itaq; in primis Argiuorum debebatur imperium. Hæc de Troëzeniorũ rebus hiſtoriæ mandata ſunt, quanquã et multa fortaſſe de ijs quas deduxerũt colonijs, addi poſſent. Iam uerò templorũ ornamenta, & alia maximè inſignia opera perſequar. In Troëzeniorum foro Dianæ cognomento Soſpitæ templum cum ſigno eſt. Dicatum id à Theſeo tradunt, deamq́; ipſam ita nominatam, cùm ille è Creta interempto Aſterione Minois filio rediſſet. Fuiſſe autem omnium Theſei factorum hoc memoratu digniſſimũ exiſtimo, non ob id ſolùm quòd Aſterion uiribus tanto fuit omnibus ijs, quos Theſeus cõfecerit, ſuperior: uerùm multò ob eam cauſam magis, quòd

quòd cùm ex Labyrintho clàm patrato facinore effugerit omneſq; loci difficultates ſuperarit, certũ dederit documentum, cùm ſe, tum ſocios ui diuinæ prouidentiæ ſeruatos. In eadem ſunt æde deûm inferûm aræ: hàc enim à Libero Patre Semelen ab inferis reductam, hinc ab Hercule abductum Ditis canem, fama uulgauit. ego uerò Semelen ne mortuã quidem omnino arbitror, quæ Iouis uxor fuerit. De Plutonis uerò cane quæ ſunt fabulis uulgata, quemadmodum ea accidiſſe putem, alia in parte diſſeram. A templi tergo eſt Pitthei monimentum. Solia dehinc tria è candido lapide: in ijs Pittheum cum duobus uiris, qui ei aderant in conſilio, ius dicere ſolitum aiunt. Non longè abeſt Muſarum cella: feciſſe eam dicitur Ardalus Vulcani filius, à quo tibiam inuentam putant: Muſas has ab illo Ardalidas nominant. In ea cella dicendi artem docuiſſe Pittheum tradunt: ac librum quidem à Pittheo ſcriptum, ab Epidaurio uerò homine editum, ipſe legi. Seorſum ab hoc muſæo ara eſt ab eodem Ardalo (uti aiunt) dicata: ad eam aram Muſis & Somno ſacra faciunt, Muſis omniũ deorum maximè amicũ Somnũ ipſum cenſentes. Iuxta theatrum Lyceæ Dianæ ædem extruxit Hippolytus. Cur ita fuerit nuncupata, adhuc neminẽ reperi de ijs, qui antiquitatis memoriam profitentur, qui me docuerit. Illud mihi in mentem uenit conijcere, eam fuiſſe cognominis cauſam, quòd lupos qui agrum infeſtum redderẽt, Hippolytus confeciſſet: uel quòd à matre, quæ una fuit de Amazonibus, dum apud eam uiueret, cognomẽ acceperit: uel alia fortaſſe prodi poßit cauſa, mihi prorſus ignota. Lapidem uerò eum qui ante ædem ſtat, & ſacer dicitur, illum eſſe dicunt, ſuper quo nouem uiri de Troëzeniorum ciuitate Oreſten de matris cæde purgarunt. Non procul à Lyceæ, aræ ſunt mo-

dicis diſtantes interuallis: earum una Liberi ex quodam oraculo Saotæ, quaſi Seruatoris dixeris, cognomento, Themidum altera nominatur: hanc Pittheus dicitur dedicaſſe. Soli uerò Liberatori iure optimo aram mihi uidentur erexiſſe, metu Xerſi & Medis ſeruiendi liberati. Thearij Apollinis templum ædificaſſe Pittheum, & exornaſſe dicunt: eſt illud quidem templorum omnium, quæ ego uiderim, uetuſtiſſimum. Nam etſi peruetus eſt Mineruæ apud Phocaënſes in Ionia, quod Harpagus olim Medus exuſſit, peruetus & Pythij Apollinis apud Samios, multò tamen ſerius quàm hoc Troëzeniorũ ædificata illa fuerunt. Signũ quod nunc extat ab Auliſco dedicatũ, Troëzenij Hermonis opus eſt. Eiuſdẽ Hermonis arte elaborata Caſtorum lignea ſimulachra. In fori porticu fœminarum & puerorum ſtatuæ poſitæ ſunt, utræq; è marmore. Sunt autem fœminæ illæ, quas cum filijs Troëzenijs ſeruandas Athenienſes cõmiſerunt, quo tempore ſtatuerunt ipſi urbem deſerere, quòd Perſarum impetum non eſſe ſibi terreſtribus copijs ſuſtinendum cenſuerũt. Neq; uerò omnibus ſtatuas, quæ non multæ ſunt, poſitas putant, ſed ijs tantùm quæ dignitate cæteras anteibant. Ante Apollinis, ædificiũ quoddam eſt, quod Oreſtis tabernaculũ appellant: prius enim quàm materni ſanguinis maculã expiationibus Oreſtes elueret, de Troëzenijs nemo eum tecto recipere uoluit: ſed in ea ipſa cella illũ conſiſtere iuſſerunt, ibiq; qui ei luſtrationi præfuerunt, cum eo epulati ſunt, quantiſper ritè expiatus eſt. Manet adhuc ritus, ut illorum poſteri ſtatis diebus eodem in loco cœnitent. Defoſſis autem nõ longè ab ea taberna piaculis, laurum eam enatam tradunt quæ adhuc uiret, proximo ei tabernæ loco. Ad eum uerò luſtrandum, & alia ſebruorũ genera adhibita, & aquã ex Hippu-

crene: habent enim ipſi quoq; Troëzenij Hippucrenen, de quo alius quàm à Bœotis proditus eſt ſermo. Nam cùm & ipſi dicãt, Pegaſi equi ungula effoſſo ſolo è terra fontem manaſſe, addunt Troëzenen ueniſſe Bellerophontem, cùm uxorem ſibi à Pittheo Aethran popoſciſſet: uerũ ita accidiſſe, ut ante nuptias Corintho in exiliũ mitteretur. Eſt ibidem Mercurij ſignum qui cognomento Polygius dicitur, cui clauã ab Hercule dedicatã perhibent: fuit etenim ex oleaſtro. Quod adijciunt miraculũ, haud ſcio an cuiquã fide dignum uideri poßit, eam clauam radicibus actis regerminaſſe. Oleaſter certè ille hac etiam ætate monſtratur: clauam quidem Herculem ab oleaſtro, quem ad Saronidem paludem inuenerit, abſcidiſſe ferunt. Viſitur præterea Iouis fanũ, cui Seruator cognomentum eſt: erectum dicunt ab Aëtio, cùm Antho patri in regno ſucceßiſſet. Amnẽ habent Chryſorrhoan, hoc eſt, ac ſi Aurifluum dicas: hunc amnem ſolum ſuam aquarũ perennitatem ſeruaſſe narrant, cùm in magna ſiccitate, deſideratis per annos IX. imbribus, nullæ aquarum uenæ non exaruiſſent. Hippolyto etiam Theſei filio lucus eximia pulchritudine dedicatus eſt, cum delubro & priſci operis ſimulachro, quæ omnia Diomeden tradũt faciunda curaſſe, eundemq; Hippolyto primum omnium rem diuinã feciſſe. Hippolyto apud Troëzenios ſacra facit ſacerdos, qui eo honore quandiu uiuit, fungitur. Sacra ipſa anniuerſaria ſunt. Præter cæteros ſacrorum ritus, uirgines ante nuptias ſuccisſum ſibi capillum in Hippolyti templo conſecrant. Neque uerò ijs aſſentiuntur Troëzenij, qui diſtractum ab equis marinis Hippolytum memoriæ prodiderunt, nec omnino quo loco ſepultus fuerit monſtrant: uerùm eum eſſe illi à Dis habitum honorem affirmant, quòd in ſyderum nume-

rum relatus idem ipſe ſit, qui Auriga cœleſtis dicitur. In *eadem area delubrum eſt* Apollinis Inſcenſoris, Epibateriũ *ipſi nominant:ab eodem* Diomede *dedicatũ aiunt,cùm tem-peſtatẽ effugiſſet, quæ* Ilio *redeuntibus* Græcis *immiſſa eſt.* Quin & Pythicos *ludos in* Apollinis *honorem* Diomedem *primùm omnium inſtituiſſe.* De Lamia *uerò &* Auxeſia *(nam ſuus etiã illis apud* Troëzenios *honos eſt) longè alius eſt quàm* Epidauriorum & Aeginetarum *ſermo: ueniſſe enim uirgines ex* Creta, *cumq́; ciuitas tota ſeditionibus laboraret, à cõcitata multitudine ipſas etiam lapidibus obrutas. Feſtum quidem diem in eius rei memoriã* Lapidationem *nominant. Adhæret maceriæ ſepto, curriculi eius pars, quod* Hippolyti *nuncupant,ſupraq́; ipſum* Veneris Speculatricis *delubrum, unde deſcendentem exercitationis cauſa* Hippolytum *in ſtadium, intuebatur* Phædra. *Eſt hic (quod multò antè ſcripſi)myrtus illa perterebratis folijs,quòd amore furens* Phædra, *cùm nullam malo leuationem nanciſci poſſet, crinali acu huius myrti folia transfigens,inſaniã ſuam oblectabat.Eſt ibidem* Phædræ *ſepulchrum, quod non longè ab* Hippolyti *monimento abeſt:illud uerò proximo myrto ipſi loco eminet.* Aeſculapij *ſignũ fecit quidem* Timotheus, *uerùm* Troëzenij *non* Aeſculapij *eam,ſed* Hippolyti *effigiem eſſe autumant.* Hippolyti *certè domum ipſe uidi. Ante eam effigiem fons eſt,qui* Herculeus *dicitur,quòd aquam eam ab* Hercule *inuentam* Troëzenij *memorant. In arce delubrum eſt* Mineruæ, *quam* Stheniadem *appellant.Simulachrũ deæ è ligno fecit* Callon Aeginetes. *Fuit autem* Callon *hic* Tectæi *&* Angelionis *diſcipulus, qui* Delijs *ſimulachrum fecerunt* Apollinis:*illi uerò artem eam à* Dipœno & Scyllide *didicerant. Quà ex arce deſcẽditur* Panos Solutoris *cella eſt: deus*

enim

enim hic per ſomniorum uiſa monſtraſſe dicitur, ijs qui rerum ſummæ apud Troëzenios *præerāt, famis leuationem, qua præ cæteris afflictabantur* Athenienſes. In Troëzeniorum *agrum deſcendens, templum* Iſidis *uideas,* & *ſuperiore loco* Veneris *Aſcrææ.* Delubrum *quidem* Troëzene, *in ipſa ſcilicet urbe totius regionis principe,* Halicarnaſſenſes *fecerunt.* Iſidis *ſignum* Troëzeniorum *plebs dedicauit.* Contendentibus *per montes* Hermionen, *fons ſe oſtendit* Hylyci *amnis, cui* Taurio *nomen fuit. Saxum etiam illud* Theſei *nominatum, mutato nomine, quòd crepidas* & *enſem* Aegei *ſub ipſo abditū ſuſtulerit* Theſeus, Sthenij Iouis *ara antè appellabatur.* Prope *ſaxū* Veneris *Sponſæ cella eſt, à* Theſeo *cùm* Helenam *uxorem duxiſſet, ædificata.* Extra *oppidi muros delubrū* Phytalmij Neptuni, *erectum eo tempore aiunt, quo iratus deus agri fructus dicitur eripuiſſe, immiſsis in arbuſta ſalſis aquis: deo uerò ſacris* & *uotis placato, deſiſſe terram ea calamitate affici. Supra* Neptuni *eſt* Legiferæ Cereris *fanū ab* Althippo, *uti hominū ſermo uulgauit, dedicatū.* Quà *ad portū deſcenditur (eſt is in uico qui* Celenderis *nominatur) regiuncula extat quæ* Natalitia *appellatur, quòd eo in loco* Theſeum *natū ferūt.* Ante *eam regiunculam* Martis *delubrum, quo loco prælio ſunt* Amazones *à* Theſeo *ſuperatæ.* Fuerunt *uerò illæ ex eodem agmine, quod in* Attica *cum* Theſeo & Athenienſibus *pugnauit.* Ad Pſiphæum *mare progreßis, offert ſe oleaſter, quem* Rhachum *intortum uocant.* Rhachum *certè, quamuis oleæ plantam fructus expertem,* Cotiton *etiam,* Phyllian, & Elæum, Troëzenij *appellant: at intortum idcirco nominarunt, quòd ad eius arboris truncū implicatis habenis, ſubuerſi fuerint* Hypoliti *currus.* Hinc *non longè abeſt* Saroniæ Dianæ *ædes, de*

qua, quæ dici oportuit, ſuperius à me ſunt expoſita. Vnum illud nunc adijcio, Dianæ quotannis feſtos dies celebrari, quæ Saronia nuncupãt. Iam uerò de ijs inſulis, quæ ad Troëzeniorum ditionem pertinent, una eſt continenti terræ adeò proxima, ut pedibus ferè in eam trãſiri poßit: quæ cùm antè diceretur Sphæria, ea, quam ſubijciam, de cauſa Sacra nominata eſt. Sphærus in ea, quem Pelopis fuiſſe aurigam dicunt, ſepulchrum ſuum habet: huic Aethra per ſomnium Mineruæ monitu inferias miſſura, cùm in eam inſulam tranſiſſet, cum ea Neptunum congreſſum dicunt: eam ob rem Aethrã Mineruæ Apaturiæ delubrũ, quaſi Fallacis dixeris, dedicaſſe, inſulamq́;, Sphæria quæ antè dicebatur, Sacrã nominaſſe. Inſtituiſſe eandem, ut Troëzeniorum uirgines ante nuptias zonã Apaturiæ Mineruæ dicarent. At Calauream Apollini dicunt ab initio ſacram fuiſſe, quo ſcilicet tempore Delphi Neptuni erant: permutaſſe uerò deos inter ipſos ea loca. Qua de re oraculum etiam quoddam proferunt:

Par fuerit Delonq́; Calaureanq́; habitare,
Et Pythò ſacram, & patientem Tænaron auræ.

Eſt itaq; in Calaurea regione ſanctißimum Neptuni fanum, in eoq́; ſacerdotio fungitur uirgo uſq; ad nuptiarum maturitatem. Intra fani ſeptum, Demoſthenis ſepulchrum eſt, in quo mihi uidetur, uti in Homero multò antè, quàm iniqua bonis fortuna ſit, oſtendiſſe. Neq; enim cõtenta oculis Homerum priuaſſe, ut priori malo aliud calamitatis genus adderet, inopia oppreſſum uictũ ſibi emendicantẽ errare per omnes propè terras coëgit. Demoſthenẽ uerò iam grandem natu exilij experiundi, & conſciſcendæ ſibi mortis neceſſitatem obtulit. Ac de homine quidem multa cùm ab alijs, tum ab ipſomet dicta ſunt, ex quibus ſatis liquet non cepiſſe

ipſum

ipſum ullam eius pecuniæ partẽ, quã ex Aſia attulerat Harpalus. Sed qui fuerit hac de re poſtea ſermo, hoc loco cõmemorabo. Harpalus Athenis *fugiens cùm in Cretam claſſe traieciſſet, à ſeruis, quorum opera utebatur, occiſus eſt. Sunt tamẽ qui dicant* Pauſaniæ Macedonis *eum dolo interfectũ, quo tempore eius diſpenſatorem* Rhodum *fugientem,* Philoxenus *item* Macedo *comprehendit, is nempe qui & Harpalum ab Athenienſibus ſibi dedi poſtularat. Habita itaq; quæſtione de ijs omnib. qui ab* Harpalo *pecuniã cepiſſent, eorum omnium nomina in ijs literis, quas ea de re ad Athenienſes dedit, percenſuit, quantumq́; ſinguli accepiſſent:* Demoſthenis *tamẽ, etſi fuerat* Alexander *in eum animo offenſiſſimo, &* Philoxenus *ipſe priuatim cum illo ſimultates exercuerat, nullã prorſus mentionẽ fecit.* Honores *certè* Demoſtheni *adhuc, & in alijs* Græciæ *partibus, & apud* Calaureæ *incolas habentur.* Troezenij *agri pars* Iſthmus *eſt, qui per longũ ſpatium in mare porrigitur. In eo nõ magnũ oppidũ ſupra mare* Methana *incoluntur.* Iſidis *fanũ habet, & in foro* Mercurij *ſignum unum, &* Herculis *item unum. Ab eo oppido ſtadia fermè* xxx. *abſunt calidarũ aquarum balneæ.* Aquas *eas è ſcatebris primùm erupiſſe aiunt,* Antigono Demetrij *filio in* Macedonibus *regnante, ac prius quidem repentinis ignibus eum locũ æſtuaſſe.* Eæ *ætate etiã noſtra manant calidæ uehementer, & ſalſæ. Ibi qui lauerint frigidis perfundi non poſſunt, quòd neq; dulces ullæ propè ſunt, neq; poteſt quiſquã ſine periculo ſe in proximũ mare natãdi cauſa mittere, propter cùm alias belluas, tum uerò canes, quorũ uim magnã pelagus illud gignit.* Quod *uerò mihi magnæ* Methanis *admirationi fuit, id ipſum iam ſcribã.* Africus *è* Saronico *ſinu agrũ & uineas perflans, nouos pam*

pinos acriter torret: id quoties accidit uento etiamnum ſpirante, uiri duo gallum gallinaceum albis alarum pinnis in contrarias partes diſtractum lacerant, ac deinde dimidiã uterq; galli partem præferens cum curſu uites ambiũt, mox in eum ipſum locum unde currere cœperũt rurſus congreſſi, auem ibi defodiunt. Hoc ab illis excogitatum eſt, tanquã præſentiſſimum remedium contra noxios Africi flatus. Iam paruas quaſdam inſulas quæ contra continentem terram ſitæ ſunt, nouem numero, Pelopis appellant, quarũ unam in maximis eluuionibus, imbrium expertem fuiſſe narrant: itáne euenerit compertum non habeo: id certè, qui Methana incolunt, affirmant. Equidem ipſe uidi homines, qui ſacris & cantibus grandinem auerterent. Methana ipſa Iſthmus Peloponneſi eſt. Iſthmo uerò Troëzenes finitima eſt Hermione. Priſcæ urbis conditorem Hermionenſes ipſi fuiſſe aiunt Hermiona Europis filium: ipſum Europem ut maximè Phoronei fuerit, nothum certè filium fuiſſe Troëzenius Herophanes ſcriptum reliquit, ea maximè motus ratione, quòd ad Argum Phoronei è Niobe filia nepotem neutiquã fuiſſet Argiuorum imperium peruenturũ, ſi legitimũ Phoroneus filium habuiſſet. Ego tamen, etſi priuſquàm Phoroneum ſcio legitimum eius filium Europem è uita exceſſiſſe, affirmare poſſe mihi uideor, nunquam illum Niobes filio parem poteſtate futurũ fuiſſe, cùm hic Iouis eſſe putaretur. Tenuerunt poſterioribus etiã temporibus Hermionem Dorienſes qui Argis uenerunt, neq; ego bellum ullum Hermionenſibus cum Argiuis fuiſſe exiſtimo, etſi ab Argiuis id proditur. Via quæ à Troëzene Hermionen ducit, in eadem eſt parte, in qua ſaxum illud, quod cùm Sthenij Iouis ara antè diceretur, poſtquã agnitionis monimenta ſuſtulit Theſeus, Theſei cœptum

ptum eſt nuncupari. Ab eo itaq; ſaxo montanam uiam tenentes, ad Apollinis Plataniſtij *cognomento ædē perueniāt. Ibi uicus* Ilei, *& in eo Cereris & Proſerpinæ cellæ. Ad mare ubi Hermionenſis agri fines, Cereris templum, cui* Theumeſiæ *cognomentum. Abeſt hinc ut quamlongiſsimè ſtadia* LXXX. *promontorium Scyllæum, cui à* Niſi *filia nomen: nam poſteaquàm per eius proditionem* Niſean *&* Megara *Minos cepit, nō modò uxorem eam duxit, uerùm etiam ſuis, ut in mare illam abijcerent, imperauit. Mortuam æſtus ad promontorium hoc detulit, neq; uerò eius uſpiam ſepulchrum oſtenditur: nam cadauer inſepultum iacuiſſe aiunt, uſquedum à marinis uolucribus diſcerptū eſt.* A Scyllæo *urbem uerſus nauigantibus, alterum ſe promontorium oſtendit,* Bucephalos *nomine. Iuxtà aliquot inſulæ. Earum prima* Haliuſa, *portū habet ad nauiū appulſum perquàm idoneū: proxima* Pityuſa, *tertiam* Ariſteras *nominant. Has prætervecti promontorium offendant è continenti prominens,* Acran *appellant. Succedit* Tricana *inſula, & mons ſe in mare è* Peloponneſo *attollens* Buporthmos. *In eo Cereris & Proſerpinæ templa, Mineruæ etiam, cui* Promachorma *cognomentum.* Ex aduerſo *inſula eſt* Aperopia *nomine. Ab ea nō longè abeſt quæ* Hydrea *dicitur. Hinc per continentem excurrunt in Lunæ formam ſinuata litora. Ora eſt, quantum ſoli uſq; ad* Neptuni *patet: hæc incipiens qua parte mari ab ortu alluitur, declinat leuiter ad occaſum. In ea portus aliquot. Longitudo eius oræ ſtadiū circiter* VII. *latitudo qua maxima, ſtadiûm triū nihilo plus. In hac priſca fuit* Hermionenſium *urbs. Extant ibidem aliquot fana* Neptuni, *in ipſo oræ principio. Vnde uerò à mari ad altiores oræ partes aſcenditur, Mineruæ delubrū, & in proximo loco, ſtadij ma-*

nent fundamenta,in quo exercere ſe ſolitos Tyndari filios dicunt.Altera etiã eſt Mineruæ ædes non magna, cuius tectũ collapſum eſt. Solis præterea templum, & Gratiarũ lucus. Erectũ et Serapidi ac Iſidi fanũ:ambiũt maceriæ è prægrandibus & lectis lapidibus: in eo fano ſacra Cereri arcana faciunt.Hæc in ea ora habẽt Hermionenſes.Quæ ætate noſtra extat eorũ urbs,à promontorio,in quo Neptuni fanum,abeſt ut maximè ſtadia IIII.& è plano primùm loco molliter ſurgente cliuo ſe erigit, collem, in quem ſe attollit,Pronem, ideſt,Iugum nominãt, muro undiq; ambitur. Multa illa quidem, quæ literarum monimentis ornentur, habet,ſed quorum in primis mentionem faciendam cenſui, Veneris ædes eſt, cui Pontiæ eidem & Limeniæ cognomina, quaſi Marinæ, & Opportunæ dixeris. Signum eius è candido lapide, cùm magnitudine, tum opere reliquo inſigne. Eſt & aliud Veneris templum. Inter cæteros, qui habentur deæ ab Hermonienſib.honores,ea religio obſeruatur,ut uirgines, quin & uiduæ, quæ in uiri manum conuenturæ ſunt, rem ei diuinam ante nuptias faciant.Theumeſiæ uerò Cereri templa duo dicata,alterum in finibus Troezeniorum,in ijs qui adhuc manent pagis, alterũ uerò in ipſo oppido iuxta Liberi Melanægidis ædes: huic quotannis muſici ludi fiunt,& natandi, ac certatim remigandi præmia proponuntur. Sua item ædes Dianæ Iphigeniæ cognomento,ubi ex ære Neptunus pede altero Delphinum premens.Iam qui in Veſtæ tranſierint,ibi ſignum nullum uideant,unica ara eſt,& ſuper ea ſacra Veſtæ faciunt. Apollinis tria ſunt delubra, ac totidem ſigna:eorum unum ſine cognomine, alterum Pythaëa, tertium Horion nominant: & Pythaëum quidem ab Argiuis acceperunt. Ad eos enim primùm ex omnibus Græcis ueniſſe

niſſe Pythaëum Apollinis filium, Teleſilla memoriæ prodidit. Horium uerò quam ob rem appellent, nihil pro certo habeo dicere: coniectura adducor, finibus uel armis, uel iure potitos, Apollini Horio, hoc eſt ac ſi Terminatori dicus, uota ſoluiſſe. Fortunæ ædem omnium, quæ apud ſe ſunt, recentiſsimã eſſe dicunt: ſtat deæ coloſſus è Pario lapide. E duobus aquarũ ductibus, alterum ualde priſcum eſſe aiunt, in cuius alueum occulto meatu aqua profluit, neq; unquam deficit, etiam ſi tota ciuitas aquatum eò deſcendat: alterum uerò ætate noſtra munierunt. Vico, è quo in eum aqua defluit, Pratum nomen. In collis iugo, quem Prona appellari diximus, eſt quod hiſtoriæ mandetur dignum, Cereris templum. Id Clymenum Phoronei filiũ, eiuſq; ſororem Chthoniam ædificaſſe memorant Hermionenſes. At Argiui Cererem, cùm fines agri ſui eſſet ingreſſa, ab Athera et Myſio hoſpitio acceptam tradunt: Colontan uerò non modò eam domum ſuam non inuitaſſe, ſed ne alium quidem ullum deæ honorem habuiſſe. Cùm id fieri Chthonia eius filia indignè ferret, Colontam itaq; cum ipſis ædibus crematum, puellam Hermionen à Cerere deportatã, ibi illi templum dedicaſſe. Chthonia certè & dea ipſa appellatur, & ſtati feſti dies, qui æſtate anni in eius honorem agitantur, Chthonia dicuntur. In ijs hoc ritu ſupplicatio fit. Pompæ agmen ducunt ſacrificuli, & qui annuos magiſtratus gerũt: ſequuntur fœminæ ac uiri: ipſis etiã pueris ſolenne eſt deam cum pompa deducere: incedũt aũt cum albis ueſtimentis, capitibus coronas ferentes: ſunt eæ corollæ è flore contextæ, quem Comoſandalum incolæ appellant: hyacinthum illum ego eſſe exiſtimo, eſt enim ei tum magnitudine, tum colore perſimilis: habet præterea eaſdem luctus indices literas. In ex-

*tremo agmine ſequuntur qui eximias boues uinculis diſten tas & ferociter reluctantes ad templum trahunt:ibi earum unam inmiſſis retinaculis intrò agũt:tunc qui ad fores aper tas ſteterant, ubi bouem intromiſſam uident, poſtem obijciunt: eam aniculæ quatuor de induſtria intus relictæ falci cibus exceptam conficiunt:collum earum una,ut caſus tulerit, hoſtiæ præſecat.*Rurſus *patefactis foribus, ij, quibus id negocij datum eſt alteram bouem, mox tertiam & quartã intrudũt,ac ſingulæ eodẽ modo ab illis aniculis mactantur. Aliud in hoc ſacro miraculum euenit.* In quod *latus prima bos conciderit, in idem & reliquæ procumbunt.* Et hic qui *dem eſt apud* Hermionenſes *ſacri eius ritus.* In *templi ueſti bulo ſtatuæ fœminis,* Cereris *ſacerdotio perfunctis, poſitæ ſunt nõ ita multæ.*Intus *ſellæ erectæ ijs aniculis,quæ boues, uſq; dum intromittantur, operiuntur.* Signa *præterea non admodum priſca,*Mineruæ, & Cereri. Quod *uerò præte rea religioſius multò colunt, neq; ipſe noui, neq; uir quiſquam, ſiue peregrinus, ſiue ciuis fuerit: id quid, aut quale ſit, uetulæ illæ ſcierint.* Aliud *item templum undiq; ſtatuis exornatum è* Chthoniæ *regione ſitum eſt,* Clymeni *dicitur, in quo* Clymeno *ipſi ſacra fiunt.neq; uerò hoc ego nomine quenquam* Argiuum *hominem ueniſſe* Hermionen *arbitror, ſed eſſe hoc unum de eius dei, qui apud inferos regnare dicitur, cognominibus.* Eſt *præterea hoc ipſo in loco* Martis *delubrũ aliud,& in eo ſignum.*Ad *dexteram* Chtho *niæ,porticus eſt,quam* Echûs *incolæ uocant:eius ea eſt natu ra, ut miſſa uox, ut minimum imaginem triplicet.* A *tergo* Chthoniæ *areæ tres ſunt: earum unam* Clymeni, Plutonis *alteram,* Paludem Acheruſiam *tertiam,* Hermionenſes *appellaut.* Omnes *lapideis macerijs ſepiuntur.* In *ea quæ*

Clymeni

Clymeni eſt, fouea uiſitur, per quam Ditis *canem extraxit* Hercules, *ſicuti ipſi dictitant* Hermionenſes. Ad portam, *à qua uia rectè* Maſetem *ducit, in pomœrio interiore eſt* Lucinæ *fanum:* Deam *certè quotidie ſumma cum religione, cùm hoſtijs, tum odoribus, ac donis quamplurimis uenerantur: eius tamen ſignũ nemini omnino præterquã ijs quæ rem diuinam faciunt fœminis, cõſpicere fas eſt.* In *ea ipſa uia quà* Maſetem *iter, progreſſos ſtadia fermè ſeptem, & ad læuam diuertentes uia excipit quæ* Halicem *ducit.* Halice *ipſa ætate mea deſerta eſt, cùm tamen olim habitaretur.* Halicenſis *certè oratio eſt in* Epidauriorum *pilis, in quibus inciſa ſunt prodita ægris ab* Aeſculapio *morborum remedia, neq; alibi uſpiam inſcriptionem ullam fide dignam uidi in qua uel de* Halicenſi *ciuitate, uel de* Halicenſi *quopiam homine ulla fieret mentio.* Via *tamẽ eſt quæ* Halicen *ducit, media illa, inter* Pronem *collem, & eum qui priſco nomine* Thornax *dicitur: nam poſtea de* Iouis *in cuculum autem mutatione, ut* Coccyx *appellaretur, accidiſſe aiunt. Sacræ quidem ædes extant in ſummis montibus: in hoc* Coccygij Iouis, *in illo* Iunonis, *& in ima eius parte* Coccygij *etiã* Iouis, *ſine foribus, tecto, & ſimulachro.* Apollinis *uulgò ea ædes eſſe dicitur.* Hinc *qui à recta digreſſi fuerint, in uiam eant quæ* Maſetẽ *ducit.* Fuit *olim* Maſes *oppidum, cui locum tribuit ſuum* Homerus, *ubi* Argiuorum *ciuitates enumerat: ætate uerò hac pro nauali utuntur* Hermionenſes. A Maſete *quæ uia ad dexteram eſt, ea ad* Struthuntem *promontoriũ ducit, à quo promontorio per montium iuga iter eſt ſtadiũm* CCL. *ad* Philanorium & Boleos. *Sunt* Bolei *ſelectorum lapidum ſtrues.* At *uicus, quos* Didymos, *id eſt,* Geminos *nominant, à* Boleis *diſtat ſtadia* XX. Ibi *cellæ ſunt* Apollinis, Neptuni,

cuculus

Cereris etiã. Signa è candido lapide recto ſtatu. Proximum his locis eſt oppidum Argiuorũ, Aſine olim appellabatur, eius nunc ruinæ ad mare iacent. Nam quo tempore Lacedæmonij cum rege Nicandro Charilli filio, Polydectis nepote, pronepote Eunomi, Prytanidis abnepote, atnepote uerò Eurypontis, in Argolidem hoſtiliter inuaſerũt, Aſinæi ſuas cum illis copias coniunxere, ac ſimul Argiuorũ agrum populati ſunt. Vbi uerò Lacedæmonij domum exercitum reportarunt, Argiui Eratum regem ſuum ſecuti, obſeſſum uenere Aſinen. Aſinæi aliquandiu de muris hoſtis impetum ſuſtinuerunt, ac de Argiuis cùm alios, tum Lyſiſtratũ de ijs unum qui cumprimis bellica uirtute enitebant, cæciderunt. Occupata tandem muri parte, uxoribus ac liberis clàm in naues impoſitis, urbe & agro ceſſere. Argiui oppidum ſolo æquarunt, agrũ finibus ſuis addidere. Pythaëi tantũ Apollinis templo pepercerunt, proxime quod Lyſiſtratũ humarunt. Diſtat ab Argiuorum urbe ſtadia nibilo plus XL. mare, quod ad Lernam eſt. Quã ad Lernã deſcenditur, in ipſa fermè uia eſt Eraſinus: influit is in Phrixum, Phrixus in mare illud exit quod inter Timenium eſt & Lernam. Ab Eraſino ad læuam ſtadia plus minus octo digreſsis, Caſtorum ſe Præſtitum cognomento templum oſtendit: lignea ſunt eorũ ſigna, haud alia forma, quàm quæ in ipſa urbe facta ſunt. Iam ſi in rectam uiam redieris, Eraſinũ traijcies, & ad Chemarum amnem peruenies. Iuxta eſt è lapidibus ſeptũ. Hinc Plutonem fama eſt rapta Proſerpina, ad ea quæ ſub terris eſſe homines putant, regna deſcendiſſe. Lerna ipſa, uti ſuperius dixi, ad mare eſt, quo in loco initia Cereri peraguntur, quæ Lernæa uocantur. Lucus in ea ſacer, à monte, quẽ Pontinum dicũt, incipit. Mons exceptam è cœlo pluuiã aquam

non

nō effundit,ſed ipſe eam abſorbet.Profluit ab eo amnis,cui à monte Pontino *cognomē. In montis uertice ædes eſt* Mineruæ Saitidis,*cuius ſola manent rudera.* Fundamenta *etiā manent domus* Hippomedontis,*qui* Polynici Oedipodis *filio in bello* Thebano *auxilio uenit. Lucus ipſe à mōte ad mare excurrit bene longo ſpatio,platanis condenſus: terminatur una ex parte* Pontino *amne, ex altera* Amymone,*qui fluuius à* Danai *filia nomen accepit.In luco ſigna ſunt* Cereris Proſymnæ,Liberi,*& eiuſdem Cereris nō magna ſimulachra ad ſedentium imaginē.Hæc è marmore facta ſunt.In altero templo* Liber *ipſe cognomento* Saotes, *id eſt,* Seruator, *ſignū è ligno habet,ſedentis itidem forma. Eſt ibidē* Veneris *ad mare è marmore ſignū: dicatū aiunt à* Danai *filiabus, ipſumq́;* Danaum *ædem* Mineruæ *ad* Pontinum *erexiſſe,initia* Lernæorum Philammeonē *inſtituiſſe. Myſteriorū effata, quòd non ita priſca ſunt,perſpicua ſunt omnibus. At quæ in corde ex aurichalco fabricato inſcripta audiui,ea ſanè non ſunt* Philammonis, *quòd* Arriphon *ortu* Triconienſis *ex* Aetolia *illa inuenit. Nam quæ nunc extant, eorū autor* Lycion, *uir ut qui maximè ſpectatus, & ad ea excogitanda ſolers, quæ nemo ante ipſum omnino nouit.*Ex eo id *colligas,quòd quæ tum uerſu, tum ſoluta uerſibus permiſta oratione,omnia* Dorica *conſcripta ſunt lingua : nam ante* Herculis *liberûm in* Peloponneſum *reditū, eadē* Argiui *lingua qua* Athenienſes *utebantur.*Philammonis *certè tēporibus,ne* Dorienſium *quidē nomen,uti ego exiſtimo,fuit omnino* Græcis *omnibus notū. Hæc igitur ille edidit. Ad* Amymones *fontē platanus exurgit,ſub ea platano hydram educatā narrant.*Ego *enimuero facilè adducor belluā illam tum multò maximam cæterarum fuiſſe, tum uerò tam mortifero ueneno, ut eius*

felle ſpicula ſagittarum Hercules infecerit: caput uerò, uti ego opinor, unicum, & non plura habuit. At Piſander Camirenſis, quò & fera terribilior, & carmina ſua plus dignitatis habere uiderentur, pro uno illi plura capita dedit. Vidi etiam fontem qui Amphiarai dicitur, & ſtagnũ Alcyoniũ, è quo Liberum ad inferos Semelen reducturũ deſcendiſſe tradunt Argiui. Monſtratam autem à Polymno uiam hanc. Eius autem ſtagni infinita eſt altitudo, neq; eſt adhuc hominũ quiſquam repertus, qui imum eius ſolum ullo machinæ genere conſequi potuerit. quin ipſe Nero iunctis ad multorum ſtadiorũ ſpatium funibus, ad eosq; plumbo pro perpendiculo religato, additis eo alijs inuentis ad hunc uſum inſtrumentis, nullum tamen potuit altitudinis terminum deprehendere. Audiui præterea aliud huiuſmodi, aquam illam, etſi quieta eſt ſpecie ipſa & perpetuò tranquilla, ea tamen eſſe natura, ut qui innare auſi fuerint, ad imum eos fundũ trahat. Eſt paludis eius ambitus nihilo ſtadij unius quadrante amplior. Margines herba & iuncis ueſtiuntur. Quæ circa illam ritè Libero Patri nocturna ſacra fiunt, ea mihi nefas ſcribendo in uulgus efferre. Iam à Lerna Temenium contendentibus, (pertinet Temenium ad Argiuorum fines, ac nomen à Temeno Ariſtomachi filio accepit: ille enim cùm uicum eum occupaſſet, ac muniſſet, exinde bello cum Dorienſibus contra Tiſamenum & Achæos ſuſcepto, tanquã è caſtello ad præliandum exibat.) Sed qui huc proficiſcantur, erumpentem Phrixum in mare uideant. Neptuno eſt in Temenio una, & item Veneri altera ædes erecta. Eſt ibidem & Temeni ſepulchrum: ad ipſum parentant Dorienſes, qui ſub Argiuorum ſunt ditione. Diſtat à Temenio Nauplia L. uti mihi uidetur, ſtadia, deſertum hac ætate oppidum. Eius conditor fuit

Nauplius

Nauplius, quem Neptuno & Amymone genitum crediderunt. Extant murorũ rudera, *Neptuni templum, portus aliquot, & fons cui nomen Canathus.* In eo *fonte uulgò apud Argiuos proditum, Iunonem, ubi quotannis lauerit, denuò uirginem fieri.* Manauit hic ſermo ab Arcanis initiorũ, *quæ Iunoni ſolenni ritu fiunt.* Hoc loco quod à Naupliæ incolis *de aſino dicitur (abroſo palmite uitem multò feraciorem redditum: quocirca, quòd aſellus ſarmentorum putationem monſtrarit, è lapide illum fecerunt) tanquam minimè quod hiſtoriæ mandetur dignum, prætermitto.* Ducit à Lerna *altera etiam ad mare uia, qua in parte uicus eſt, quod Geneſium uocant, ubi in litore Neptuni Geneſij ædes non ea ſanè magna.* Cõiunctus ferè eſt cum eo uico alter, cui nomen Apobathmi, *ac ſi Appulſus dixeris.* Ad hoc primùm *Argiui agri litus appuliſſe* Danaũ *cum liberis tradunt.* Hinc ijs qui *Anigræa ſuperauerint, anguſtus hic & penè inuius trames: ad læuam terra ad mare patet ad oleas educandas maximè opportuna.* Qua uerò parte *in continentem terram à litore aſcenditur, ibi Thyrea uicus eſt: quo in loco de agri finibus lectiſſimi uiri ex Argiuis trecenti, totidemq́; itidem lecti ex* Lacedæmonijs *inter ſe pugnarunt: cumq́; omnes præter Spartanum unum &* Argiuos *duos occidiſſent, eodem quo occubuerunt loco tumuli ſunt illis congeſti.* Agro Thyreate *Lacedæmonij, uictis Argiuis prælio quod uniuerſo agmine utriuſq; populi cõmiſſum fuerat, potiti, Aeginetis poſtea ex inſula ab Athenienſibus eiectis, illum tradiderunt.* Aetate *mea Argiui eum colebant, diſceptatione & iudicio, uti ipſi aiunt, receptum.* A *ſepulchretis progreſſi Athenen perueniant, quam olim Aeginetæ incoluerunt.* Proximus *alter uicus* Neris, *tertius Eua, pagorum omnium maximus.* In eo

eſt ædes Polemocratis: fuit is & ipſe Machaonis filius, Alexanoris frater. Medelas morborũ & hic incolas docet, quare illi accolæ honores habent. Supra pagos mons eſt, in quo termini finiũ ſunt inter Lacedæmonios, Argiuos, ac Tegeatas. Erecti ſunt pro terminis lapidei Hermæ, à quibus regiunculæ nomen. Infra amnis eſt Tanus. Vnus hic per Argiuorum fines ex Parnone defluens, in Thyreatem ſinũ exit.

PAVSANIAE LACONICA, SIVE LIBER TERTIVS.

Poſt Hermas ad occaſum Laconica terra eſt: in ea regnaſſe primùm Lelegen indigenam, & ab eo Leleges, quibus imperabat, populos nominatos ipſi teſtantur Lacedæmonij. Lelege Myles, & natu minor Polycaon geniti. Quô uerò gentium, & quam ob cauſam Polycaon ſeceſſerit, alio exponemus loco. Mylete mortuo Eurotas filius ei in regnum ſucceßit. Is cùm ſtagnantem in campis aquã ad mare alueo deduxiſſet, quod fuit aquarũ reliquum in iuſti amnis morem defluens, de ſuo nomine Eurotan nuncupauit. Hic cùm è uita deceßiſſet nulla ſuſcepta uirili ſobole, regnũ Lacedæmoni reliquit. Erat hic quidem eadem matre genitus, à qua mons nomen accepit. Patrem Iouem ei fuiſſe fama prædicabat. Vxorẽ uerò duxerat Sparten Eurotæ filiam, ac ut primùm ad regnum acceßit, regioni & incolis omnibus de ſe nomen indidit. Vrbẽ quam condidit, de uxoris nomine, quod noſtra etiam ætate retinet, Sparten appellauit. Huius filius Amyclas cùm aliquod cuperet nominis ſui monimentum relinquere, in agro

Laconico Amyclas oppidũ muniuit. Is cùm filios plures ſuſcepiſſet, Hyacintho natu minimo, egregia forma puero, acerbiſsima morte erepto, ſuperſtes fuit. Pueri tumulus Amyclis eſt ſub Apollinis ſigno. Amycla mortuo Argalus eius liberûm natu maximus regnat: regnũ ipſe moriens Cynortæ per manus tradit: Cynorta Oebalus naſcitur: is è Gorgophone Argiua uxore Perſei filia Tyndareum ſuſcepit. Fuit huic cum Hippocoonte, imperiũ ſibi ætatis cauſa uindicante, certamen: uerùm Hippocoon aſcito in ſocietatem Icario, eiusq; factione, longo interuallo ſuperior diſceßit. Quare ſibi male metuens Tyndareus, Pellanam (uti Lacedæmonij cõmemorant) aufugit. Longè uerò alia ſunt quæ à Meſſenis dicuntur: aiunt enim Tyndareũ ad Aphareum in Meſſeniã confugiſſe: fuiſſe autem Aphareum Perieris filium, Tyndareo ipſi ex eadem tantùm matre fratrem: ac tunc quidem Thalamis, quod eſt Meſſeniæ oppidum, domiciliũ habuiſſe: quo in loco liberos etiã ipſum ſuſcepiſſe: interiecto dein tempore in regnum ab Hercule reſtitutũ. Regnarũt etiam Menelaus Atrei filius, Tyndarei gener, & Oreſtes, quòd Menelai filiam uxorem duxerat. Cùm uerò Heraclidæ poſtliminio rediſſent, Tiſameno Oreſtis filio regnante, Meſſeniorũ & Argiuorum altera factio Temeno, altera uerò Creſponti regnum detulit. Cumq; eodem tempore geminos filios reliquiſſet Ariſtodemus, regiæ familiæ duæ exortæ ſunt, atq; id Delphici Apollinis oraculo approbante. Ariſtodemus enim ipſe è uita exceſſerat Delphis, priuſquàm Dorienſes in Peloponneſum redirẽt. Hunc Lacedæmonij de rebus ſuis magnificentius loquentes, ſagittis ab Apolline confixum tradunt, quòd cõſulendi cauſa nõ ueniſſet ad oraculũ, ſed Herculem, in quẽ fortè prius inciderat, qui Dorienſibus in Peloponne-

eſt ædes Polemocratis:*fuit is & ipſe Machaonis filius, Alexanoris frater. Medelas morborũ & hic incolas docet, quare illi accolæ honores habent. Supra pagos mons eſt, in quo termini finiũ ſunt inter Lacedæmonios, Argiuos, ac Tegeatas.* Erecti *ſunt pro terminis lapidei* Hermæ, *à quibus regiunculæ nomen. Infra amnis eſt* Tanus. *Vnus hic per* Argiuorum *fines ex* Parnone *defluens, in* Thyreatem *ſinũ exit.*

PAVSANIAE LACONICA, SIVE LIBER TERTIVS.

POſt Hermas *ad occaſum* Laconica *terra eſt: in ea regnaſſe primùm* Lelegen *indigenam, & ab eo* Leleges, *quibus imperabat, populos nominatos ipſi teſtantur* Lacedæmonij. Lelege Myles, *& natu minor* Polycaon *geniti. Quô uerò gentium, & quam ob cauſam* Polycaon *ſeceſſerit, alio exponemus loco.* Mylete *mortuo* Eurotas *filius ei in regnum ſucceſſit. Is cùm ſtagnantem in campis aquã ad mare alueo deduxiſſet, quod fuit aquarũ reliquum in iuſti amnis morem defluens, de ſuo nomine* Eurotan *nuncupauit. Hic cùm è uita deceſſiſſet nulla ſuſcepta uirili ſobole, regnũ* Lacedæmoni *reliquit.* Erat *hic quidem eadem matre genitus, à qua mons nomen accepit.* Patrem Iouem *ei fuiſſe fama prædicabat.* Vxorẽ *uerò duxerat* Sparten Eurotæ *filiam, ac ut primùm ad regnum acceſſit, regioni & incolis omnibus de ſe nomen indidit.* Vrbẽ *quam condidit, de uxoris nomine, quod noſtra etiam ætate retinet,* Sparten *appellauit.* Huius *filius* Amyclas *cùm aliquod cuperet nominis ſui monimentum relinquere, in agro*

Laconico

Laconico Amyclas oppidũ muniuit. Is cùm filios plures ſuſcepiſſet, Hyacintho natu minimo, egregia forma puero, acerbiſſima morte erepto, ſuperſtes fuit. Pueri tumulus Amyclis eſt ſub Apollinis ſigno. Amycla mortuo Argalus eius liberûm natu maximus regnat: regnũ ipſe moriens Cynortæ per manus tradit: Cynorta Oebalus naſcitur: is è Gorgophone Argiua uxore Perſei filia Tyndareum ſuſcepit. Fuit huic cum Hippocoonte, imperiũ ſibi ætatis cauſa uindicante, certamen: uerùm Hippocoon aſcito in ſocietatem Icario, eiusq; factione, longo interuallo ſuperior diſceßit. Quare ſibi male metuens Tyndareus, Pellanam (uti Lacedæmonij cõmemorant) aufugit. Longè uerò alia ſunt quæ à Meſſenis dicuntur: aiunt enim Tyndareũ ad Aphareum in Meſſeniã confugiſſe: fuiſſe autem Aphareum Perieris filium, Tyndareo ipſi ex eadem tantùm matre fratrem: ac tunc quidem Thalamis, quod eſt Meſſeniæ oppidum, domiciliũ habuiſſe: quo in loco liberos etiã ipſum ſuſcepiſſe: interiecto dein tempore in regnum ab Hercule reſtitutũ. Regnarũt etiam Menelaus Atrei filius, Tyndarei gener, & Oreſtes, quòd Menelai filiam uxorem duxerat. Cùm uerò Heraclidæ poſtliminio rediſſent, Tiſameno Oreſtis filio regnante, Meſſeniorũ & Argiuorum altera factio Temeno, altera uerò Creſponti regnum detulit. Cumq; eodem tempore geminos filios reliquiſſet Ariſtodemus, regiæ familiæ duæ exortæ ſunt, atq; id Delphici Apollinis oraculo approbante. Ariſtodemus enim ipſe è uita exceſſerat Delphis, priuſquàm Dorienſes in Peloponneſum redirẽt. Hunc Lacedæmonij de rebus ſuis magnificentius loquentes, ſagittis ab Apolline confixum tradunt, quòd cõſulendi cauſa nõ ueniſſet ad oraculũ, ſed Herculem, in quẽ fortè prius inciderat, qui Dorienſibus in Peloponne-

ſum reditus confici poſſet, conſuluiſſet. Verior autem fama eſt, à Pyladæ & Electræ filijs, Tiſameni Oreſtis filij conſobrinis, Ariſtodemum occiſum. Eius filijs nomina Procles & Euryſthenes indita, qui cùm gemini eſſent, uoluntate nihilo minus magnopere diſsidebant: non obfuit tamen odij, quo inter ſe laborarũt, acerbitas, quo minus cõmuni cõſilio Theran matris Argiæ fratrem, ab Ioue oriundum, tutorem uerò ſuum, in coloniam ſequerentur. Coloniam deduxit Theras inſulam eam quæ illis temporibus Calliſte uocabatur, è cuius regno ultro ſibi Membliari poſteros deceſſuros ſperauit: proinde ac illi fecerunt, ea ſcilicet ratione adducti, quòd ad Cadmũ Theræ genus referendum eſſet, cùm ipſi à Membliaro deſcendiſſent, quem Cadmus in ea inſula Colonorum ducem reliquiſſet. Theras itaq; inſulam mutato nomine de ſe appellauit, & ei quidem Theræi hac etiamnum ætate tanquam coloniæ conditori parentant. Procli quidem & Euryſtheni in Theræ mandatis duntaxat obeundis par fuit alacritas, in cæteris uoluntatum ac conſiliorum omnium ſumma diſſenſio. Quòd ſi etiam optimè inter ſe conuenientes fuiſſent, non tamen eorum poſteros poſſe me putem una & eadem rerum geſtarũ expoſitione comprehendere, cùm nulla unquam ætate aut patrueles cum patruelibus, aut eorum inter ſe liberos, ac omnes deinceps poſteros æquo iure uixiſſe contigerit. De utraq; itaq; familia ſeparatim agam, neq; ullo pacto in unum confundam, quæ neutiquã ſunt cõmuni geſta conſenſu. Euryſthene Ariſtodemi filio natu grandiore Agin genitum ferunt, à quo ſunt omnis Euryſthenis poſteritas Agidæ appellati. Agide regnante, Patreum Lacedæmonij Preugenis filiũ in cõdenda urbe in Achaia, & colonia deducenda, quam de nomine Patrei hac etiam ætate Patras uocant:

uocant: comites etiã cum Graide Echelati filio, Penthili nepote, Oreſtis pronepote, in coloniã claſſe tranſmittenti miſerunt. Et ille quidem regionem eam, quæ inter Ioniam & Myſos eſt, cui ætate noſtra Aeolidi nomen, occupauit, cùm eius auus Penthilus multò antè Leſbon inſulã Aeolidis continenti adiacentem cepiſſet. At Echeſtrato Agidis filio Spartæ regnum obtinente, Lacedæmonij Cynurenſes omnes, qui militari eſſent ætate, ſedibus ſuis expulerunt. Crimini datum, quòd prædones è Cynuriaco agro, Argiuorum, qui ſibi conſanguinei eſſent, fines populationibus infeſtos redderent: ipſi uerò in eundem agrum apertè excurſiones facerent. Cynurenſes quidem ab Argiuis oriundos eſſe, & in coloniam à Cynuro Perſei filio deductos memoriæ proditum eſt. Non multis pòſt annis Echeſtrato Labotas filius in regnum ſuccedit. Hunc Labotan Herodotus in hiſtoria, quam de Crœſo conſcripſit, in Lycurgi, qui Lacedæmonijs leges tulit, tutela fuiſſe ſcribit. Leobotas quidem prius, nõ Labotas ei nomẽ fuerat impoſitum. Hoc regnante, Lacedæmonij tunc primùm Argiuis bellũ indicunt. Cauſa belli fuit, quòd illi Cynurenſem agrum, quem armis cepiſſent, inuaſerant, quodq́; finitimos ſocios ſuos ad defectionem ſolicitarãt. In eo tamen bello nihil omnino memoria dignum geſtum eſt. Iam qui in regnũ ſucceſſerũt Labotæ, uidelicet Doryſſum, et Doryſſi filiũ Ageſilaũ, mors breui utrunq; oppreſſit. Ageſilao tamen regnante, Lycurgus Lacedæmonijs leges tulit, quas cum nonnulli ab oraculo accepiſſe, alij autem Cretenſiũ ſcita uſurpaſſe tradidere. Cretenſes ipſi Minoi leges acceptas referunt, de quibus illum ferunt Iouem conſuluiſſe, quod ipſum his uerſibus uidetur Homerus ſignificare uoluiſſe:

Quas inter magni Minois regia Gnoſſos,

Quem Iouis alloquium ter terna æſtate beauit.

Verùm de Lycurgo aliàs. Ageſilaus Archelaum filium ſibi ſucceſſorem reliquit. Dum hic regnaret, Lacedæmonij unà de finitimis urbibus Aegyn nomine bello ſubactam exciderunt, Aegytarũ ad Arcadas defectionem metuentes. In ea urbe euertenda opem tulit Archelao Charilaus ex altera familia rex, cuius ductu quæ geſſerint Lacedæmonij tunc exponemus, cùm eorum res geſtas ſtylo perſequemur, qui Eurypontiæ ſunt appellati. Archelao Teleclus naſcitur. Huius temporibus Lacedæmonij finitima oppida, Amyclas, Pharin, Geranthras, quas Achæi occuparant, bello captas euerterunt. Ex his Geranthratæ Dorienſiũ aduentu territi, certis conditionibus è Peloponneſo deceſſerant. Amyclenſes uerò non ſunt illi quidem primo impetu eiecti, ſed acriter reſiſtentes, belli diuturnitate ſuperati, cùm multa prius uirtutis documenta dediſſent: id ipſi Dorienſes trophæo de Amyclenſibus erecto teſtati ſunt, quòd nihil ſcilicet illis temporibus quod memoriæ conſecrarẽt dignius geßiſſe ipſi ſibi uiſi ſunt. Non ita multò pòſt Teleclus à Meſſenijs in Dianæ occiditur. Templum id in uico fuit, quæ Limnæ appellatæ ſunt, inter Laconici & Meſſeniaci agri fines. Teleclo demortuo ſucceßit Alcamenes filius. Eo regnante Lacedæmonij Charmidan Euthyis filium, de optimatibus unum, in Cretam mittũt, qui ortas inter Cretenſes ſeditiones comprimat, perſuadeatq́;, ut quæ oppida à mari longius abeſſent, parũ illa quidem munita relinquerent, & pro ijs ea incolerent, ad quæ facilè nauibus appelli poſſet. Eodẽ tempore maritimũ oppidum quod ab Achæis tenebatur, Helos nomine, euerterunt, et Ilotis auxilia ferentes, Argiuos prælio uicerũt. Alcamene mortuo, eius filius Polydorus regnum adijt. Hoc regnante

gnante Lacedæmonij colonias duas in Italiam deduxerunt, Crotonem & Locros ad Zephyriũ promontorium. Bellum etiam quod Meſſeniacum eſt appellatum, hoc ipſo tempore exarſit. Neq; uerò eaſdem eius belli cauſas Lacedæmonij & Meſſenij referunt: ſed quæ utrinq; dicantur, & cuiuſmodi bellum fuerit, et quem finẽ habuerit, ſuo loco explicabimus. Hoc interim non omittemus, primum Meſſenicum bellum, ex parte maxima, Theopompi Nicandri filij ex altera gente regis ductu geſtum. Confecto autem bello, ac Meſſenijs in poteſtatem redactis, Polydorum ſpectatæ uirtutis uirum, Spartaniſq; omnibus æquè ſummis ac infimis, & in primis plebi charum, quòd nihil unquã aut per uim egiſſet, aut dixiſſet cum alterius contumelia, iuſtitiam in tota iuriſdictione cum ſumma humanitate coniunxiſſet, ob eaſq; res gloria in cuncta Græcia florentem, Polemarchus occidit, Spartanus homo, non obſcuro omnino loco, inſigni uerò (quantum res ipſa indicauit) audacia. Mortuo Polydoro Lacedæmonij honores minimè uulgares habuerũt. Eſt tamẽ et Polemarchi Spartæ monimentum, uel quòd antè uir bonus habitus fuerit, uel quòd propinqui eum clàm ſepelierint. Eurycrate Polydori filio regnũ tenente, Meſſenij Lacedæmonijs æquo ſatis animo paruerunt, neq; Argiuorũ multitudo in rerum nouarum ſtudiũ incubuit. Iam uerò Eurycratis filio Anaxandro regnante, Meſſenios fata ſua extra Peloponneſum eiecerũt. Cũ enim à Lacedæmonijs defeciſſent, pares illis aliquãdiu bello fuere: poſtremò ſuperati, ex pacto cõuento uniuerſi è Peloponneſo exceſſerũt: qui relicti ſunt, omnes in nexũ à Lacedæmonijs abducti, præter eos tamen, qui maritima oppida incolebant. Quæ in eo bello euenerint quod geſtum eſt poſt Meſſeniorũ defectionem, non uidentur ſatis

aptè cum hac hiſtoriæ parte cohærere. Anaxãdro Eurycra*tes gignitur,* Eurycrate *minore* Leon.*His regnantibus* Lace*dæmonij à* Tegeatis *clades complures acceperũt. Iidem ſub* Anaxandrida Leontis *filio ſecundiore multò, quàm* Tegea*tæ, fortuna uſi ſunt.* Res *autem ſic propémodum geſta eſt.* Li*chas* Lacedæmonius Tegeam *uenit: erant enim tunc fœderis iure inter eas ciuitates pacata omnia: is* Oreſtis *oſſa, quæ ex quodam oraculo quærere iuſſi fuerant* Spartani, *deprehendit in ærarij fabri officina defoſſa, ad oraculi ſcilicet uerba referens inſtrumenta ſingula ærariæ fabricæ: uentos enim folles, quòd ipſi etiam conceptas auras ui expellunt, pulſum malleum, repercuſſum incudem, hominum perniciem ferrum (quod in prælijs iam uſurpari cœptum fuerat) interpretatus eſt.* Nam *ſi ad heroicum ſeculum reſpexiſſet* Apol*lo, per hominum perniciem æs accipiendum fuiſſet.* Huic *autem reſponſo quod* Lacedæmonij *acceperunt, perſimile fuit quod* Athenienſibus *poſtea redditũ eſt, ut oſſa* Theſei *è* Scy*ro* Athenas *deportarent: nõ poſſe enim, id ni factũ eſſet,* Scy*ron capi.* Quo *tempore* Cimon Miltiadis *filius eodem uſus in conijciendo acumine,* Theſei *oſſa adinuenit, neq; ita multò pòſt inſula potitus eſt.* Fuiſſe *autem heroum arma ex ære* Homerus *teſtatur, cùm bipennem* Piſandri, *&* Merionæ *ſagittas deſcribit.* Argumento *etiã eſt* Achillis *haſta* Phaſelide *in* Mineruæ *templo poſita: & apud* Nicomedenſes *in* Aeſculapij, Memnonis *enſis totus ex ære, cùm haſtæ illius ima tantum & ſumma cuſpis ærea ſit.* Hæc *ita eſſe pro comperto habemus.* Anaxandrides Leontis *filius, unus ex omnibus* Lacedæmonijs *uxores duas eodem tempore habuit, unde illi ſoboles duplex.* Nam *cùm priorem, probam illam quidem, ſed ſterilem, ut dimitteret* Ephori *iuſſiſſent, id ut faceret in*

animum inducere nõ potuit:eatenus tamen paruit,quòd alteram cooptauit, è qua Cleomenen ſuſcepit:tunc prior quæ adhuc uterum non tulerat, Dorieum peperit, deinde Leonidan, mox Cleombrotum. Mortuo Anaxandrida, cùm longè præſtare conſilio & belli artibus Dorieum exiſtimarēt, Cleomeni tamen,quòd natu eſſet maximus,regnum inuiti ſanè detulerunt:at Doricus cùm adduci non potuiſſet,ut in patria permanens Cleomeni parēret, in coloniam eſt ablegatus.Cleomenes ut primùm regnum inijt, comparato ex Lacedæmonijs & ſocijs exercitu, in Argiuorum fines inuaſit: Argiuos uerò ipſos obuiã cum armis egreſſos prælio fudit. Eorum cùm ad quinq; millia in proximũ Argi Niobes filij lucum confugiſſent, Cleomenes,quippe qui nõnunquã è poteſtate exiret,per Ilotas in lucum ignem immiſit,quo incendio & lucus, & qui ſe illuc receperāt ſupplices,exuſti ſunt. Hinc Athenas duxit: ibi Athenienſibus Piſiſtrati filiorũ dominatu liberatis, ingentē ab initio cùm Lacedæmonijs, tum ſibi apud cunctos Græcos gloriam peperit. Sed paulò pòſt Athenienſis cuiuſdã Iſagoræ gratia ductus, cùm Athenienſibus illum tyrannũ imponere conatus eſſet, ac libertatem ſuam fortiter tuentibus Athenienſibus, ea de ſpe decidiſſet, & reliquum Atticæ agrum, & regionem Orgadem appellatam, dijs,qui Eleuſine coluntur, ſacram, populatus eſt. In Aeginã deinde tranſmiſit,ubi inſulæ eius principes, qui Medis ſtudentes, ciuibus ſuis ut terram & aquam Dario Hydaſpæ filio dederent,perſuaſerant, in uincula cõiecit. Dum in Aegina Cleomenes tēpus terit, Demaratus eum ex altera familia rex ad populũ criminatur: ea re cõmotus Cleomenes, ut primùm redijt, rationem inijt,per quam collegã è regno eijceret:Delphicam enim uatem precio corruptã ſubornat,

ut quod ipſe præſcriberet, cõſulentib. Lacedæmonijs reſpon deret. Idemq́; Leotychidẽ Demarati propinquũ, è regia itẽ domo, allegat, qui de regno Demarato litẽ intẽdat: et ille qui dem in eo iudicio uerba ea obiecit, quæ Ariſton eius pater te merè effudit, cùm recens natum dixit à ſe genitũ nõ credere. Eam diſceptationẽ cùm ad Delphicũ oraculũ, ſicuti alia om nia conſueuerãt, Lacedæmonij retuliſſent, reſpondit Pythia quæ Cleomenes iuſſerat: quo factũ, ut Demaratus nõ æquo iudicio, ſed aduerſarij oppreßione regno fuerit ſpoliatus. Cleomenes poſt hæc diem ſuũ obijt, cùm per furorẽ ſibi ipſi manus cõſciſcens, totũ corpus fœdißimis uulnerib. laceraſ ſet. Argiui, ea mortis acerbitate dediſſe eum pœnas ſupplici bus qui ad Argũ confugerãt: Athenienſes, quòd Orgadẽ uio laſſet: Delphi, quòd interpretẽ Apollinis, ut Demaratũ inſi mularet, corrupiſſet, id ei accidiſſe interpretati ſunt. Heroũ autẽ et deorũ in homines iræ, præter hoc Cleomenis, alia e tiam reperiuntur exempla. Siquidẽ et Proteſilaus, cui hono res ad Eleuntẽ habentur, heros nihilo Argo clarior, per ſe ipſum Perſen Artabacten grauiter eſt ultus. Neq; unquam Megarenſes poſteaq̃ ſacroſanctũ agrũ colere auſi ſunt, deo rum qui Eleuſine coluntur iram lenire potuerũt. Solicitatũ uerò precio oraculũ, præterquàm tunc à Cleomene, nuſquã comperimus. Vbi è uita exceßit Cleomenes, quòd nullã reli quit uirilẽ ſobolẽ, ad Leonidan Anaxandridæ filiũ, Doriei germanum fratrem, regnum peruenit. Quo tempore Xer xes cum infinito propè hominũ numero in Græciã inuaſit, ei Leonidas cum ccc. militum cohorte ad Thermopylas oc currit. Bella quidẽ multa cùm à Græcis cõtra Barbaros, tum inter ipſos Barbaros geſta memorãtur: ſed ea in primis inſi gnia fuere, in quib. unius uirtus enituit, ut Achillis ad Iliũ,

Miltia-

Miltiadæ in Marathone. Sed profectò præclarum illud Leonidæ facinus, meo quidem iudicio, omnia cuiuſuis temporis exempla uicit: hic enim, Xerxe regum omnium, qui Medis & Perſis imperarunt, animi elatione et operum magnificentia longè præſtantiſſimo in Græciã irruenti, tam acriter cũ paucis, quorũ dux erat, reſtitit, ut ne uiſurus ille quidẽ Græciam, nedum Athenas fuerit incenſurus, niſi à Trachinio homine Hydarnis copiæ per Oetæ montis tramites circunductæ, Græcos oppreſſiſſent. ac Leonida quidem cum ſuis interempto, Barbari in Græciam irruperunt. Poſt hunc Pauſanias Cleombroti filius non certè regnauit, uerùm cùm Leonidæ filij Pliſtarchi tutor eſſet, ad Platæas Lacedæmonios duxit, atq; inde in Helleſpontũ claſſe trãſmiſit. Huius in Coam mulierem factum non poſſum nõ magnopere collaudare. Is enim Coi hominis non ignobilis uxorem, Hegetoridæ filiam, Antagoræ neptem, quam Pharandates Perſa Teapidis filius inuitam abduxerat, et in pallacarum numero habebat, Mardonio ad Platæas, et Perſis ad internitionẽ cæſis, Coon ad ſuos cum omni muliebri mundo, doniſq; omnibus quæ à Pharandate acceperat, remiſit. Idem Mardonij cadauer, contra Lamponis Aeginetæ ſententiam, uiolari uetuit. Iam uerò Pliſtarchus Leonidæ filius in ipſis regni initijs diẽ ſuum obijt, cui Pliſtoanax ſucceſſit, eius ipſius Pauſaniæ filius, cuius ductu prælium ad Platæas factum. Hic in Atticã exercitum duxit, uerbo cum Thraſybulo & Athenienſibus bellum geſturus, re uerò ipſa, ut tyrannorũ XXX. qui à Lyſandro impoſiti fuerant, dominatum firmaret. Superato tamen ad Piræeũ Athenienſium præſidio, domum exercitum reportare ſtatuit, quòd ſcilicet non eſſe eam Spartanorum reipub. maculam omnium turpiſſimam ſuſcipiendam puta-

uit, ut impuriſsimorum hominum tyrannidem confirmaſſe dicerentur. In patriam re infecta reuerſus, ab inimicis maieſtatis eſt poſtulatus. Apud Lacedæmonios *de rege iudicium hoc ritu cõſtitui ſolet. Conſident qui ſeniores appellantur, duodetriginta numero: cum ijs* Ephori, *necnon alterius familiæ rex.* Is *erat tunc* Agis. Ac XIIII. *ſanè ſeniores, et* Agis *rex,* Pauſaniã *condemnarunt: abſoluerunt reliquæ eius conſilij partes.* Neq; *ita multò pòſt delectum* Lacedæmonij *contra* Thebanos *habuerunt. Cuius belli quæ cauſa fuerit, cùm* Ageſilai *res geſtas commemorabimus, exponetur. Ac tunc quidem* Lyſander Phocenſibus *aſſumptis, qui ſunt ipſum cupidè ſecuti, cunctatione omni ſublata, in* Bœotiã *inuaſit, & Aliartiorũ primùm oppidum aggreſſus eſt oppugnare. Illi cùm adduci nõ poſſent ut à* Thebanis *deficerẽt,* Thebanorũ *&* Athenienſiũ *auxilijs intra urbem receptis, eruptionẽ fecere. Cum ijs* Lyſander *acie ante ipſa urbis mœnia congreſſus, cum magna* Lacedæmoniorũ *manu dimicans occubuit. Interea* Pauſanias, *à* Tegeatis *& reliqua* Arcadia *comparatis auxilijs, confecto iam prælio ſuperuenit: is ubi primùm* Bœotiam *attigit, eorum qui cum* Lyſandro *fuerãt, & ipſius* Lyſandri *cædem cognouit, nihilo tamen ſerius* Thebas *perrexit urbẽ oppugnaturus. Verùm cùm* Thebani *ſe ad omnẽ impetum ſuſtinendũ confirmarent, iamq;* Thraſybulus *cum* Athenienſiũ *auxilijs aduentare nunciaretur, qui id unum expectabat, ut prælium* Lacedæmonij *inirent, quò illos à tergo adoriretur,* Pauſanias *ueritus ne medius inter duos hoſtiũ exercitus ancipiti periculo circũueniretur, icto cũ* Thebanis *fœdere, eorum qui ſub* Aliartiorũ *muris ceciderãt cadauera ad ſepulturã tollenda curauit. Ea ſanè res neutiquã* Lacedæmoniorũ *iudicio cõprobata eſt: ego uerò* Pauſaniæ

conſilium

conſilium rectum fuiſſe exiſtimo. Nam cùm probè meminiſſet Lacedæmonios bis antè ab hoſtibus circumuentos maximas clades accepiſſe, ad Thermopylas ſemel, & iterum in Sphacteria inſula, illud timuit, ne tertiæ ipſe cladis autor haberetur. Verùm cùm longè aliter ipſius ciues iudicarẽt, quippe qui ei quòd tardius in Bœotiam ueniſſet, crimini dabant, non putauit ille ſibi cõmittendum, ut iterũ cauſam dicere cogeretur. Tegeatæ ſupplicem in Aleæ Mineruæ receperunt: templum illud fuit antiqua religione Peloponneſo uniuerſæ ſacroſanctũ, neq; uiolari eos fas erat, qui illuc confugiſſent: ea ſanè religio tunc in Pauſania, antè uerò in Leotychide et Chryſide eſt ab Argiuis conſeruata. Cùm illi enim ſupplices ſe in illud templum, tanquã in aſylum recepiſſent, ne poſtulatum quidem eſt ut dederentur. Pauſania exulante, puberes eius filij Ageſipolis & Cleombrotus, ſub tutela Ariſtodemi, qui genere erat proximus, fuerunt. Huius Ariſtodemi ductu Lacedæmonij ad Corinthum proſperè pugnarũt. Iam uerò Ageſipolis ut regnum per ætatem adijt, Argiuis primùm ex omnibus Peloponneſijs bellum intulit. Is cùm per Tegeatas in Argiuorũ fines duceret, Argiui obuiam illi fecialem miſerunt, quò patria quædam fœdera ſanciret iam inde ab initio inter omnes Dorienſes percuſſa. At ille non modò fœdus ullum cum feciali non inſtaurauit, ſed agrũ etiam totum immiſſo exercitu depopulatus eſt: neq; cùm terra etiã mouiſſet retrò agmen egit, etſi aliàs præ cæteris Græciæ populis, Lacedæmonijs & Athenienſibus huiuſmodi prodigia religioni ac terrori fuerint. Caſtra iam fixerat Ageſipolis ſub ipſis Argiuorũ muris, neq; interim deſita eſt diuinitus terra moueri, quin & milites aliquot de cœlo tacti, nõnullos etiã tonitrua lymphatos et attonitos reddidere. Inuitiſſimus itaq; ille

ut prælium cum Antigono cõmitterent, ſe interim Macedonum terga inuaſurum, quòd ſui nequaquã pedeſtri acie pares eſſent Macedonibus, quippe qui Aegyptij, & nautæ eſſent. Eo nuncio cõmoti Lacedæmonij, ijdemq́; cùm Athenienſium amicitia, tum uerò nominis ſui gloriã ad poſteros propagandi ſtudio ducti, prælij aleam ſubire nil recuſabãt. Verùm Areus cõmeatu iam ferè omni conſumpto, exercitũ domum reportauit, quippe qui quod erat opum reliquum ad patriæ uſus conſeruandum, neq; temerè ſociorum cauſa profundendũ cenſeret. Atenim cùm Athenienſes diu acriter reſtitiſſent, Antigonus pace facta præſidium illis in Muſæo impoſuit, quod tamen non multò pòſt ultrò deduxit. Areo Acrotatus gignitur: Acrotato minor Areus. Is annum agens octauum morbo conſumptus eſt. Huic, abolita iam ferè tota Euryſthenis poſteritate, ſucceſſit Leonidas Cleonymi filius grandis admodũ natu. Graues cum eo inimicitias Lyſander Lyſandri filius, Ariſtocratis nepos exercuit. Hic Cleombrotum, qui cũ Leonidæ filia erat, in familiaritatẽ allectũ ſubornat, ut & aliorum criminum ſocerum reum faciat, & in primis quòd puer Cleonymo patri iureiurando promiſerit, quî Spartam deleret, ſe conſilia initurũ. Cùm igitur regno ſe Leonidas abdicare coactus eſſet, in eius locum Cleombrotus inuaſit. Quòd ſi animi præ ira impotens Leonidas fuiſſet, ac ut olim Demaratus Ariſtonis filius uel ad Macedonum, uel Aegyptiorũ regem confugiſſet, nihil eum omnino, quòd facti poſtea Spartanos pœnituerit, iuuiſſet. Hunc uerò cùm à ciuibus ſuis è patria pulſus, in Arcadiam exilij cauſa abiſſet, nõ ita multis pòſt annis ab ijſdem in patriã, & priſtinum etiã regnũ reuocatus eſt. De Cleomenis aũt Leonidæ filij uirtute ac animi magnitudine, et quemadmodũ in eo de-

ſecerit Lacedæmoniorũ regnum, cùm de Arati Sicyonij rebus geſtis ageremus, affatim multa diximus. Neq; illud omiſimus, quonam mortis genere in Aegypto è uita exceſſerit. Ex Euryſthenis *igitur gente, regum eorum qui* Agidæ *ſunt appellati, poſtremus* Cleomenes Leonidæ *filius fuit.* Quæ *uerò de altera regum familia accepimus, ita ſe habent.* Procles Ariſtodemi *filius habuit filiũ cui* Soo *nomen:* Soo Eurypon *genitus: hic tantũ eſt gloriæ conſecutus, ut ea tota familia, qui* Proclidæ *antè ſunt appellati,* Eurypontidarum *cognomentum acceperit.* Euryponte *naſcitur* Prytanis. Eo *regnante inter* Lacedæmonios *& Argiuos inimicitiæ ortæ, cùm tamen antequàm* Argiuis *quicquam crimini daretur, cum* Cynurenſibus *bellatum fuerit. Ac proximas quidem ætates,* Eunomo *ſcilicet* Prytanidis, *&* Polydecte Eunomi *filio regnantibus, perpetua pax* Spartanis *fuit.* Charillus *autem* Polydectis *filius* Argiuorum *agrum igne ferroq; uaſtauit: eodemq; duce paucis pòſt annis contra* Tegeatas *exiere* Spartani, *cùm ambigui & perplexi oraculi autoritatẽ ſecuti, in ſpem uenerunt ademptturos ſe* Arcadibus Tegeatũ *campos.* Charillo *mortuo* Nicander *filius in regnum ſucceßit.* Hoc *regnante* Teleclus *ex altera familia rex à* Meſſenijs *in* Limnadis Dianæ *fano interficitur.* Idem *uerò* Nicander Argiuorũ *fines hoſtiliter ingreſſus, multis illos & magnis afficit calamitatibus.* Eius *facinoris cùm participes fuiſſent* Aſinæi, *graues* Argiuis *pœnas paulò pòſt deleta patria profugi dedere.* De Theopompo *uerò* Niſandri *filio, qui poſt patrẽ regnauit, rurſus erit mihi mentio facienda, cùm ad res* Meſſeniorum *hiſtoria deſcenderit.* Eo *regnante inter* Argiuos *&* Lacedæmonios *de* Thyreatum *finibus dimicatũ.* Ei *prælio* heop ɔ mp us *ſenio & animi ægritudine implicitus non interfuit:*

terfuit:nam eo uiuente Archidamus filius moritur, Zeuxidamo tamen filio relicto, cui Anaxidamus item filius ſucceßit. Eo imperante Lacedæmonijs, Meſſenij iterũ bello uicti è Peloponneſo abierunt. Anaxidamo Archidamus, Archidamo Agaſicles naſcitur. Vtriuſq; tẽpora omnibus belli moleſtijs uacua, perpetua tranquillitate inſignia fuere. Ariſto uerò Agaſiclis filius uxorẽ duxit puellam, quã Spartanarũ omnium uirginũ fuiſſe tradũt turpißimã, mulierũ uerò ominũ poſt Helenam forma præſtantißimã. Ex ea cùm filius natus eſſet menſe ipſo V I I. *ciq; in conſilio Ephororũ ſedenti ſeruus nunciaſſet puerũ natum, eorum, qui de Euryſthei natáli ſunt, uerſuũ Homeri oblitus, uel quòd illos omnino non ſatis intellexiſſet, negauit puerum eum, qui non eſſet legitimò menſium numero natus, à ſe genitum: cuius eum poſtea temerè effuſæ uocis facilè pœnituit. Demaratum enim ſpectata uirtute uirum, qui cum Cleomene Athenienſes Piſiſtrati liberûm dominatu liberarat, Ariſtonis incõſiderata oratio, et ſuſcepta cum Cleomene ſimultas regno priuauit. Cùm autẽ in Perſas ad Darium exulatum abiſſet, in longum ibi tempus eius propagatam poſteritatem ferunt. Leotychides uerò rex in Demarati locum creatus. Is Athenienſium ducem Xanthippum Ariphronis filium ad Mycalen iuuit: idemq; in Theſſaliam contra Aleuadas profectus, facilè totam Theſſaliam armis ſubigere potuit, cùm ſemper ei prælijs omnibus uincere cõtigiſſet. Sed quòd ab Aleuadis fuiſſet pecunia corruptus, de maieſtate poſtulatus, Tegean indicta cauſa ad aram Aleæ ſupplex confugit. Leotychidæ filius Zeuxidamus patre uiuo & incolumi, morbo abſumptus eſt. Zeuxidami uerò Archidamus auo iam exulante imperauit. Hic Athenienſium agros uehementer uexauit, cùm in Atticam*

quotannis excurſiones faceret, et omnia populabundus age ret ac raperet. Idem etiam Plataenſium, qui ſocij & amici Athenienſium erant, urbem per obſidionem cepit, cùm tamen Peloponneſiorum in Athenienſes bellum neutiquã concitarit, quin, ut pax inter eos maneret, quantũ eniti potuit, elaborarit. Verũ Sthenedaidas uir cùm aliàs potens, tum uerò de Ephoris unus, ſuſcipiendi belli cumprimis autor fuit: quod ſanè bellum Græciam indies ſe magis corroborantem de gradu quodammodo deturbauit: quo factũ ut facilè eam Philippus Amyntæ filius uehementer adhuc ægrã & laborantem perculerit. Cùm deceßiſſet Archidamus, filijs duobus relictis, Agis, quòd Ageſilao maior natu erat, regnare cœpit. Habuit Archidamus, & filiã Cyniſcam nomine, quæ ad Olympicas uictorias uirili propémodum animo aſpirauit. Prima hæc fœminarum omnium equos aluit, prima Olympicam palmam tulit: poſt eam enim & aliæ, in primis uerò è Macedonia nonnullæ ſunt uictrices in Olympicis renunciatæ, quibus tamen illa longè gloria præſtitit. Spartani uerò & poëticen, & omnem, quæ ex ea hominibus contingere poßit, gloriam, omnium minimè admirati mihi uidentur: niſi enim in Cyniſcam epigramma feciſſet Simonides, qui & antè Tripodem inſcripſit quem Pauſanias Delphis dedicauit, nihil omnino quod Lacedæmoniorum reges geſſiſſent, fuiſſet poëtæ cuiuſquam carminibus celebratum. Agide Archidami filio regnante, & alia Eleis Lacedæmonij crimini dederunt, & illud in primis acriter expoſtularunt, quòd Olympicis ludis, & Iouis templo probibiti fuiſſent: feciali itaq; miſſo Eleis imperant, ut Lepreatas, & alios finitimos, qui ipſis parêrent, ſuis uti ſinerent legibus. Qui cùm reſpondiſſent, ſimulac finitimas Spartæ ciuitates liberas ui-

ras ui-

ras uidiſſent, nihil ſibi cauſæ fore, quin & ipſi ſocijs ſuis libertatem redderent. Eo *reſponſo cõmoti* Lacedæmonij, *cum* Agide *rege in* Eleorum *fines inuaſerunt: uerùm in* Olympiam *uſq;, & ad* Alpheum *amnem progreßi, terræ crebris motibus cõterriti, retro agmen egère. Anno inſequenti* Eleorũ *agrum* Agis *populatus, magnã ex eo prædam egit.* Tum Xenias Eleus *& priuatim* Agidis, *& publicè* Lacedæmoniorũ *hoſpes, idemq; plebi infenſus, ſubniſus locupletũ factione, urbem hoſtibus dedere eſt conatus.* Verùm *priuſquã cum exercitu* Agis *præſtò eſſet,* Thraſydrus, *cui rerũ ſumma à populo cõmiſſa fuerat,* Xeniam *totamq; eius manum pugna ſuperatos, urbe pellit.* Agis *uerò domum cum exercitu reuerſus, copiarum partem, &* Eleorum *exules relinquit, qui agrũ quotidianis populationibus uexaret.* Tertio *demũ eius belli anno, cùm* Agis *exercitu comparato denuò eſſet in* Eleorum *fines inuaſurus,* Thraſydrus *de populi ſententia, affecta iam malorũ diuturnitate, & propè cõſumpta ciuitate, pacem his conditionibus accepit:* In *poſterum finitimis nõ imperaturos: urbis muros demolituros:* Lacedæmonijs Iouis *ſacrum, ſacroſq; ludos celebrare, & in eorum ludorum certamina deſcendere liciturum.* Inde Agis *in* Atticã *bellum cõtinuò intulit, idemq; ad* Decelean *cõtra* Athenienſes *caſtellum muniuit.* Deleta *uerò ad* Aegos *flumẽ* Athenienſium *claſſe, cum* Lyſandro Ariſtocriti *filio fœderis (quod inter* Athenienſes *&* Lacedæmonios *ſancitum fuerat, cùm id tamen* Spartani *nõ iußiſſent) religionẽ uiolauit: illi enim ſuis duntaxat ipſorum auſpicijs ſcitum cum ſocijs fecerunt de* Athenienſium *ciuitate excindenda.* Hæ *fuere* Agidis *res bellicæ maximè illuſtres.* Cuius *nõ alia fuit de* Leotychide *filio, quàm* Ariſtonis *de* Demarato *futilitas: ſiquidem & hic*

audientibus Ephoris,*fortunæ ſuæ quadã malignitate impulſus,non putare ſe dixit ex ſe Leotychiden natum, cuius eum leuitatis facilè poſtea pœnituiſſe cõſtitit. Cùm enim morbo implicitus ex Arcadia domum reportaretur, apud* Herean *teſtes fecit qui cũ eo erãt omnes, nihil ſe dubitare Leotychiden ex ſe genitum eſſe: totamq́; eam multitudinẽ multis cum precibus et lachrymis rogauit, ut hoc apud* Lacedæmonios *teſtimonium dicerent.* Verùm Agide *mortuo* Leotychiden Ageſilaus *regno facilè expulit, cùm ea populo in memoriam redegiſſet, quæ de eo aliquando* Agis *dixiſſet. præſtò tamen &* Leotychidæ *ipſi ab* Herea Arcades *fuere,qui morientis iam* Agidis *uerba renunciarũt.* Auxit *inter* Ageſilaũ *&* Leotychiden *diſceptationem* Delphicum *oraculum his uerſibus editum:*

Sparta caue,quamuis te maxima gloria tollat,
Heu tibi ne claudus recti cruris noceat rex:
Tunc inopinatos longum patiere labores,
Letiferiq́; undam miſcentem cuncta duelli.

Hæc *in* Ageſilaum *dixiſſe* Apollinem *cõtendebat* Leotychides,*quòd altero ille pede claudicaret.*At Ageſilaus *in* Leotychiden *retorquebat, quòd neq́; legitimus, neq́; ab* Agide *eſſet genitus.* Eam *diſceptationẽ* Lacedæmonij *ad oraculum, cùm id arbitratu ſuo facere poſſent,nõ retulerunt tamẽ, autoritatem ſcilicet* Lyſandri Ariſtocriti *filij ſecuti, qui uehementer,ut* Ageſilao *regnum decerneretur, contendebat.*Regnum *ubi adeptus eſt* Ageſilaus Archidami *filius, claſſem* Lacedæmonijs *placuit in* Aſiam *tranſmitti,qua bellum contra* Artaxerxen Darij *filium tranſportaretur:cognouerant enim cùm à* Lyſandro, *tum à cæteris ciuitatis principibus, in bello aduerſus* Athenienſes *non ab* Artaxerxe,*ſed à* Cyro *ſe fuiſſe*

ſe fuiſſe pecunia adiutos. Ageſilaus terreſtrium copiarũ imperator declaratus, dimiſit legatos, qui Peloponneſi populos omnes, præter Argiuos, Græcos item cæteros qui extra Iſthmũ ſunt, ad belli eius ſocietatem adhortarentur. Corinthij quidem tunc, etſi nihil cupiebant impenſius, quàm eius tranſmiſsionis eſſe participes, euerſo tamen repentina maris eluuione Iouis tẽplo, cui apud ipſos Olympij cognomẽ fuit, tanquã prodigio perterrefacti, inuiti illi quidem ſe domi cõtinuere. Athenienſes Peloponneſiaci belli calamitates reliquas, & in primis peſtilentiã cauſati, quòd ſcilicet à ſpe priſtinæ fortunæ longiſsimè abeſſent, re uerò ipſa quòd nuncium acceperant Cononẽ Timothei filiũ ad regem ueniſſe, planè ceſſarũt. Miſſus eſt etiã ad Thebanos Ariſtomenides, quòd & Ageſilai maternus auus erat, et ipſis Thebanis minimè alienus: ſiquidẽ eorũ iudicũ unus fuerat, qui capto Platæenſiũ caſtello, cui Tichos nomen, eos qui intus deprehenſi fuerant occidendos cenſuerant. At illi nõ aliter quàm Athenienſes, auxilia ſe miſſuros negarunt. Ageſilaus ſtatim domi habito delectu, ſociorũ auxilijs in unũ contractis, claſſeq; inſtructa et ædificata, Aulidẽ rem diuinã Dianæ facturus uenit, quòd illinc Agamemnon etiã dea placata ad Troiam ſoluiſſet: ſe certè intelligebat beatioris, quàm Agamemnõ olim fuiſſet, ciuitatis regẽ eſſe, neq; minus, quàm olim ille, cunctæ Græciæ imperare. Quòd ſi Artaxerxen uinceret, et Perſarũ opibus potiretur, multò maius & clarius facinus hoc uideri poſſe ſperabat, quàm fuiſſe Priami regnũ euertere. Rei diuinæ operã dantẽ Thebani cũ armis adorti, accenſa iam ſuper aris exta diſijciunt, ipſum è templo expellunt. Hic ille, etſi diſturbatũ ſacrũ priuſquàm litatum eſſet moleſtiſsimè ferebat, in Aſiã tamen tranſmiſit, ac Sardeis primũ appulit: erat

enim tunc inferioris Aſiæ pars maxima Lydia, et in ea urbs nobiliſsima Sardeis, quæ præterquàm quòd opibus et omni copiarũ genere cæteras longè anteibat, eius qui maritimã præfecturã obtinebat ita regia erat, uti Suſa regis ipſius. Cõgreſſus uerò cũ Tiſſapherne, ubi Ioniæ ſunt fines, in Hermi cãpis, equeſtres eius pedeſtresq; copias, quãtas neq; Xerxes in Græciam, neq; Darius in Scythas atq; Athenienſes, nec alius omnino quiſquã in hoſtem eduxerat, prælio fudit et ſuperauit. Hominis itaq; in bellicis rebus alacritatẽ admirati Lacedæmonij, claſsis etiã imperiũ ei detulerunt. At ille cùm ſtudiũ curamq; omnẽ ad res magnas terreſtribus copijs gerendas cõtuliſſet, rebus naualib. Piſandrũ uxoris ſuæ fratrẽ præfecit. Verùm quo minus uoti fieret cõpos, deorũ neſcio quis inuidit. Vbi enim primùm audiuit Artaxerxes Ageſilaũ aliquot iam prælijs proſperè factis, quæ ante pedes, ut aiũt, ſunt prætermittere, ac nouos ſemper rerũ progreſſus quærentẽ ulteriora appetere, Tiſſaphernẽ apud ſe prius illuſtri gratia hominẽ, capitis damnatum, occidendum curat, eiq; ſucceſſorem, qui oræ maritimæ præeſſet, Tithrauſten mittit, hominẽ cùm in rebus gerendis ſolertẽ, tum uerò odio in Lacedæmonios nonnihil laborantẽ. Hic ut primùm Sardeis attigit, rationẽ excogitauit, per quã efficeret, ut Lacedæmonij imperatorẽ ſuũ cum exercitu ex Aſia reuocare cogerentur. Rhodiũ enim Timocraten cum pecunia mittit, qui corruptis ciuitatũ principibus, Græciæ populos ad bellũ cõtra Lacedæmonios ſuſcipiendum concitet. Qui pecuniã cepere, fuiſſe dicuntur, ex Argiuis Cylon & Sodamas: è Thebanis Androclides, Iſmenias, & Amphitemis. Eius etiam largitionis participes Athenis fuere Cephalus et Epicrates: et ſimul è Corinthijs quotcunque cum Argiuis faciebant, ſed ipſi in

primis

primis eius factionis duces Polyanthes *&* Timolaus. *Bellum apertè geri cœptum eſt à* Locris *ex* Amphiſa*:nam cùm inter ipſos et* Phocenſes *de agri finibus eſſet controuerſia,* Thebanorū*, & in primis* Iſmeniæ *impulſu, frumenta, appropinquente iam meßis tempore, ſucciderunt, et cum reliqua præda aſportarunt.* Excurſiones *etiam in* Locrorū *agrum* Phocenſes *cum ſubitariorū militum manu populabundi fecere, quos, aſcitis in ſocietatem* Thebanis*, probè ulti ſunt* Locri*: nam & ipſi uiciſsim* Phocenſium *agros uaſtarunt. quare mißis* Lacedæmonem *legatis,* Thebanos *acerbißimè inſectati ſunt.* Eorum *commoti expoſtulationibus* Spartani*, bellum in* Thebanos *ſciuerunt.* Inter *alia crimina & illud querebantur, quòd per ſummā contumeliam in* Ageſilaum *rei diuinæ operam dantem* Aulide*, impetum feciſſent.* Cognito Lacedæmoniorum *decreto,* Athenienſes *per legatos rogant* Spartanos*, armis abſtineant, iure & diſceptatione res repetant.* At *illi eam legationem infeſtis atq; iratis animis acceptam ſtatim remiſerūt.* Conſecutum *deinde bellū illud cōtra* Athenienſes*, cui* Lyſander *præfuit, cuius eſt exitus à nobis expoſitus, cùm de* Pauſaniæ *rebus geſtis ageremus.* Et *ſanè bellum illud, quod eſt* Corinthiacum *appellatum, ab his primùm rerū nouarū motibus ortū, maiores in dies & grauiores habuit progreſſus.* Atq; *hæc quidem cauſa* Ageſilaū *perpulit, ut exercitū ex* Aſia *reportaret.* Cùm *itaq; nauibus ex* Abydo Seſton *tranſmiſiſſet, atq; inde per* Thraciā *in* Theſſaliam *cōtenderet,* Theſſali*, ut eam à* Thebanis *gratiā inirent, uiā ei intercludere conati ſunt, quod pro ueteri etiā cum* Athenienſibus *amicitia ſibi faciendū putarunt: at ille fuſo hoſtiū equitatu iter ſibi aperuit, ac mox* Thebanis *& eorū auxilijs ad* Coroneā *ſuperatis, per* Bœotios *ſibi uiam fecit.* Ipſi

quidem Bœotij è prælio in Mineruæ cognomēto Itoniæ cōfugerūt. Ageſilaus, etſi uulnus in pugna acceperat, neutiquā ſibi tamen in ſupplicibus uiolandis religionem contemnendam cenſuit. Nō ita multò pòſt Iſthmicos ludos fecerunt, qui domo eo nomine effugerāt, quòd Spartanorū partis eſſent. Corinthij quidē tunc Ageſilai metu intra urbem ſe continuere. At ubi ille caſtra mouit Spartam rediturus, unà cum Argiuis & ipſi Iſthmia agitarunt. Sed Corinthū rurſus cū exercitu Ageſilaus redijt. Quòd tamen Hyacinthia aduentarēt, Amyclæenſes Ageſilaus dimiſit, quò ludos patrio ritu facerent. Eam manū Athenienſes Iphicrate duce in uia adorti trucidarūt. Ageſilaus in Aetoliā deinde uenit, Aetolis cōtra Acarnanas, à quibus bello premebantur, auxilium laturus: & Acarnanas quidē ipſos ab armis diſcedere coēgit, cùm iam propè tamē abeſſet, quin & Calydona, & alia Aetolorū oppida expugnarent. Inſequenti poſtea tēpore in Aegyptū nauigauit, ut eos armis perſequeretur qui à rege defecerāt. Ac multæ quidē res et præclaræ ab eo in Aegypto geſtæ, poſſunt cōmemorari. Erat iam admodū ſenex Ageſilaus, quare in ipſo itinere fatum illum oppreſſit ſuū. Cadauer eius in patriam reportatū, Lacedæmonij maiore multò quàm aliorum regum ſepulturæ & funeris honore decorarūt. Archidamo deinde Ageſilai filio regnante Phocenſes Delphici Apollinis fanū diripuere: ac Thebani ſuſcepto cōtra Phocenſes bello, cōducto priuatim milite uſi ſunt: nam illis Lacedæmonij et Athenienſes publico decreto auxilia miſere, hi quidem ueterum erga ſe meritorum recordatione adducti, illi uerò Thebanorum odio, Phocenſium, ut mea fert opinio, ſocietatē prætendentes. At Theopompus Damaſiſtrati filius, Archidamum, ſcriptum reliquit, eius belli gerendi ſocium

fuiſſe,

fuiſſe, quòd cùm ipſum, tum uxorem eius Denichā, *quò uirū ad rem capeſſendam incitaret,* Phocenſium *primores donis corrupiſſent.* Enimuero *& ſacram pecuniam cepiſſe, & auxilio ijs ueniſſe à quibus eſt orbis terræ clariſſimū oraculū ſpoliatum, nunquam ego in laude poſuerim.* At *illud meritò in* Archidamo *collaudarim, quòd cùm* Phocenſes Delphorum *militarem omnem ætatem trucidare, liberos et uxores in ſeruitutem abducere, ipſam deniq; urbem funditus euertere, in animo haberent, unus tam inſignem eſt cladem deprecatus.* Idem *poſtea in* Italiam *traiecit, quo tempore* Tarentinos *in bello contra finitimos* Barbaros *auxilijs iuuit.* Ibi *uerò cùm in pugna interfectus fuiſſet, quòd ſepulturæ honore caruerit,* Apollinis *nempe, cuius numen læſerat, ira factum eſt.* Huius Archidami *natu maior filius* Agis, *contra* Macedoniæ *regem* Antipatrum *pugnans occubuit.* Minor Eudamidas *rebus maximè pacatis* Spartæ *regnauit.* Agidis Eudamidæ, *&* Eurydamidæ Agidis *filiorum res geſtas pridem perſecuti ſumus, cùm in* Sicyoniorum *rebus noſtra uerſaretur oratio.* Ab Hermis *deſcendentibus locus quidā occurrit querectis condenſus,* Scotitas *ei nomen, quaſi* Tenebricoſum *dicas: illud quidem non ab arborū continenti umbra, ſed à* Ioue *cognomento* Scotita, *cuius templum à recta uia ad læuam abeſt decem fermè ſtadia.* In *ipſa uia paulò longius progreßis ad læuam itidem oſtendit ſe* Herculis *ſignum et trophæū: erectū ab ipſo proditū eſt memoriæ, cùm* Hippocoontem *eiusq; filios occidiſſet.* Tertium *à recta uia diuerticulum* Caryas, *& ad* Dianæ *perducit: ſiquidem uicus ille* Dianæ *eſt, &* Nymphis *ſacer.* Et Caryatidis Dianæ *ſub diuo ſignum eſt: quo in loco* Lacedæmoniorum *uirgines anniuerſarium ſacrum obeunt, patrioq; ritu ſaltationem cele-*

brant. Reuerſus in uiam militarem, ac aliquantulũ progreſſus, Sclaſiæ ruinas uideas, quã uictis Lacedæmonijs, eorũq; rege Cleomene Leonidæ filio, captã ab Achæis antè ſcripſimus. Ad Thornacẽ, quô hinc profectus nõ multò pòſt peruenies, Pythaëi Apollinis ſignũ uiſitur, eadẽ figura qua Amyclis eſt, quod cuiuſmodi ſit ſuo loco exponã. Eſt autẽ Lacedæmonijs clarios multò, & ipſa religione inſignior Amyclæos ille Apollo: ſiquidem aurum illud omne, quod Apollini huic Pythaëo dono miſerat Crœſus Lydorum rex, ad Amyclæi Apolinis ornatum tranſtulerunt. A Thornace deſcendentibus urbs ipſa ſe oſtendit, initiò Sparta, poſteris deinde temporibus Lacedæmon nuncupata, cùm antea regionis nomen hoc eſſet. Quòd autem in Attica hiſtoria profeſſus ſum me non omnia perſecuturum, ſed habito delectu, ea duntaxat quæ memoria digna uiſa eſſent, literis mandaturum, idem nunc mihi, antequã ad eorum, quæ de Sparta dicenda ſunt, commemorationem aggredior, profitendum: ſiquidem inſtituti operis initio, è multis, quæ populi ipſi de ſe fama uulgarunt, ea mihi ſeligenda duxi, quæ maximè memoratu digna uiſa eſſent: cuius certè minimè improbandi conſilij, nihil profectò eſt quamobrem fines tranſgrediar. Apud Lacedæmonios, qui Spartam tenent, digna quæ ſpectentur ſunt. Forum primum: in eo curia, quô ſeniorum ordo ille conuenit, quam ipſi Geruſian uocant: Ephororum deinde, Nomophylacum, legum his tutela commiſſa eſt, & eorum qui Bidiæi appellantur baſilicæ. Ac Geruſia quidem ipſi patres ſunt, quibus reipublicæ ſumma mandata eſt. Ephori & Bidiæi magiſtratus ſunt, quini utriq;. Hi, quæ Plataniſta dicuntur, aliaq; Epheborum ludicra curant. Ephori grauioribus præſunt negocijs: atque ex his quidem

unum

unum edunt, de cuius nomine annum ſignant, perinde atq; Athenienſes etiam de eius nomine, qui IX. primis præſidet, annos diſtinguunt ſuos. In foro omnium eſt operum nobiliſſimum porticus ea, quam Perſicã appellant, quòd de Perſarum manubijs eſt ædificata: inſequentibus deinde temporibus ad eam, quam nunc præ ſe fert, magnitudinem, & ornamentorum ſpeciẽ, illam traduxerũt. Inſiſtunt columnis et alij Perſarum duces, et inter eos Mardonius Gobryæ filius. Eſt etiam illic ſtatua Artemiſiæ, Lygdamidis filiæ, Halicarnaſſi reginæ. Hanc aiunt ultro cõtra Græcos Xerxi auxiliũ tuliſſe, et præclara bellicæ uirtutis nauali ad Salamina prælio documenta dediſſe. In eodẽ foro delubra ſunt duo, Cæſari alterũ, ei nempe qui primus apud Romanos ſolus imperare concupiuit, & nouam cõſtituit reip. formã: alterum eius filio Auguſto dicatum, qui & imperium confirmauit, & in eo cùm dignitate, tum uerò opibus augendo, paternam gloriam facilè ſuperauit. Cognomen uerò Auguſti, idem planè uoce ipſa pollet quod Græcorum lingua σεβαςὸς, id eſt, ſanctus, ac ipſa quaſi numinis cuiuſdam maieſtate colendus. Ante Auguſti aram ænea eſt Agiæ effigies. Agian hunc diuinaſſe ferunt Lyſandro, claſſe Athenienſium apud Aegos flumen potiturum, præter triremes X. quæ è fuga ſe in Cyprũ recepere. Fuit Agias Agelochi filius, Tiſameni nepos. Tiſameno patria Argiuo oraculum redditũ eſt, è quinq; ipſum maximè illuſtribus certaminibus uictorem diſceſſurũ. Sed enim cùm ab Olympicis ludis de quinquertio uictus abijſſet, cùm tamen ipſe in duobus Andrium Hieronymum curſu ſcilicet & ſaltu ſuperaſſet, in lucta uerò eidẽ ſuccubuiſſet, deprehendit oraculo ſibi promitti de prælijs quinq;, uictoriæ prædictionem ſuã euentu ipſo comprobatũ iri. Lacedæmo-

nij enimuero,quibus ignotum non erat quid ex oraculo Ti*ſameno promiſſum fuiſſet, homini perſuadent ad ſe ex* Eli*de migret,& in uaticinando* Spartanorum *reip.operam na uet.*Id *cùm ille feciſſet,præliorum quinq; ei uictoriam acceptam* Spartani *retulerunt*. Primum *fuit ad* Plateas *contra* Perſas. *Alterum in* Tegea, *cùm aduerſum* Tegeatas *&* Ar*giuos pugnatũ eſt à* Lacedæmonijs.Tertiũ *in* Dipæenſibus, *quo tempore* Arcades *omnes*, Mantineenſibus *exceptis, ſigna cum* Lacedæmonijs *contulerunt*. *Sunt autem* Dipæen*ſes parua in* Mænalia *ciuitas.Iam uerò quartum eiuſdem auſpicijs factum eſt prælium contra* Iſthmi *manum eam, quæ* Ilotis Ithomen *ademerat*. *Ipſi quidem* Ilotæ *non uniuerſi defecerant, ſed* Meſſenici *tantùm, qui ſe à priſcis* Ilotis *abiunxerant*. *Verùm non multò pòſt, quæ huc pertinent, exponam. Tunc quidem* Lacedæmonij,*eos à quibus facta fuerat defectio,*Delphici Apollinis *oraculo,&* Tiſameni *monitis adducti,icto cum illis fœdere,incolumes dimiſere.Poſtremò quintam uictoriam prædixit* Tiſamenus, *cùm ad* Tana*gram* Lacedæmonij *cum* Argiuis *&* Athenienſibus *conflixerunt.Hæc de* Tiſameno *audita habeo*. Spartanis *in foro* Pythaënſis Apollinis,Dianæ *&* Latonæ *ſigna ſunt.*Chorus *autẽ tota ea fori pars dicitur,ob eam cauſam, quòd* Gymni*cis puerorũ ludis,*Gymnopædias *ipſi uocãt,qui maximè ſolennes ſunt, puberes choros* Apollini *agitant.* Non longè Telluris *ædes,&* Agoræi Iouis. Quod *uerò templum* Ago*ræ* Mineruæ, *&* Neptuno *dicatum eſt*, Aphalium *nominant.*Apollinis *aliud ibidem eſt,&* Iunonis. *Viſitur et* Spar*tanorũ populi uirili habitu ſignũ ingenti magnitudine*. Eſt *item apud* Lacedæmonios Parcarũ fanũ, *cui proximum eſt* Oreſtis, *&* Agamemnonis *ſepulchrum*. Ex Tegea *enim huc*

huc deportata Oreſtis oſſa, oraculi iuſſu eo in loco ſepeliere. Prope Oreſtis ſepulchrum, eſt Polydori regis Alcamenis filij effigies, cui præ cunctis regibus alijs, tantum honoris Lacedæmonij tribuerunt, ut quæ publicè obſignari neceſſe ſit, ea Polydori imagine magiſtratus obſignēt. Eſt ibidem forenſis Mercurius Liberum Patrem portans. Sunt item priſca ea ſigna, quæ Ephorea appellantur. Inter hæc eſt Epimenidis monimentum, & Apharei Perieris filij. Veriora autem exiſtimo quæ à Lacedæmonijs, quàm quæ ab Argiuis de Epimenide cōmemorantur. Quo in loco Parcæ ſunt, ibidem eſt Hoſpitalis Iupiter, et Hoſpitalis item Minerua. E foro cùm diſcedas, per eam uiam, cui nomen Aphetæ, idem propè eſt quod Curriculi carceres, ad eum locū uenias quæ Booneta, hoc idem eſt ac ſi Bobus empta dicas, nuncupant. Res poſtulare uidetur, ut, quare fuerit uia ita appellata, exponam. Icarium, aiunt, Penelopes patrem curſus certamen procis propoſuiſſe: in ijs ludis Vlyſſen uictorē fuiſſe dubitari nihil poteſt. Miſſi uerò in curriculū ſunt per Aphetaiden uiam. Icarium quidem ipſum ludos exemplo Danai celebraſſe crediderim: ſiquidem Danaus cùm nanciſci non poſſet qui ipſius filias duceret parricidio pollutas, dimiſit qui nunciarēt, nullum ſe à uiris ſponſaliū nomine munus poſcere, uerū optionem puellis daturum, ut earum quælibet ſibi eum deligeret, cuius maximè eſſet forma complacita. Verùm huiuſmodi ille eas locandi rationem inijt. Cùm ad eam famam non ſanè multi cōueniſſent, curſu certamine propoſito, ei qui cæteros ſuperaſſet, quam ille maluiſſet, ſecundo alterā, eodemq; modo cæteras uſq; ad extremum locauit. Iam uerò quæ uiros nactæ nō eſſent, expectare iubebat uſquedum noui proci in curſus certamen deſcenderēt. Verùm in hac ipſa uia, uti iam

dictum eſt, apud Lacedæmonios, quæ Booneta uocantur, ſunt: domus ea fuit Polydori regis, quæ, eo mortuo, de eius uxore empta eſt: boues precium fuere. Nondum enim fuerat numus argento auróue ſignatus: ſed priſcus fuit mos, ut ſibi quæ quiſq; uellet, per cõmutationem, bubus, ſeruitijs, rudi argento & auro ultro citroq; datis & acceptis, compararet. Quin & hoc ipſo tempore ab Indis, referunt qui ad ea loca nauigarunt, pro Græcorum, quæ illuc comportatæ fuerint, rebus, reponi Indicas merces: numum uerò illos planè ignorare, etſi abundat ea orbis terræ pars auro & ære. Supra Bidiæorum prætorium Mineruæ ædes eſt: in ea dedicaſſe Vlyſſes dicitur deæ ſignum, & Celeuthean appellaſſe, uictis curſu cæteris Penelopes procis. Ternas uerò is ædes Celeutheæ diuerſis locis dedicauit. In ulteriore Aphetaidis parte heroum monimenta ſunt, Iopis, quem fuiſſe cõijci poteſt circa Lelegis uel Myletis tempora: Amphiarai Oiclei filij, quod feciſſe Tyndari filios eius patrueles exiſtimant: ipſius etiam Lelegis. Nec procul hinc Neptuni Tænarij fanum, Tænarium nuncupant. Et paulò longius Mineruæ ſignum, quod dedicatum ferunt ab ijs qui in Italiam, & Tarentum maximè, in coloniã deducti ſunt. Vicum uerò eum, quod Helenium appellant, ex eo alij nominatum tradunt, quòd in eo loco, quo tempore Xerxes in Europam traiecit, eæ Græcorum ciuitates quæ contra illum arma ceperunt, qua maximè ratione obſiſterent conſultarunt. Alij uerò, duces eos qui Menelaum ad Troiam ſecuti ſunt, ibi eos memorant de tota tranſmiſsionis ratione, deq; Helenæ raptu uindicando, conſilia iniſſe. Prope Hellenium Talthybij monimentũ oſtenditur. Monſtrant & Aegienſes in Achiuis monimentũ in foro, quod eſſe Talthybij affirmant. Et Talthybius

quidem iram, ob uiolatos Darij caduceatores, qui terrã & aquã petitũ uenerãt, in Lacedæmonios publico, in Athenienſes priuato malo exercuit, cùm male ſcilicet Miltiadæ Cimonis filij domũ multaſſet, quòd is autor Athenienſibus fuiſſet, ut caduceatores qui in Atticã uenerant, interficerentur. Eſt aũt Lacedæmonijs Acritæ Apollinis ara: eſt item Telluris ædes Gaſeptũ nomine. Supraq́; eam dicatus eſt Apollo Maleatas. In extrema Aphetaide iam prope muros eſt Dictynnæ ædes, et eorũ regia ſepulchra, qui ſunt Eurypondæ nuncupati. Proximũ Hellenio eſt Arſinoës templum, Leucippi filiæ, Pollucis & Caſtoris uxorũ ſororis. Qua uerò in parte ſunt quæ Propugnacula appellantur, Dianæ delubrũ: pauloq́; longius progreſſus monimentũ uideas, quod ijs erectũ eſt uatibus qui ex Elide uenerunt, & Iamidæ ſunt appellati. Maronis præterea & Alphei templũ, quorũ uirtus in prælio ad Thermopylas poſt Leoniden maximè enituit. Tropæi uerò Iouis ædem fecerũt Dorienſes, bello ſuperatis cùm alijs Achæis, tum ipſis etiã Amyclæenſibus. Magnæ quidem matris fanũ præcipua colitur religione. Poſt ipſum Hippolyti, Theſei, & Aulonis Arcadis Tleſimenis filij heroica ſunt monimenta. At Tleſimenen Parthenopæi Menalionis filij fratrem nõnulli, filiũ alij fuiſſe dixerunt. Alter eſt è foro exitus, circa quem locũ ædificarũt quæ Scias uocatur, quod eſt ac ſi Vmbraculũ dixeris, in quo hac ipſa etiã ætate cõciones habẽt. Opus eſſe memorãt Theodori Samij, qui et ferrũ fundere primus docuit, et ex eo ſigna facere. Eodẽ in loco Mileſij Timothei citharã ſuſpendère Lacedæmonij, cùm ei multam eo crimine irrogaſſent, quòd ſeptẽ ueterũ neruis, quatuor ipſe in citharæ cantu addidiſſet. Adiuncta Sciadi ædes eſt rotũda, in qua Iouis & Veneris ſigna. Eam ædem erexiſſe

ferunt Epimeniden, de quo, quæ ab Argiuis memorantur, neutiquam ipſi comprobant, nempe qui neq; cum Gnoſijs bellum unquam ſe geſſiſſe dicant. Propè eſt Cynortæ Amyclæ filij ſepulchrum. Caſtoris etiam monimentum, & cum eo proxima ædes: quadrageſimo enim poſt pugnam aduerſus Idan & Lynceum anno, Caſtores, nihilo omnino maturius, in deos relatos aſſerunt. Monſtratur ad Sciadem Idæ etiam & Lyncei ſepulchrũ: ueriſimilius tamen traditur illos in Meſſenia, non autem hoc in loco ſepultos: uerùm temporis eius diuturnitas, quo calamitatum magnitudine Meſſenij è Peloponneſo eiecti errarunt, ita omnia aboleuit antiquitatis monimenta, ut agnoſcere illa cùm rediſſent, non potuerint: coq; factum eſt, ut diſceptandi ſtudioſis non fuerit difficilè in dubium uel certiſſima quæq; reuocare. Iam uerò contra Olympiæ Veneris ædes eſt Soſpitæ Proſerpinæ, quã Thracem Orpheum condidiſſe ferunt: alij Abarin eum qui uenit ex Hyperboreis. At Carneus, quem appellant cognomento domeſticũ, coli eſt cœptus apud Spartanos, antequã Herculis liberi ab exilio redirent. Sacellum uerò dicatum in Crij Theoclis filij uatis domo. Cùm enim huius Crij filiam offendiſſent Dorienſium ſpeculatores, ut fortè hauſta aqua domum redibat, cum ea in colloquium uenerũt, moxq; cùm ad Crium ueniſſent, ab eo capiendæ Spartæ rationẽ didicerunt. Habuit quidem Carnei Apollinis religio à Carno originem, qui patria fuit Acarnan, ab Apolline uerò diuinandi artem didicit. Hunc enim Carnum cùm interfeciſſet Hippotes Phylantis filius, iratus deus Dorienſium caſtra malè mulctauit. Hippota in capitis iudicium adducto, Dorienſes Acarnanem uatem ſtatuerunt ſacris & cæremonijs placandum. Sed enim nõ omnino Carneus eſt qui apud Lacedæmonios

nios Domeſticus dicitur: illi enim tenentibus etiamnũ Spartam Achæis, diuini honores in Crij uatis domo haberi cœpti. Praxilla quidem uerſibus prodidit Europæ filium Carneum fuiſſe, educatum uerò ab Apolline & Latona. Alius etiam de cognominis huius cauſa ſermo uulgatus eſt: cornos à Græcis in Ida Troiæ monte ex Apollinis luco ad Durateum equum fabricandum exciſas, cumq́; dei numen læſum ſcirent, ad eius iram leniendam ſacra inſtituiſſe, & ab arboris nomine litera R *tranſpoſita, priſca quadam conſuetudine, Carneũ Apollinẽ nuncupaſſe. Nõ longè à Carneo eſt, quod Aphetæi dicitur, ſignum, à quo loco in curſum miſſos è carceribus tradunt Penelopes procos. Propè uicus eſt, in quo aliquot ſunt porticus forma quadrata, ubi priſcis temporibus ſcruta uenibant. Proxima ara eſt Iouis Ambulij, Mineruæ Ambuliæ, Caſtorum item Ambuliorũ. E regione eſt locus quæ Colona, id eſt, Iugum dicitur, & Bacchi Colonatæ, ac ſi Iugalis dicas, ædes. Iuxta eam lucus eſt illi heroi ſacer, quem uiæ ducem Libero Patri Spartam contendenti fuiſſe perhibent. Heroi huic ſacra faciũt priuſquàm deo ipſi, quæ Dionyſiades, quæq́; Leucippides nuncupantur. Fœminis uerò alijs undecim, quæ & ipſæ nominantur Dionyſiades, curſus certamen proponũt, quod ex Delphico quodam reſponſo facere iuſſi ſunt. Non longè à Liberi, eſt Iouis delubrum Euanemi: ad eius dexteram eſt Pleuronis heroicũ monimentum. Fuit Tyndarei filijs maternũ genus à Pleurone: Theſtiũ etenim Ledæ patrem Areus carminibus prodidit, Agenore Pleuronis filio genitũ. Ab eo monimento non longè abeſt tumulus, in quo eſt Iunonis Argiuæ ædes, dedicatũ aiunt ab Eurydice Lacedæmonis filia, Acriſij Abantis filij uxore. Hypercheriæ uerò Iunonis delubrũ ex oraculo ædi-*

ficatum, cùm agrũ Eurotas latè diluiſſet, operis antiqui ſignum, Veneris Iunonis appellãt. Ad eam pro filiarũ nuptijs ſacra facere matronas ſolenne eſt. In uia ad dexterã tumuli Etœmoclis eſt effigies. Huic, & eius patri Hippoſtheni euenit, ut uictores de lucta in Olympicis ludis declararentur, ad palmam undecimã: una tamen fuit pater filio ſuperior. E foro in eam partẽ quæ ad Solis occaſum eſt cõtendentibus, oſtendit ſe Braſidiæ Tellidis filij honorarius tumulus. Prope abeſt è candido lapide erectum theatrũ, inſigni ualde et ſpectando opere. Ex aduerſo theatri eſt Pauſaniæ, qui Platæenſi prælio imperator fuit, ſepulchrum, & ei proximum Leonidæ. Ad ea quotannis laudationes dicuntur, et ludi fiunt, in quibus eſt ſolis certandi locus Lacedæmonijs. Et Leonidæ quidem oſſa, XL. ipſis poſt eius cædem annis à Pauſania è Thermopylis deportata, & in hoc loco cõdita ſunt. Erecta etiã pila eſt, in qua nomina inciſa ſunt, et eorum item paterna nomina, qui ad Thermopylas Perſarum impetum ſuſtinuerunt. Eſt Spartæ uicus, qui Theomelida dicitur: in eo ſepulchra regũ ſunt, qui Agidæ appellantur: et proximè quæ Leſche, id eſt, ſtatio, ſiue Comitium Crotanorũ dicitur. Sunt autem Crotani Pitanatarũ curia. In ea uicinia eſt Aeſculapij templum, quod Enapadũ dicitur. Paulò hinc longius Tænari uiſitur monimentũ, à quo promontoriũ in mare prominens appellatũ fama uulgauit. Deorum ibidem ædes, Neptuni Hippocurij, & Dianæ Aegineæ. Verùm ſi ad Leſchen pedem referas, ad Iſoræ Dianæ uenias: eandem uerò & Limnæan uocant: nõ eſt illa quidem Diana, ſed Britomartis Cretenſium, cuius eſt à me facta mentio qua in parte res Aeginetarum expoſui. Proxime ea monimenta quæ Agidis poſita ſunt, pilã aſpicias, in qua inſcriptæ ſunt, quas de iterato curriculo

riculo tulit palmas Anchionis uir Lacedæmonius, tum aliæ, tum uerò Olympicæ, quæ ſeptem numerantur, de ſtadio ſcilicet quatuor, reliquæ de iterato curriculo. Nondum aũt ei, ut cum Aſide curſu certaret, peractis iam propè ludis, contigerat. Hunc Anchionin cum Batto in Africã claſſe profectum coloniam Cyrenen deduxiſſe, eiq; in eijciendis finitimis ſocium fuiſſe tradunt. Thetidis uerò templum hanc memorãt erigendi cauſam fuiſſe: Cùm armis ulciſcerentur Meſſeniorum defectionem, regem ſuum Anaxandrum in hoſtilem agrum inuaſiſſe, multas inde fœminas, & inter eas Cleo, quæ Thetidis fuit ſacerdos, in ſeruitutem abduxiſſe: eam Anaxandri uxorem Leandriden, à uiro popoſciſſe: cumq; ſignum illam antiqui operis habere deæ comperiſſet, templũ illi dicaſſe quodam monitam ſomnio. Signum quidem ipſum in operto diligenter & religioſe ſeruant. At Cererem Terreſtrem colere ſe accepta ab Orpheo religione affirmant. Ego hunc ſacrorum ritum ab Hermionenſibus ſumptum arbitror, apud quos Terreſtris Cereris nobile uiſitur fanum. Eſt apud eoſdem Lacedæmonios recentiſſimum Sarapidis delubrum, & fanum Iouis cognomento Olympij, quod & Dromus dicitur: is enim locus mea quoq; ætate adoleſcentibus ad curſus meditationes eſt attributus. Dromum ab ea parte in qua eſt Agidarum ſepulchrũ ingreſſis, ad læuam Eumedis monimentũ ſe oſtendit. Fuit & hic Eumedes unus de Hippocoontis filijs. Eſt ibi peruetus Herculis ſignũ, ad quod ſacra Sphærei faciunt: ſic enim appellantur apud Spartanos, qui cum ex ephebis exceſſerint, inter uiros iam cenſeri cœpti fuerint. Sunt in ipſo Dromo gymnaſia, quorũ unũ fuit à Spartano Eurycle dedicatum. Extra Dromum prope Herculis ſignum domus eſt, nunc priuati hominis, olim Menelai. Pau

lò longius progreſſus templa uideas Caſtorum, Gratiarum, Lucinæ, Apollinis Carnei, Dianæ Hegemaches, quod eſt ac ſi Ductricis in prælijs dixeris. Ad dexterã Dromi Agnitæ templum eſt: Aeſculapij hoc eſt cognomentum, quòd ſimulachrum eius ex agno: agnus uerò uitex eſt è uiminũ genere, planta rhamno perſimili. Nõ longè ab Aeſculapij trophæũ extat, quod à Polluce de Lynceo uicto erectum memorant: quod ipſum facilè eorum mihi opinionẽ probat, qui Aphareí filios negant Spartæ ſepultos. Circa ipſa Dromi principia Caſtores ſunt Apheterij, quaſi Dimiſſarios dicas, & heroicum Alconis monimentũ: hunc Alconem Hippocoontis dicũt filium fuiſſe. Proximè eſt Neptuni templum, quem Domatitam nominant. Vicina regiuncula ab arboribus appellata Plataniſtas, proceris enim platanis cõdenſa eſt. Campus is, in quo ſuas cõmittunt ephebi pugnas, Euripo circunquaq;, nõ aliter quàm mari inſula, cingitur. ad eum per pontes aditus patent: in eorũ pontiũ parte altera eſt Herculis ſignũ, in altera uerò Lycurgi effigies: leges ſiquidẽ Lycurgus tulit cùm ad uniuerſam remp. pertinentes, tum etiã ad epheborũ exercitationes. Atqui & alia quædam ex uetere inſtituto ephebi faciũt: in Ephebæo enim (eſt autem Ephebæum in ipſis ferè Therapnes ſuburbanis) ſed eo in loco utraq; epheborũ claſſis caninum catulũ Marti Enyalio mactãt, fortiſſimo ſcilicet deorũ, uictimã ex eo animaliũ genere illi acceptam exiſtimantes, quod manſuetis omnibus fortitudine præſtat. Catulos quidem haud ſcio an alij Græcorũ ulli immolent præter Colophonios. Mactant etenim Colophonij deæ, quã Enodion, Compitalitiã quaſi dixeris, appellant, nigrum catulum. Fiunt aũt cùm apud ipſos Colophonios, tùm apud Lacedæmonios nocturna inter ephebos ſacra. Cõmittunt

tunt

tunt ij ad pugnã in illis ſacris apros cicures duos. Solet uerò uſu euenire, ut utrius claſsis aper uictor diſceſſerit, ea de iuuenũ ludis in plataneto palmã auferat. Hæc ab illis in Ephebæo *peraguntur. Poſtero uerò die paulò ante meridiẽ, tranſeũt pueri per pontes in eum circũ, quẽ* Euripo *circundatũ diximus.* Nocte *ſuperiore, qua aditus parte alterũ agmen ingrediatur, ſorti permittitur: ita pugnant, ut infeſtis manibus & calcibus inſultent, morſibus etiam corpora fœdent, & oculos hi plerunq; illis eruant.* Ac *bini quidem ad hunc modum congrediuntur: ſed totis etiam agminibus impreſſionem faciunt, atq; una acies alteram in aquam detrudere, omni niſu contendit.* Ad *platanetum eſt* Cyniſcæ Archidami *regis filiæ monimentum heroicum: ea prima fœminarum omniũ equos alere inſtituit, & prima* Ludis Olympicis *de quadrigis palmã meruit.* A *tergo porticus, quæ prope platanetum erecta eſt: monimenta item heroica ſunt* Alcimi & Enaræphori: *neque magno interuallo* Dorcei, *ſupraq́; hoc* Sebri: *filios eos fuiſſe aiunt* Hippocoontis. A Dorceo *quidem proximum fontem* Dorcean *nuncupant.* A Sebro, Sebrium *uicum.* Ad *Sebrij dexteram eſt* Alcmanis *tumulus, cui in canticis pangendis nihil omnino* Laconica *lingua obfuit, etſi nihil ea in uocibus appellandis habet ſuauitatis.* Sunt *ibi* Helenæ *etiam, &* Herculis *ædes: altera prope* Alcmanis *ſepulchrum, ſub ipſis urbis muris altera, in qua eſt* Herculis *armati ſignum.* Eſſe *eo habitu* Herculem *aiunt, propter pugnam cum* Hippocoonte, *& eius liberis.* Et Herculi *quidem odij cauſam in* Hippocoontis *domum extitiſſe, quòd cùm, ut de* Iphiti *cæde pugaretur,* Spartã *ueniſſet, indignum putarint, quem uoti compotem facerent.* Illud *præterea quod ad arma rem deduxit, fuit huiuſmodi.* Oeonus

Herculis cõſobrinus, Lycimnij *Alcmenæ fratris filius, cùm adoleſcentulus adhuc eſſet, cum* Hercule *Spartam uenit: cumq; uiſendæ urbis cauſa obambulans ad* Hippocoontis *ædes fortè acceßiſſet, in eum canis domus cuſtos inuaſit: at ille lapide canem percußit.* Hippocoontis *filij curſim egreſſi, puerum fuſtibus conficiunt.* Ea res Herculem *uehementer commouit: ſubito itaque animi impetu impulſus,* Hippocoontis *filios eſt armis adortus.* Verùm *in ea dimicatione uulnere accepto, ſe clàm periculo ſubduxit.* Mox *uerò copijs comparatis, patre et filio male mulctatis, probè* Oeoni *cædem ultus eſt.* Et Oeoni *quidem ſepulchrum iuxta* Herculis *templum uiſitur.* E Dromo *ad Solis ortum progreſſus, ad dexterã in diuerticulum uenias, in quo* Mineruæ Axiopœnæ, *quod eſt ac ſi* Vindicem *commeritæ noxæ dicas, cognomento ædes eſt: dedicaſſe* Herculem *ferunt, cùm* Hippocoontem *& eius liberos, pro ijs quibus laceßitus fuerat iniurijs, ultus eſſet.* Cognomen *inde ſumptum, quòd hominũ ſupplicia, ueteres pœnas appellarunt.* Eſt *eiuſdem* Mineruæ *ædes altera, in uia quæ* Dromo *ad læuã eſt: dicatã tradunt à* Thera Auteſionis *filio,* Tiſameni *nepote, pronepote* Therſandri, *quo tempore in eam inſulam coloniam deduxit, quæ de ipſius nunc nomine* Thera *nuncupatur, priſcis uerò temporibus* Calliſte *fuit.* Proximũ Hippoſthenis *templum, qui multas de lucta palmas tulit.* Ei *oraculi monitu diuinos habent honores,* Neptuno *eos haberi cenſentes.* Ex *aduerſo priſci operis ſignum* Enyalij *in compedibus.* Eadem *uerò eſt ratio in hoc ſimulachro* Lacedæmonijs, *quæ* Athenienſibus *in ea uictoria, quã* Inuolucrem *appellant: hi enim uinculis impeditum à ſe nunquam* Martem *diſceſſurum: illi ſemper manſuram ſecum, quæ pinnis careat,* Victoriam *interpretantur.*

tantur. Has ſecutæ rationes urbs utraque, quo diximus habitu, ſigna ſtatuit. Eſt præterea Spartæ Comitium, quod Varium nuncupant: & proxima illi heroica monimenta, Cadmi Agenoris filij, & Ocolyci Theræ filij poſterorum, ipſiusq; in primis Aegei Ocolyci filij. Feciſſe uerò illa memorant Mæſin, Laan, et Europan, quos Hyræi filios, Aegei nepotes fuiſſe ferunt. Iidem & Amphilocho heroicum item fecere monimentum, quòd horum atauus maior Tiſamenus matre ortus eſt Demonaſſe Amphilochi ſorore. Soli è Græcis omnibus Lacedæmonij ſolenne habent Iunonē colere, quam Aegophagam nominant, eidemq; capras immolare. Herculem quidem produnt primùm templum dedicaſſe, & deæ capram mactaſſe. Id illum feciſſe, quòd contra Hippocoontis filios pugnanti, nihil Iuno aduerſi obiecerit, cùm proinde atq; in alijs certaminibus contrà pugnaturam putaſſet. Capram uerò feciſſe, quòd aliæ uictimæ non ſuppeterent. Non procul à theatro ædes eſt Neptuni Natalitij, & heroica monimenta Cleodei Hylli filij, & Oebali. De Aeſculapij fanis nobiliſſimū eſt apud Lacedæmonios, ad Booneta, ad cuius læuam Telecli monimentum heroicum: de hoc agam cùm ad Meſſeniorum res oratio peruenerit. Non longè progreßis collis eſt nō utique magnus, in eo peruetus ædes, & ſignum armatæ Veneris. Vnum hoc ex omnibus quæ uiderim templis, alteram habet ſuperſtructā ædem, tanquā tabulatum alterum, & in ea eſt Morphûs cella, Veneris hoc eſt cognomen. Sedere ea uidetur cum galericulo, & compedibus. Addidiſſe aiunt Tyndareum compedes, quò innueret uinculorū ſimilitudine, q̃ firma eſſe fide erga uiros ſuos fœminas oporteret. Nam deam ulciſci uoluiſſe compedibus (ſunt enim qui hoc etiā memoriæ prodiderint) exprobran-

tem illi filiarum adulteria, ut credam, adduci non poſſum. Quàm enim ridiculum, ſi putaſſet ab effigie, quam è cedro fециſſet Veneris nomine, iniectis compedibus pœnas expeti poſſe? Proximè eſt Ilairæ & Phœbes delubrum: eas Apollinis fuiſſe filias, Cypriorum carminum autor ſcriptum reliquit. Sacrantur illis uirgines, quæ eodem quo deæ cognomine Leucippides nominantur. Et alterum quidem ſignum cùm è ſacris uirginibus una exornandũ ſuſcepiſſet, nouam amota uetere, faciem repoſuit: idem uerò factura etiam in altero, per uiſum in quiete deterrita eſt. E templi lacunari pendet ouum tænijs religatum: illud eſſe memorant, quod Leda peperit. Intexunt ei, qui Amiclis eſt, Apollini quotannis mulieres tunicam: quoq; intexunt loco, eam officinam, Tunicã appellant. Propè domus eſt, quam inhabitaſſe tradunt Tyndari filios: interiecto dein tempore, eam Spartanus tenuit Phormio. Ad hunc hoſpitum ornatum Caſtores ueniſſe dicuntur, ac è Cyrene ſe uenire ſimulantes, rogaſſe ut hoſpitio ſe acciperet: eam uerò ſibi cellam depopoſciſſe qua delectabantur maximè, dum inter homines ætatem agerent. At illum in quam mallet ædiũ partem diuertere eos iuſsiſſe, cellam illam unam excepiſſe, quòd filia uirgo in ea habitaret: poſtero die & uirginem, & eius famulatum omnem euanuiſſe: in eo tantùm cubiculo ſigna Caſtorum, & menſam, ac ſuper ea laſerpitij fruticem repererunt. Hæc ita eueniſſe memorant. A Tunica ferè ad portas eunti heroum eſt Chilonis ſapientiæ nomine clari hominis, & Atheníenſis herois unius de illis qui cum Dorieo Anaxandri filio in Sicilienſem coloniã claſſe traiecerunt. Deducendæ uerò coloniæ ea fuit cauſa, quòd Erycinũ agrum ad Herculis poſteros, non ad eos à quibus tenebatur Barbaros pertinere putabant:

putabăt:Herculem enim aiunt cum Eryce congreſſum,propoſitis certaminis conditionibus, ut ſi ipſe uiciſſet, Erycis finibus potiretur: ſi uictus eſſet, Geryonæ boues illi concederet. Egerat ſiquidem eas præ ſe nantes in Siciliam Hercules, mox ipſe tranſmiſit ad Elcum Cyphum, ut ibi gregem cogeret. Verùm non eadem qua Herculem, multò pòſt Doriei Anaxandridæ filiū dij ſunt beneuolentia proſecuti: Erycem enim Hercules occidit, Dorieus ab Egeſtæis eſt cum exercitu propè ad internitionem deletus. Lycurgo etiam Legum ſuarum latori tanquam deo templum Lacedæmonij erexerunt. Eſt in poſtica templi parte Eucoſmi Lycurgi filij ſepulchrū, iuxta aram Lathriæ et Anaxandræ: fuerunt hæ ſorores geminæ, quas uxores duxere Ariſtodemi filij, cùm ipſi itidem gemini eſſent, Therſandri filiæ, neptes Agamididæ, qui regnauit in Cleeſtonæis, quiq; ex Cteſippo Herculis atnepote genitus eſt. Ex aduerſo templi monimentum eſt Theopompi Nicandri filij: Eurybiadæ etiam eius qui Lacedæmoniorum triremibus præfuit, cùm ad Artemiſium & Salamina claſſe cum Perſis pugnatum eſt: & Aſtrabæi (ſic enim appellatur) heroicum monimentum. At uicus is, quod Limnæum dicitur, Orthiæ habet Dianæ templum. Deæ ſignum illud fuiſſe aiunt, quod è Taurica Oreſtes & Iphigenia ſuſtulerunt. Deportatum illud intra fines ſuos Lacedæmonij affirmant, quippe qui & regem ſuum agnoſcunt Oreſten: atq; id mea ſentētia multò eſt probabilius, quàm quod Athenienſes uulgarunt. Qua enim de cauſa Braurone Dianam reliquiſſet Iphigenia? uel cùm mœnibus excederent Athenienſes, cur eam in naues non impoſuiſſent? An cùm adhuc adeò illuſtre ſit Tauricæ Dianæ nomē, ut Cappadoces cum Euxini accolis, penes utram ſit gentem eius deæ ſignū, inter

ſe certent, & Lydi etiam ipſi, apud quos Anaitidis Dianæ *nobile fanum eſt, rem controuerſam faciant, ſignum tam celebre Athenienſes commiſſuri fuerint, Perſis ut prædæ eſſet? Quod enim Braurone fuit, Suſa prius aſportatũ, Seleuci deinde conceſſu, hac ætate habent Laodicenſes è Syria. Et Dianæ quidem Orthiæ ſignũ quod apud Lacedæmonios eſt, eſſe illud ipſum quod Barbaris ademptum eſt, ſatis perſpicua ſunt indicia. Primùm, quòd Aſtrabacus & Alopecus Irbi filij, Amphiſtenis nepotes, pronepotes Amphiclis, Agidis abnepotes, ſimulachro reperto ſtatim mente capti ſunt. Deinde, quòd Limnatæ in Spartanis, et Cynoſurenſes, quiq; Meſoa & Pitane uenerant, dum ſacrum deæ facerent, ad iurgium & rixam, mox etiam ad cædes conuerſi ſunt: cumq; ad ipſam aram occidiſſent, reliquos ſubita morbi uis abſumpſit. Inde oraculum acceptum eſt, aram eam humano ſanguine aſpergi oportere: quare cùm antè ſorte duceretur immolandus, ſacri ritum Lycurgus ad puberum plagas tranſtulit, quo fit ut hoc etiam ritu nihilo ferè minus ſanguine humano ara imbuatur. Sacris præeſt fœmina: ea tantiſper dum cæduntur pueri, ſignum præfert, quod eſt alioqui propter breuitatem leuiſsimum. Verùm ſi, quibus cædendi negotium datum eſt, cum quopiam eorum qui cæduntur epheborum, uel ob ſpeciem, uel ob nataliũ claritatem agant parcius, tunc eouſque ſignum aiunt graue fieri, ut ſacerdos illud ſuſtinere nequeat. Quod ubi animaduertit, in cædentes ſcilicet cauſam confert, ſeq; eorum culpa queritur onere opprimi: adeò eſt ei ſigno è Taurica tralatitium, hominum ſanguine lætari. Eandem ſanè deam non Orthiam modò, ſed Lygodeſmam etiam nominant, quòd in Lygorum (uiticis id genus) fruticeto reperta ſit. Sic erat autẽ uitice undecunq; in*

cincta,

cincta,ut nihil à recto ſtatu declinaret,unde Orthiæ *nomen inditum.* A Dianio *non longè abeſt* Lucinæ*: ædificatum fanum illud, & Lucinæ dedicatum ex oraculo* Delphico *memorãt.* Lacedæmonij *arcẽ in excelſo extructã loco, uti* Cadmeam Thebani, *aut* Argiui Lariſſam, *non habent: ſed cùm in urbe multi ſint colles, eorum eminentißimum arcem appellant. In eo* Mineruæ *ædes eſt, cui* Poliuchus & Chalciæcus *cognomen. Eius ædificationem* Tindareus *orſus eſt, eoq́; mortuo eius liberi opus ad faſtigiũ perducere aggreßi ſunt, deſtinatis in eam exædificationem* Aphidnæorum *manubijs: uerùm illis fato ſuo oppreßis, multis pòſt annis* Lacedæmonij, & Mineruæ *delubrum, et eiuſdem deæ ſignum ex ære fecerũt. Opifex fuit* Gitiadas *homo indigena, qui & cantica fecit* Doricis *modis, itemq́; in ipſam deam hymnum. Expreſſæ ibidem ſunt multæ de* Herculis *ærumnis, multi etiam eiuſdem herois uoluntarij, & feliciter quidem ſuſcepti labores.* Caſtorum *cùm alia facta, tum uerò* Leucippi *filiarũ raptus:* Vulcanus *matrem è uinculis eximens: expoſitum eſt à me, qualia hæc fuiſſe dicantur, in eo, qui de* Atticis *rebus eſt, libro.* Perſeo *etiam in* Africam *contra* Meduſam *mouenti dant* Nymphæ *caßidem ac talaria, quibus in ſublime feratur. Elaborata etiam ſunt quæ ad* Mineruæ *natales pertinent. Præ cunctis uerò illis operibus magnitudine & ſpecie præſtant* Amphitrite, & Neptunus. *Eſt ibidem poſt hæc,* Mineruæ Erganes *templum. In porticu ea quæ in meridiem excurrit, delubrum eſt* Iouis Coſmetæ *cognomento, & ante ipſum* Tyndarei *moninentum: at quæ in occaſum procedit, habet aquilas duas, quibus* Victoriæ *ſingulæ uehuntur,* Lyſandri *donum, cum duplicis* Victoriæ *monimentis, de uicto ſcilicet* Antiocho, Alcibiadis *guberna-*

tore, & oppreſsis Athenienſiũ triremibus apud Epheſum, tum uerò eorundem Athenienſium claſſe ad Aegos flumina deleta. Ad læuam Chalciœci, Muſarum ædem dicarunt, quòd Lacedæmonij in prælia exeunt non ad tubæ cantus, uerùm ad tibiarum modos, & lyræ cantiunculas. In poſtico Chalciœci, ædes eſt Veneris Areæ, idem propè eſt ac ſi Martiæ dicas. Signa ſunt eius tam uetuſta, quàm alia quæuis in Græcia. In dextera Chalciœci parte, Iouis ex ære ſignum factum eſt, omnium quæ ex eadem ſunt materia uetuſtiſsimum: neq; enim una & eadem fuit uniuerſi operis fabricatio, ſed particulatim membra excuſa, inter ſe deinde ſunt aptè clauis confixa, atque ita ne diſſolui poſsint coagmentata. Feciſſe aiunt Learchum hominem Rhegynum, quem Dipœni & Scyllidis nonnulli, alij ipſius Dædali diſcipulum dicunt fuiſſe. In eo tabernaculo, quod mulieris Scenoma uocitant, effigies quædam, quam Euryleonidæ Lacedæmonij, qui bigis in Olympicis uicerit, eſſe dicunt. Ad ipſam Chalciœci aram duæ ſunt imagines Pauſaniæ illius, qui imperator Platæenſe prælium commiſit. Quæ uerò eius fortunæ euenta fuerint, quòd ſatis nota omnibus ſunt, in præſentia non commemorabo: poſſunt præterea ea coгnoſcere, qui uelint, ex ijs, qui de illis accuratiſsimè ſcripſerunt. Audiui autem de Byzantio homine, cùm diceret, proditionis reum factum, ſolum ex omnibus qui ad Chalciœci confugiſſent, impunitatem non meruiſſe: neque uerò aliam ob cauſam, quàm quòd cædis piaculum eluere non potuiſſet. Is enim cùm ad Helleſpontum Spartanæ et ſociorum claſsis imperator caſtra haberet, uirginis Byzantiæ cupiditate incenſus eſt: cùm uerò prima nocte, quibus negocium datum erat, Cleonicen ad eum perduxiſſent (id enim erat

puellæ nomen) ſomnũ iam capiens, repentè ſtrepitu eſt excitatus: fortè enim illa accedens accenſam lucernam deiecerat: ibi Pauſanias, qui ſuorũ de Græcia prodenda ſibi conſiliorũ conſcius, perpetua animi conturbatione & pauore agitari ſolitus erat, perterrefactus, uirginem acinace trãſuerberat. Hoc *illud fuit facinus, cuius fraudem nunquam effugere, nullis expiationibus, nullis* Abſolutori Ioui *deprecationibus ſuſceptis, cùm in* Arcadiam *etiam ad* Luſtratores *eos, qui* Pſychagogi, *id eſt,* Animorũ *curatores appellantur,* Phygalean *ueniſſet, luere potuit.* Dedit itaq; *ille* Cleonicæ *meritas pœnas.* At Lacedæmonij Delphici Apollinis *iuſſu æneas et imagines poſuerunt, & genium uenerantur* Epidoten *nomine, auerti ab eo interpretantes omnem numinis offenſionem; quæ ex contempta* Pauſaniæ *deprecatione exiſtere potuerit.* Prope Pauſaniæ *ſtatuas eſt* Ambologeræ Veneris, *quod eſt ac ſi dicas,* Senectutem *retardantis, ſimulachrum ex oraculo dicatum.* Sua *etiam ſunt* Somno, & Morti: *eſſe uerò germanos, ex* Homeri, *qui in* Iliade *ſunt, uerſibus creditur.* Euntibus *propè ad* Alpiũ, *id uici nomen,* Mineruæ *eſt* Ophthalmitidis *ædes, dedicatã à* Lycurgo *ferunt.* Nam *cùm alterum ei oculũ excuſſiſſet* Alcander, *cui ab illo latæ leges minimè placebant, in hunc uicum confugit: ubi* Lacedæmoniorum *concurſu ſeruatus, quo minus & alterum oculum perderet,* Ophthalmitidi Mineruæ *templũ fecit.* Hinc *progreßis* Ammonis *templum eſt: ac* Libyco *quidem oraculo omnium maximè uſos conſtat* Lacedæmonios. Quin & Lyſandrum Aphytin *in* Pallene *oppidum oppugnantem, per nocturnum uiſum monitum ab* Ammone, *melius* Lacedæmonijs *euenturum ſi* Aphytæos *deſiſſent bello uexare, & obſidionem ſoluiſſe, &* Ammonis *religioſius colendi autorem fuiſſe tra-*

dunt. Venerantur certè Ammonem Aphytæi cultu nihilo minore, quàm Ammonij ipſi in Libya. De Cnagia uerò Diana, *hæc ſunt memoriæ prodita: Cnagea hominem indigenam ad oppugnandum* Aphidnam *cum Caſtore & Polluce ueniſſe: in pugna uerò captum, & uenum ſub corona in* Cretam *miſſum: ſeruitutem ibi ſeruiſſe, ubi fuit* Cretenſibus Dianæ *fanum: uerùm exacto temporis curriculo, effugiſſe illum, & unà ipſam* Dianæ *ſacerdotem, deæ ſigno ablato: inde extitiſſe deæ Cnagiæ cognomen. Sed enim Cnageum hunc in Cretam alio ego caſu, quàm quo dicunt* Lacedæmonij*, ueniſſe crediderim, quippe qui neque pugnam commiſſam ad* Aphidnam *puto, cùm eo tempore* Theſeus *in* Theſprotis *detineretur: neq; in eius officio eſſent* Athenienſes, *ſiquidem erant illi in* Mneſthei *partes multò propenſiores. Atqui neq; facto prælio ueri ſatis fuerit ſimile, quenquam de ijs qui uicerant, captum: præſertim uerò cùm tam longo interuallo ſuperiores diſceſſerint* Lacedæmonij, *ut ipſam etiam* Aphidnam *ceperint. Verùm hactenus de his ſatis quidem multa.* A Sparta Amyclas *uenientes excipit* Tiaſa *amnis: nomen ei à* Tiaſa *puella* Eurotæ *filia. Proxima amni eſt* Gratiarũ *ædes* Phænnæ *&* Cletæ, *quæ ſunt* Alcmanis *uerſibus nobilitatæ:* Lacedæmona *putant* Gratijs *ædem eam dedicaſſe, nomina etiam impoſuiſſe. Inter illuſtria opera quæ* Amyclis *uiſuntur, columnæ inſiſtit* Aenetus *quinquertio, qui in* Olympia *uictor declaratus, accepta corona ſtatim è uita exceßit. Eius itaq; illic eſt effigies, & ænei tripodes: nam decem alios antiquiores eſſe aiunt eo bello quod cum* Meſſenijs *geſtum eſt. In eorum primo ſtat* Veneris *ſimulachrum,* Dianæ *in altero, cùm ipſi tripodes, tum quæ ſunt in ijs operis ſuperuacanei,* Gitiadas *fecit. Tertius eſt ab*

Aegineta Callone factus, in eo Proſerpina inſiſtit. At Parius Ariſtander, & Polycletus Argiuus, fœminam ille cum lyra, Spartam ſcilicet ipſam, hic Venerem, quæ ad Amyclæum uocatur, fecerunt. Præſtant hi tripodes cæteris magnitudine, & de uictoriæ ad Aegos flumina manubijs dedicati fuere. Bathyclis uerò Magneſij, qui ſellam Amyclæi fecit, ſunt opera, dona etiam reliqua quæ ſellæ addita ſunt, Gratiæ, & Leucophrynes Dianæ ſignũ. A quo uerò Bathycles hic artem didicerit, uel quo Spartæ regnante illa elaborauit, nihil eſt neceſſe hoc loco cõmemorare. Sellam ipſam ego uidi, quare eius iam omnem ornatum literis mandabo. Suſtinent eam à fronte & à tergo Gratiæ duæ, et Horæ totidem. In læua parte Hydra ſpectatur, & Typhon: in dextera Tritones. Quòd ſi, quæ aduentitia ſunt, ſingula exactius conſecter, facilè nimis multum ijs, qui hæc legerint, negotij exhibuero. Sunt multa alioqui acutius cõijcienti nõ obſcura. Taygeten Atlantis filiam, & eius ſororem Alcyonem aſportant Neptunus & Iupiter. Inſcalptus eſt Atlas ipſe, & Herculis cũ Cycno pugna: Centaurorũ præterea apud Pholum pugna. Iam uerò quare Minotaurũ ita fecerit Bathycles, ut uinctus trahi à Theſeo uiuens uideatur, nõ ſanè noui. Eſt in eadem ſella Phæacũ chorus, & Demodocus cantans: Perſei etiam in Meduſam facinus cernitur. Vt miſſum uerò faciam Herculis cum Thurio gigante certamẽ, Tyndari cum Euryto, uiſitur illic Leucippi filiarum raptus: Liberum Patrem in cœlum portat Mercurius: Minerua Herculem deducit, de cœlitibus unum in poſterum omne tempus futurum: iam Peleus Achillem Chironi alendum tradit, qui doctor etiam eiuſdẽ, et magiſter fuiſſe dicitur: Cephalus ob formæ præſtantiam rapitur ab Aurora: Harmoniæ nuptias donis celebrãt

dij: Venit in operis partem Achillis cum Memnone dimicatio: Diomeden *prætereà* Thraciæ *regem* Hercules, *& ad* Euenum *amnem* Neſſum *interficit:* Mercurius *deas in iudiciũ ad Alexandrum deducit: ad hæc Adraſtus & Tydeus pugnam dirimunt, in quam deſcenderant Amphiaraus, & Lycurgus* Pronactis *filius. Tum Iuno Iò Inachi filiam iam bouem factam aſpicit:* At Minerua *inſectantem Vulcanum fugitat. Inter hæc eſt Herculis in hydram, quo ordine geſtum eſt, facinus.* Idem *etiã* Hercules *Plutonis canem raptat:* Anaxias *& Mnaſinus equis uterq; inſident:* Megapenthes *&* Nicoſtratus *Menelai filij eodem uehuntur equo:* Bellerophontes *Lyciæ monſtrũ conficit:* Hercules *rurſus* Geryonæ *boues abigit. In cellæ ſuperiore margine utrinq; Tyndari filij equis inſident: infra eos equos Sphinges, ſupra feræ decurrunt, Pardus contra Caſtorem, in Pollucem uerò Leæna. Summa ſolij tenet Magnetum chorus, quòd ſcilicet Bathyclen in ſolio elaborando iuuerunt.* Interiora *illa ſunt propè:* Tritones: *apri Calydonij uenatio:* Hercules *Actoris filios trucidat:* Calais *&* Zetes *à Phineo harpyias arcent: Viſuntur* Helenã *rapientes* Pirithous *&* Theſeus: Hercules *leonẽ ſtrangulat:* Tityon *Apollo & Diana ſagittis configunt: Herculis etiam cum Oreo centauro pugna, & Theſei cum Minotauro expreſſa eſt:* Herculis *rurſus cum Acheloo lucta, quæq; de Iunone ſunt fabulis prodita, uinctam ſcilicet à Vulcano fuiſſe:* Ludi *deinde, quos patri fecit Acaſtus: quæ de Menelao, & Aegyptio Proteo in Odyſſea cõmemorantur: poſtremò uerò Admetus ad currũ aprũ & leonem iungit:* Troiani *Hectori inferias mittunt. Solium ipſum, ea parte qua Deo ſeſſio parata eſt, non illud quidem æqualiter planum, uerũ ſedilia habet multa, atq; inter ea ſatis ampla interualla:*

ualla: medium omnium latiſſimè patet, ibi ſimulachrum collocatum eſt: qua id magnitudine ſit, nemo, quod ſciam, compertum tradidit: quantũ coniectura aſſequi poßis, haud breuius cubitûm XXX. *uideatur.* Non *fuit eius opifex* Bathycles, *eſt enim priſcũ, & ſine arte factum, nempe quòd præter os, manus, & imos pedes, cætera æneæ columnæ perſimile ſit: capite galeam, lanceã manibus, & arcum præfert. Simulachri baſis aræ formam habet: ſub ea* Hyacinthum *ſepultum tradunt, & in* Hyacinthiorum *celebritate, priuſquàm ſacrum* Apollini *faciant, per æneum oſtiolum, quod in aræ leua parte eſt, inferias* Hyacintho *mittunt. In ea baſi inſcalpta ſunt, hic* Biridis, *illic* Amphitrites *et* Neptuni *ſigna: tum uerò* Iupiter *&* Mercurius *inter ſe colloquentes. Propè aßiſtunt* Liber pater, *&* Semele: *huic proxima* Inò. *Sunt in eadem ſiue baſi, ſiue ara,* Ceres, Proſerpina, Pluto: *unà cum his* Parcæ, *&* Horæ, *& illis adiunctæ* Venus, Minerua, Diana: *in cœlum autem hæ tollunt* Hyacinthũ, *& ſororem eius* Polybœan, *quam è uita uirginem deceßiſſe narrant. Atq; illud quidem* Hyacinthi *ſignum cum barbula eſt:* Nicomedenſis Nicias *eximia illum forma fuiſſe ſcriptum reliquit, cùm de* Apollinis *in illum amore quiddam innueret. In ea ipſa ara* Hercules *locum ſuum habet: hunc ipſum etiam* Minerua, *& alij* Di *in cœlum deducunt. Ibidem &* Theſtij *filiæ ſunt,* Muſæ, *&* Horæ. De Zephyro *uerò, & quemadmodum ab* Apolline *ſit* Hyacinthus *imprudenter peremptus, longè ſe fortaſſe aliter quàm uti exponitur res habet: perinde uerò fuiſſe cenſeatur, ac uulgatum eſt.* Amycla *à* Dorienſibus *deleta uici iam formam habet. Inſignia illic ſunt,* Alexandræ *templum, & ſimulachrum:* Alexandram *quidem* Amyclæenſes Caſſandram Priami *filiam eſſe dicunt. Eſt ibidem* Clytemne-

ſtræ effigies, & Agamemnonis ſtatua, quo loco eiuſdem cre dunt fuiſſe monimentum. Venerantur horum locorum inco læ præ cæteris Amyclæum, & Liberum, cognomento Pſila neum appellantes, appoſitè illi quidem mea ſententia, Pſila enim Dorienſes pinnas nuncupãt: nam uinũ homines perin de ac aues pinnulæ, incitat & ſubleuat. Altera ab urbe Therapnen ducit uia: in ea ſignum eſt Aleæ Mineruæ: & antequàm Eurotam tranſeas, paulò ſupra ripam Iouis Opulenti fanum monſtratur. Vbi tranſieris templum uideas Cotylei Aeſculapij, quod Hercules dedicauit, deoq; id cognominis indidit à uulnere ſanatus, quod in pugna priore contra Hippocoontem eiuſq; liberos, in cotyle, id eſt, coxendice, acceperat. Maximè uerò eorum, quæ in hac uia extant, operum, priſcum eſt Martis fanum. Eiuſdem dei ad uiæ læuam quod uiſitur ſimulachrum, è Colchis à Caſtore & Polluce deportatũ ferunt: Theretam cognomine appellant, de nutricis Therûs nomine. Verùm ipſum etiã fortaßis nomen Colchicum eſt, neq; enim Græci ullam norunt Therò Martis nutricem. Mea fert opinio, non eſſe à nutrice hoc Marti cognominis, ſed à feritate, quòd bellicoſum hominem cùm prælium iam ineat nihil mite præ ſe ferre oporteat, proinde ac de Achille dixit Homerus:

Vtq; leo toruum aſpexit.

Therapne à Lelegis filia nomen accepit. In ea Menelai delubrum eſt: eo in loco Menelaum & Helenam educatos tradunt. At Rhodij Lacedæmonijs neutiquam aſſentiuntur: aiunt enim Helenam Menelao mortuo, errante etiamnum Oreſte, à Nicoſtrato & Megapenthe pulſam, ad Polyxò Tlepolemi uxorem cognatã ſuam Rhodũ ueniſſe: fuiſſe uerò & ipſam Polyxò Argiuã, quæ cùm antè multò cum Tlepolemo

lemo fuiſſet, uirũ in exiliũ ſecuta eſt, ac tunc quidem inſulæ imperaſſe, ſuſcepta paruuli filij tutela. Hanc itaq; Polyxò *ulciſci* Tlepolemi *necem uolentẽ, ubi in poteſtate* Helenam *habuit, immiſiſſe in eam lauantẽ ancillas* Furiarũ *ornatu, quæ illam comprehenſam, cùm ad arborẽ ſuſpendiſſent, laqueo necarunt. In eius rei memoriam dedicaſſe* Rhodios Helenæ Dendritidis *fanum. Quæ uerò de* Helena Crotoniatæ *uulgarunt aſſentientibus* Himæreis, *ea iam cõmemorabo. Eſt in* Euxino *circa* Nili *oſtia inſula* Achilli *ſacra, cui* Leuce *nomen: patet ea ſtadiûm* x x. *ambitu, ſyluis undiq; cõdenſa, et cùm feris, tum mitibus beſtijs referta. In ea* Achillis *delubrũ, & ſimulachrũ eſt.* Nauigaſſe *in eam primus omnium* Crotoniates Leonymus *dicitur. Cùm bellum enim inter* Crotoniatas *&* Locros *in* Italia *gereretur, ac* Locri *ob eam, quæ ipſis erat cum* Opuntijs, *propinquitatẽ,* Aiacem Oilei *filium, eius ductu & auſpicijs præliũ cõmiſſuri, inuocaſſent,* Leonymũ Crotoniatarũ *ducem in eam hoſtilis aciei partẽ impreßione facta, quam cum imperio obtinere* Aiacem *audierat, uulnus aiũt in pectore accepiſſe.* Ex eo *cùm uehementer laboraret,* Delphos *opem ab oraculo imploratũ ueniſſe: reſponſum uerò tuliſſe, ſi in* Leucen *inſulam profectus eſſet,* Aiacem *ei uulneris remediũ monſtraturũ. Cùm uerò iam ſanatus domũ reuertiſſet, cõmemoraſſe* Achillem *ſe,* Aiacem Oilei *filium, &* Telamonis *item* Aiacem *uidiſſe, cumq; illis unà* Patroclum *&* Antilochum: *&* Achilli *quidem nuptam* Helenam: *mandaſſe eam ſibi, ut* Himeram *appulſus nunciaret* Steſichoro, *oculorum calamitatem ob* Helenæ *ei iram accidiſſe: ex eo factum ut carmen, contrario argumento, quam* Palinodiam *uocant,* Steſichorus *fecerit. Ad* Therapnen *fontem ſum conſpicatus* Meſſeiden: *cùm non deſint tamen è* Lacedæ-

monijs qui non hunc, ſed fontem eum qui ætate hac Poly*deucea nuncupatur*, Meſſeiden *à priſcis uocatum affirment.* Eſt *uerò* Polydeucea *fons, &* Pollucis *fanum ad eius uiæ dexteram,quæ* Therapnen *ducit.* Non *procul à* Therapne Ephebæum *eſt,& in eo* Caſtorum *delubrum,quo in loco puberes ſacrum* Enyalio *bellico numini faciũt.*Non *multum hinc abeſt* Neptuni *templum cognomento, quòd terra in eius poteſtate ſit*,Geauchi.Ab *eo* Taygetum *uerſus procedenti uicus eſt*,Aleſias *nominant, quod eſt ac ſi* Piſtorium *dicas:eo in loco molam primùm omnium reperiſſe, & fruges molere docuiſſe* Myleta Lelegis *filiũ tradunt.* Vbi *uerò amnem* Phalliam *traieceris, rectà* Amyclas *contendenti,* Pharis *olim urbs in* Laconico *agro habitabatur.* A Phellia *abeuntibus ad dexteram uia eſt quæ ad* Taygeton *ducit.* In *ea planitie* Iouis Meſſapei *fanum eſt:id ei cognominis inditum tradunt de ſacrificuli nomine.*Iam *uerò à* Taygeto *uicus excipit,ubi olim* Briſeæ *urbs incolebatur.* Extat Liberi Patris *templum,& ſigna quædam ſub diuo relicta: nam quod intus eſt, ſolis fas eſt mulieribus aſpicere: ſolæ enim mulieres in operto ſacra faciunt.* Taygeti *uertex ſupra* Bryſeas Tale*tum ſuſtinet:ſacrum* Soli *appellant:ibi & alias hoſtias,& equos* Soli *cædunt.* Idem *autem ſacrum &* Perſis *patriũ eſſe nouimus.*Non *procul à* Taleto *ſaltus eſt qui* Euoras *dicitur: is & ferarum alia genera, & in primis ſylueſtres capras alit.* Facit *uerò qualibet ſui parte* Taygetus *uenatoribus luculentam caprearum, aprorum, ceruorum, & urſorum copiam.*Quod *intereſt ſpatij inter* Taletum & Euoram,The*ras nuncupant.*Ab *ipſis* Taygeti *iugis modicè diſtat* Cereris *delubrum,cui cognomen* Eleuſiniæ*: in eo occultatũ memorant* Herculem *ab* Aeſculapio *curato uulnere.*Eſt *ibidem &*

Orphei

Orphei ſignum poſitum, Pelaſgorum opus fuiſſe aiunt. E-*quidem & alios hoſce, quæ illic fiunt, ſacrorum ritus noui.* Ad mare oppidulum fuit Helos, *cuius eſt apud* Homerum *in enumeratione nauium mentio:*

Quiſq; mare uicinum Helos, *& quis patria* Amyclæ.

Huc *deduxit coloniã* Helius Perſei *liberûm natu minimus.* Poſtea Dorienſes *per obſidionẽ ſunt oppido potiti, ex quo primùm publici extitere* Lacedæmoniorum *ſerui, qui ſunt à loco* Ilotæ *nuncupati.* Obtinuit *deinde uſus, ut cæteri etiã qui ad ſeruitiorum numerum acceſſiſſent, quamuis* Meſſenij *uti priores illi non eſſent,* Ilotæ *tamen & ipſi appellarentur: quemadmodũ et* Hellas, *ab* Hellade, *quæ fuit olim* Theſſaliæ *pars,* Græcorum *uniuerſa natio dicti.* Ex *eo ipſo oppido quod* Helos *diximus uocari,* Proſerpinæ *ſimulachrum ſtatis diebus in* Eleuſinium *deportant.* Ab Eleuſinio *ſtadia* xv. *diſtat quod* Lapithæũ *appellãt, à* Lapitho *homine indigena.* Eſt *uerò & ipſum in* Taygeto: *propeq; abeſt* Derrhion, *ubi ſub diuo* Dianæ *ſignũ* Derrhiatidis. Proximum *fontem* Anonũ *nominant.* A Derrhio *ad ſtadia circiter* xx. Arplea *ſunt ad campos uſq; pertinentia.* Iam *uerò à* Sparta *in* Arcadiam *rectà contendentibus monſtrat ſe* Mineruæ *cognomento* Parcæ *ſignum ſub diuo.* Dehinc Achillis *fanum eſt, quod recludi religio eſt: at puberibus omnibus quotcunque in* Platanctum *pugnaturi deſcendũt, ſolenne eſt* Achilli *ante pugnam rem diuinam facere.* Aedificaſſe *fanum dicunt* Spartani Pracen *pronepotem* Pergami *eius, qui è* Neoptolemo *eſt genitus.* Progreſſis *paulò longius eſt* Equi *monimentum, quo in loco* Tyndareus *dicitur conuocatis* Helenæ *procis, ſuper execti equi teſtibus iuſiurandum concepiſſe, cuicunque* Helena *deſponſaretur, armis ſe illius in-*

iuriam,ſi à quoquam nuptiæ illæ uiolatæ fuiſſent,uindicatu rum. Cùm hoc illos ſacramento adegiſſet, equum eo ipſo in loco defodit. Propè abſunt pilæ ſeptem,priſcorum, opinor, ritu erectæ, quas errantium VII. ſtellarum ſigna eſſe aiunt. Iuxta uiam Cranij lucus eſt cognomento Stemmatij. Eſt & Myſiæ Dianæ delubrũ. Abeſt ab urbe ſtadia circiter XXX. Pudoris ſimulachrum,Icarij donum eſſe ferunt, & hanc celebrant dedicationis cauſam. Cùm Icarius Vlyßi Penelopen nuptum dediſſet, Vlyßis animum tentauit nunquid Lacedæmone domiciliũ habere uellet: quæ ſpes ubi hominẽ fefellit, filiã orare cœpit, ne ſe desereret,atq; ut ſecum permaneret. Quin & Ithacam iam proficiſcentem in curru proſecutus, multis eam ſolicitabat precibus. Vlyſſes tàndem uictus homi nis importunitate,puellæ optionem dedit,uel ſe ut ſequeretur,ſi id mallet,uel cum patre Lacedæmonẽ rediret: ibi illã aiunt nihil ſanè reſpondiſſe, ſed faciem tantùm uelaſſe: Icarium cùm ſibi probè noſſe uideretur, quid illa animi haberet,ut cum Vlyſſe abiret, permiſiſſe. Signum uerò Pudoris ea in uiæ parte dedicaſſe,quô Penelope,cùm faciem uelauit, peruenerat. Qui ſtadia ferè XX. proceſſerint, ad Eurotam amnem accedent,qui propè ad ipſam uiam decurrit. Ibi Ladæ monimentum eſt,qui pedum celeritate ſuos omnes æqua les uicit. Is in Olympicis ludis de longiore curriculo eſt coro natus, atq; inde, uti ego opinor,poſt uictoriã huc reportatus, cùm diem ſuum obiſſet, ſupra militarem uiam humatus eſt. Cognominem uerò huic alterum,qui & ipſe uictor,non tamen de longiore curriculo,uerùm de ſtadio, eſt renunciatus, Achiuum ex Aegio fuiſſe, Eleorum de ijs, qui ex Olympia uictores diſceſſerunt,commentarij teſtantur. Hinc Pellanam uerſus contendentibus uicus eſt, cui Characoma, ac ſi

Vallum

Vallum dicas, nomen. Proxima priſcis temporibus fuit Pellana urbs, in qua Tyndareum habitaſſe tradunt, cùm è Sparta, Hippocoontem eiusq; filios fugiens, exceßiſſet. Hîc, quæ conſpicerentur digna, Aeſculapij fanum, & Pellanida fontem uidi. In eum fontem uirginem aquam haurientem concidiſſe narrãt, eius uerò capitis uelamen in alio fonte, cui Lancea nomen, repertum. Abeſt à Pellana ſtadia fermè centum agri pars ea, quæ Belemina dicitur. Locus eſt maximè irriguus, quem nempe Eurotæ aqua interluit. multis certè ac perennibus ſcatet fontibus. Quà uerò ad mare prope Gythion deſcenditur, uicus eſt Lacedæmonijs, cui Croceæ nomen: in ea lapidicinæ perpetuo ac nuſquam interrupto ſaxo. Cæduntur inde lapides fluuialibus haud abſimiles, qui cælo ſanè nonnihil repugnant, elaborati tamen & expoliti, ſuam habent in Deorum cellis exornandis gratiã: multum ijdem & piſcinis & aquarum ductibus afferunt decoris. Stat ante uicum lapide elaboratum Croceatæ Iouis ſimulachrum: proximè ad lapidicinas Caſtores ex ære. A Croceis diuertens ad dexteram de recta quæ Gythion ducit, ad oppidulum uenias quæ uocantur Aegiæ: id eſſe putant quod Homerus carminibus Augeas appellarit. Eſt eo in loco ſtagnum quod Neptuni dicitur: in eius fermè ripa eiuſdem delubrum dei, & ſimulachrum. E ſtagno piſces metuunt extrahere, quòd qui eos ceperint, ex hominibus in piſces mutari dictitant. Ab Aegij diſtat Gytheum ſtadia xxx. Maritima tenent Eleutherolacones, ſic nempe ij appellãtur, quos Imperator Auguſtus Spartanorũ dominatu liberauit. Mari uerò tota incingitur Peloponneſus, parte ea excepta, ubi Corinthiorum Iſthmus eſt. Fert autem Laconicum mare conchylia, ex quibus ad infectură ueſtium purpura compa

ratur, nobilitate ſolis ijs, quæ in Rubro mari capiuntur, inferiora. Vrbes quidem Eleutherolaconum XVIII. extant, quarum prima ab Aegijs deſcendentibus eſt Gytheum, deinceps Teuthrone, Las, Pyrrhichus, ad Tænarum Cænopolis, Oetylos, Leuctra, Thalamæ, Alagenia, Gerenia, et ad mare propius multò ultra Gytheum Aſopus, Acriæ, Bœæ, Zarax Epidaurus, Limera, Braſiæ, Geronthræ, Marios. Atq; hæ quidem reliquæ ſunt Eleutherolaconũ urbes, cùm antè quatuor & uiginti fuiſſent. Cæteræ, quas iam perſequar, in curias eas deſcriptas eſſe, ſciat qui hæc leget, quæ Spartana ciuitate cõtinentur, quæq; cum ea cenſentur, neq; ſuis legibus utuntur, uti quæ iam enumeratæ ſunt. Gytheatæ nemini omnino mortalium origines ſuas acceptas referunt, ſed Herculem & Apollinem, memorãt, cùm in certamẽ de Tripode deſcendiſſent, iam lite dirempta oppidum cõmuni ope atq; conſilio condidiſſe: quare in foro ſua ſunt Dis ipſis poſita ſimulachra. Proximè eſt Liber Pater, & in diuerſa fori parte Apollo Carnias. Eſt item Ammonis & Aeſculapij ædes cum æreo ſigno, ſine lacunari: tum deo dicatus fons, & Cereris ſacroſanctũ delubrum: ad ea Neptuni Geauchi ſignũ. Quem uerò Gytheatæ ſenem nominant, & in mari habitare dicũt, Nerea eſſe conijcio, et è uerſibus illis Homeri, in quibus Thetidi ſermonem tribuit, nomen hoc duxiſſe interpretor:

Vos agitè interea ponti uada lata ſubite,
Viſuræ æquoreumq; ſenem, & penetralia patris.

Sunt hæc in regione portæ quæ Caſtorides nuncupantur. In arce Mineruæ ædes, et ſignũ. A Gytheo ſtadia tria diſtat lapis, qui Ocioſus dicitur. Oreſtem aiunt cùm ibi ſediſſet, inſania liberatũ. Ex rei euentu lapis ille Iupiter uocatus eſt Cappotes Dorienſium lingua. E regione Gytheo, Cranæ inſula

eſt.

eſt, in qua Alexandrũ rapta Helena, cũ ea primùm cõgreſſum Homerus *dixit:quare in cõtinentis terræ aduerſo litore* Veneris *eſt* Migonitidis *ædes,quod eſt ac ſi* Coniugalis *dixeris: ac regio illa tota* Migonium *uocatur:templum quidem* Alexandrum *tradunt faciundum curaſſe*. At Menelaus *octauo fermè poſt* Troiæ *euerſionem anno, domũ incolumis reuerſus,proximè ad* Migonitidis,*ſignum* Thetidis,*& deæ* Praxidicæ,*quaſi* Vindicatricis *dicas,dedicauit.*Libero *uerò* Patri *ſupra* Migoniũ *ſacer mons eſt, quem uocant* Laryſiũ: *eo in loco uere ineunte feſtos agitant dies.Sacri cùm alias referunt cauſas,tum quòd ibi primùm uuã maturã repererũt.* Ad Gythei *læuã ſtadia ad* XXX. *progreßis in cõtinenti terra muri ſunt* Trinaſi*(ſic enim appellatur locus ille, quẽ ego caſtellum,non oppidum, fuiſſe arbitror)ac nomen ei inditũ à paruis inſulis, quæ contra litus ſunt numero tres.* A Trinaſo *ſtadia circiter* LXXX. *ruinæ murorum abſunt,* Helos *ubi olim urbs fuit.Iam ſtadia procul* XXX. *oppidum eſt maritimũ* Acriæ. *Illic quæ ſpectentur digna, matris* Deûm *ædes,& è marmore ſignũ: & hoc quidem operũ omniũ uetuſtißimũ eorũ quæ extant apud* Peloponneſios *matri* Deûm *dicata, prædicant qui* Acrias *incolunt*. Nam Magneſij *qui in* Sipyli *parte ea ſunt quæ ad Aquilones cõuerſa eſt, ſuper ſaxo,quod appellant* Coddinũ, *ſignũ eiuſdem* Deæ *habent, longè omniũ antiquißimũ:*Brotean *uerò illud* Tantali *filiũ feciſſe perhibent.* Acriatæ Nicoclen Olympionicen *ediderunt,qui binis ludis de curſu palmas quinq; tulit. Monimentum* Nicocli *erectũ eſt inter gymnaſiũ, & eam murorũ partem quæ cum portu cõiuncta eſt. Ab eadem maritima parte ſupra* Acrias *ad ſtadia fermè* CXX. *abſunt* Geronthræ.Eam *urbem celebrẽ ante* Heraclidarũ *in* Pelopõneſum *aduentũ,*

Dorienſes,quorũ erat in poteſtate Lacedæmon, euerterũt, pulſisq; ueteribus incolis,coloniam deduxerunt. Aetate quidem mea ciuitas hæc in Eleutherolaconum cenſum refertur. In ipſa uia,qua Geronthras ab Acrijs iter, pagus eſt, qui Priſcus dicitur:Geronthris Martis delubrum,& lucus. Sacra ibi faciunt anniuerſaria, quibus fœminis eſt interdictum.Circa forum dulcium aquarum fontes ſunt.In arce Apollinis ædes,et ſigni ex ebore caput:quod fuit reliquũ,unà cũ uetuſtiore templo ignis aboleuit. At Marios,aliud Eleutherolaconum oppidum, à Geronthris diſtat ſtadia c. Priſcum ibi eſt Dis omnibus commune templum.Proximus lucus multis irriguus fontibus.Sunt & in Dianio fontes. Perennibus quidem aquis æquè atq; alia regio Marios abundat.Pagus eſt ſupra oppidum Glyppia,& hic interior à mari.Et ad alterum à Geronthris pagum Selinuntem nomine, uia eſt ſtadiũm xx. Ab Acrijs tam à mediterranea, quàm à maritima parte,ſtadia abeſt LX.oppidum Aſopus.In eo Romanorũ Imperatorũ templum,& ſupra oppidũ ſtadia plus minus XII. Aeſculapij fanum eſt. Deum ipſum Philolaum nominant, quod eſt ac ſi Publicolam dicas. Oſſa ea, quibus in Gymnaſio honos habetur,ſunt illa quidem inſigni magnitudine,hominis tamen fuerũt. Eſt et Mineruæ in arce ædes, cognomento Cypariſſiæ. Ad imam arcis partem ruinæ ſunt oppidi,quod Achiuorum Paracypariſſiorum nuncupatur. In his item finibus eſt Aeſculapij fanum, quod ab Aſopo diſtat ſtadia L. regiunculam Hyperteleaton uocant. Excurrit in mare procul ab Aſopo ſtadia cc.promontoriũ,quam Aſini maxillam nominant. Eſt in ipſo Mineruæ templum ſine ſigno & tecto:factum tradunt ab Agamemnone.Eſt & Cinadi monimentum,fuit & hic Menelai gubernator.Infra

promon-

promontorium aperit ſe Bœiaticus ſinus, in cuius extremo cornu Bœæurbs eſt. Eius fuit conditor Bœus, unus de Herculis filijs. E tribus ciuitatibus, Etiade, Aphrodiſiadæ, et Sida, colonia deducta. Illarum uerò priſcarum urbium duas, in hunc ſinum tempeſtate delatum Aenean dum in Italiam fugeret, condidiſſe ferunt, & alteram de filiæ Etiadis nomine appellaſſe. Tertiæ à Sida Danai filia nomen datum. Ex his ciuitatibus profugi, cùm quærerent ubi conſiſterent, reſponſum acceperunt, Dianã quo loco urbem cõderent monſtraturam. In terram expoſitis ſe lepus oſtendit, quem ſecuti tanquam uiæ ducem, cùm ille ſe ad myrtum recepiſſet, eo ipſo in loco ubi myrtus illa fuit, oppidum munierunt. Stirpem eandem nunc etiã colunt, & Dianam celebrant Seruatricẽ. In Bœenſium foro Apollinis delubrum eſt, & alia in regione Aeſculapij. Serapidis uerò et Iſidis fragmẽta abſunt Bœis haud amplius ſtadia VII. Ad læuam huc euntibus adſtat Mercurij è marmore ſimulachrũ. Et inter rudera facilè cõſpici poteſt Aeſculapij & Hygeæ templum. Contra Bœas Cythera ſita ſunt, ad Plataniſtuntẽ (ab ea enim parte ut minimũ diſtat à continenti inſula hæc.) Sed ad Plataniſtuntem promontoriũ, ab eo promontorio quod in ora, Aſini maxillam diximus appellari, nauigatio intereſt ſtadiûm XL. Habent maritima Cytherorũ Scandean nauale. A Scandea ad ipſa Cytherorum mœnia aſcenditur ſtadiûm X. uia: eſt illic Vraniæ Veneris fanũ, corũ omniũ, quæ apud Græcos Veneri dicata ſunt, maximè priſcũ. Deæ ſignũ cum armis eſt. A Bœis ad ea quæ ſupra Malean promontorium ſunt nauigantibus, ſtagnũ eſt quod Nymbæum nominant. Propè Neptuni ſignũ recto ſtatu, & mari uicina ſpelunca, in qua dulcis aquæ fons. Frequens eſt locus circunquaq; incolentium

hominum multitudine. Malean prætervectis ad c. *ferè ſtadia, uicus eſt* Apollini *ſacer, in ipſis* Bœatarum *finibus, cui nomen* Epidelium: *quæ enim eo in loco uiſitur* Apollinis *effigies, eadem eſt quæ olim* Deli *dedicata fuit.* Nam *cùm eſſet* Delos *totius olim* Græciæ *emporium, eaq; ſola religione munita, cõtra omnes omnium iniurias, incolas tueretur, exortus eſt* Menophanes *quidam* Mithridatis *copiarũ dux, qui uel ſuapte inſolentia, uel regis imperio impulſus (homini enim ad pecuniam omnia referenti, facilè diuina quæſtu inferiora ſunt) in inſulam cùm murorum, tum armorum præſidio carentem, cum claſſe inuaſit, ubi & peregrinis qui illic tunc fortè erant, & ciuibus cæſis, negotiatorũ pecunia direpta, donarijs compilatis, coniugibus* Deliorum *& liberis ſub corona uenditis, ipſam etiam urbem ſolo æquauit.* In *ea populatione* Barbarorum *quidam effigiem, de qua diximus, petulanter ſede ſua motam in mare abiecit: ea maris æſtu in* Bœatarum *fines delata, loco nomen dedit* Epideliũ. Verùm *dei iram neque* Menophanes, *neq;* Mithridates *ipſe effugit.* Non *multò enim poſt* Deli *calamitatem, cùm in altum proueheretur, qui eius manus effugerant negotiatores, hominem occiderunt:* Mithridaten *uerò coëgit deus ipſe manus ſibi conſciſcere, cùm amiſſo iam regno, à* Romanis *huc illuc pulſus nuſpiam poſſet cõſiſtere.* Sunt *qui illum dicant ab uno de* Barbaris *mercenarijs magni beneficij loco impetraſſe ut ſe cõficeret.* Has *uiolati numinis pœnas impij homines dederunt.* Finitima *eſt* Bœatis Epidaurus, Limera *cognomento: abeſt ab* Epidelio *ſtadia circiter* cc. Eſſe *uerò eam coloniam aiunt non* Lacedæmoniorum, *ſed* Epidauriorum, *qui intra* Argiuorum *fines ſunt.* Cùm *enim* Legati *ab* Epidaurijs *publicè in* Coon *inſulam ad* Aeſculapiũ *miſſi, ad*

hanc

hanc agri Laconici *oram appuliſſent, ſomnijs quibuſdã mo nitos, ſedem eo in loco ſtatuiſſe memorant.* Quin *anguem etiam quem ſecum* Epidauro *abduxerant, è naui elapſum, in mare ſe demerſiſſe: quare & uiſis per quietem, & eo prodigio adductos ibi conſtitiſſe, & ſibi oppidum cõmuniſſe.* Extant *quo loco ſe è conſpectu anguis eripuit, aræ* Aeſculapio *dedicatæ inter ſponte enatas oleas.* Progreſſi *ad dexteram ſtadia circiter duo aquã uideant, quæ* Inûs *dicitur: palus eſt parua, qua lata eſt: qua uerò ſubſidit, altè deſcendens.* In *eam feſto* Inûs *die ſolenne eſt panificia porricere: ea ſi demergantur, ſecunda ei qui porrecerit promitti autumant: contrà uerò aduerſa, quoties illa aqua reiecerit.* Eandem *habere portendendi uim dicũtur* Aetnæ *montis crateræ: abijciũt enim in eas homines cùm ſigilla argentea & aurea, tum uerò cuiuſuis generis uictimas: ea ſi abſumpſerit ignis, læta ſibi nunciari: contrà ſi regeſſerit, male euenturum ei à quo illa miſſa fuerint interpretantur.* Prope *uiam, quæ* Bœis *ad* Limeran Epidaurum *ducit, in* Epidauriorum *finibus* Dianæ Limnatidis *delubrum eſt.* Oppidum *ipſum non procul à mari in eminenti loco ſurgit.* Quæ *ſpectentur digna illic ſunt,* Veneris *fanum, &* Aeſculapij, *in quo ſimulachrum marmoreum ſtantis habitu: tum in arce* Mineruæ *ædes, & ad portũ* Iouis *cognomento* Seruatoris. Promontorium *in pelagus ſub ipſa urbe excurrit, cui nomen* Minoa. Sinus *qui hac in parte portum efficit, nihil ille quidem à cæteris differt maris in* Laconiæ *latus irruptionibus.* Litus *quidem ipſum calculis abundat, figura & colorum uarietate ſpecioſis.* Ab Epidauro *ſtadia fermè* c. Zarax *abeſt: hæc ora portum habet ualde appellentibus idoneum.* Sed *enim ex omnibus* Eleutherolaconum *ciuitatibus hæc in primis magnis afflicta eſt cladi-*

bus:nam et Cleonymus Cleomenis filius Ageſipolidis nepos, hoc unum Laconici nominis oppidũ deleuit. De Cleonymo, quæ res poſtulauit, alio loco diximus. Ad Zaraca aliud quidem nihil inſigne eſt: in portus duntaxat extremis finib. Apollinis delubrũ eſt, & ſimulachrũ citharã tenens. Hinc ad mare ſtadia circiter VI. *progreßis, atq; inde ad mediterranea reuerſis ſtadia propè* X. *Cyphantũ (ſic enim populi illi ſunt appellati) ruinæ ſe oſtendũt: & inter ea Stethæũ Aeſculapij fanum cum ſimulachro marmoreo. Eſt ibidem ſaliens frigidißimæ aquæ è ſaxo prorumpentis: Atalantam à uenatione ſiti laborantem, cùm ſaxum illud cuſpide percußiſſet, aquam elicuiſſe ferunt. Braſiæ extremum hac in parte Eleutherolaconum ad mare oppidum eſt: diſtat à Cyphantibus ſtadia* CC. *nauigatione. Incolæ ea ſermonibus uulgarũt quæ neutiquam alij Græcorum populi cõfitentur. Semelen quidem Ioui Liberum Patrem peperiſſe, à Cadmo uerò deprehenſam cum puero recens nato in arcam coniectam, eam arcam æſtu iactatam, in fines ſuos expoſitam: ibi Semelen, quæ iam mortem obierat, à ſe magnificè ſepultam, ſuperſtitem puerum educatum: eam fuiſſe cauſam, quòd urbs ſua, quæ ad illud uſq; tempus Oreatæ appellata fuerat, iam mutato uocabulo Braſiæ dicerentur, ſumpto nomine ab arcæ in eam oram appulſu, quandò ætate etiam noſtra quæ maris æſtu ad terrã deferuntur,* ἐκβράττω, *id eſt, maris agitatione propelli à multis dicuntur. Addunt et alia huiuſmodi Braſiatæ: Inò profugam in agrum ſuum ueniſſe, ibi Liberum Patrem alendum ſuſcepiſſe. Antrum monſtrant ubi illa infantem enutrierit, & campum appellant Bacchi hortũ. Templa illic ſunt, Aeſculapij unum, Achillis alterum. Solennes etenim ludos Achilli faciunt. Eſt Braſijs paruum & molliter in mare*

excurrens

excurrens promontorium: in eo ſigilla pileata uideas nihilo pedalibus maiora, non facilè dixerim Caſtorúm ne, an Corybantum ea nominibus ſanxerint. Tria certè ſunt ea figura, quibus quartũ accedit Mineruæ ſimulachrum. Ad Gythijs dexteram Las eſt citra mare ſtadia x. procul à Gythio x l. Habitatur nunc oppidum in medio montium trium interuallo, Ilij, ſic enim ex ipſis unum appellant, Hamæ, & Cnacadij. Priſcis quidem temporibus in Aſiæ montis uertice ſitum fuit, cuius hac ipſa etiamnũ ætate ruinæ monſtrantur, & ante muros ſignum Herculis, & de Macedonibus erectũ trophæum. Pars fuit ea Philippi copiarum, cùm in Laconiæ ille fines inuaſit. Palantes hi à cætero exercitu digreſsi, oram infeſtam populationibus reddiderant. Inter eas ipſas ruinas templũ extat Mineruæ cognomento Aſiæ. Pollucẽ & Caſtorem erexiſſe tradunt, quo tempore è Colchica expeditione reduces reuerterunt. Fuiſſe uerò & Colchis Aſiæ Mineruæ fanũ. Profectos quidem cum Iaſone Tyndarei filios ſatis habeo cognitũ: quòd uerò Mineruã Aſiam Colchi colant, id ſcilicet à Lacedæmonijs acceptum ſcribo. Prope urbem eam, quæ nunc incolitur, aqua eſt, quam à colore Cagaconem nominant. Proximũ illi aquæ gymnaſiũ, in quo priſcum Mercurij ſignũ. In eo monte quod Ilium diximus appellari, delubrum eſt Liberi Patris, et in ſummo iugo Aeſculapij. In Cnacadio Carneus Apollo. A Carneo ſtadia plus minus triginta abeſt uicus intra ipſos iam fines Spartanorũ, Hypſus nomine, ubi ſunt Aeſculapij et Dianæ ædes, Daphneæ cognomento. Ad mare in promontorio Dianæ eſt ædes Dictynnæ, cui feſtos quotãnis dies agitãt. Ad dexterã promontorij exit in mare amnis, dulcẽ potantib. aquã, ſi quiſquã alius, fundens: habet fontes ſuos in Taygeto monte. Prope abeſt haud plus

v. *ſtadia in uico, cui Araeno nomẽ, Laẽ ſepulchrũ, & ſuper monimento ſtatua. Ab eo oppidum conditum tradunt incolę, interemptũ uerò ab Achille, quem huc ueniſſe credunt, cùm à Tyndareo Helenam ſibi depoſceret. Atenim uerius quis dixerit Lan à Patroclo interfectum, cùm unus hic fuerit de Helenæ procis. Nam Achillen Helenam nunquam petiſſe, ut leue habeatur argumentũ, quòd in eo carmine, quo illuſtres fœminæ enumerantur, nulla ſit Achillis mentio: Homerus certè in ipſo ferme operis ſui initio, Achillen ſcripſit, pro ſuo in Atrei filios ſtudio, nõ Tyndarei ſacramento ullo adactũ, ad Troiã ueniſſe. Iam uerò idem poëta quo loco ludos exponit, dicentẽ facit Antilochũ, natu eſſe ſe grandiorẽ Vlyſſen, ac ipſum Vlyſſen dum quæ apud inferos uiderat narraret Alcinoo, inter cætera uidere ſe uoluiſſe Pirithoum & Theſeum, uiros ætate ſua ſuperiores. Et Helenã quidem à Theſeo raptam ſcimus, quo fit ut quadrare neutiquã poſſit, Achillem unũ de Helenæ procis fuiſſe. Progreſſi longius à monimento, fluuiũ uideant in mare influentem, cui Scyras nomẽ: ſine nomine antè fuerat, hoc uerò nominis tum accepit, cùm illũ claſſe intrauit Pyrrhus Achillis filius ad Hermiones nuptias è Scyro proficiſcens. Trans amnẽ eum uetus delubrũ eſt orſum ab ara Iouis. Interior à mari* XL. *ſtadia à flumine recedit Pyrrhichus oppidum, ab eodem Pyrrho Achillis filio nuncupatum, non defuerunt qui dicerent: alij uerò ab uno de Curetum deorum numero. Sunt etiam qui Silenum è Malea profectum, hic habitaſſe dicant. In Malea quidem educatũ Silenum declarant hi uerſus è Pindari cantico:*

Ille ſtrenuus choreis
Quem Maleæ ciuis & uir
Naidis aluit Silenus.

Quòd

Quòd uerò Silenus Pyrrhichi ſit nomine appellatus, nuſpiā dixit Pindarus: eius rei Maleæ incolæ autores fuere. In ipſo Pyrrhichi foro puteus eſt: monſtratum ſibi à Sileno aiunt, quòd ſi puteus is exareſceret, aquæ penuria ualde laborarent. Habent Pyrrhichij intra fines ſuos templū Dianæ Aſtrateæ. cauſa nominis, quòd Amazonū exercitū hoc aiunt in loco progrediendi finem feciſſe: & Apollinis eadem de cauſa Amazonij. Vtriuſq; dei lignea ſigna ſunt: dedicaſſe dicuntur fœminæ quæ à Thermodonte uenerunt. A Pyrrhicho ad mare deſcendentes Teuthrone oppidum excipit: conditorem produnt incolæ Teuthrantē Athenienſem. Colunt hi præ cæteris dis Iſſoriam Dianam. Fontem habent Naian. A Theuthrone ſtadia procul c l. excurrit in mare Tænarū promontorium, & infrà portus Achillis: & Pſamathûs in ipſo monte templum eſt ſpeluncæ perſimile, in cuius primo aditu Neptuni ſignum. Hinc Græcorum nonnulli uerſibus prodiderunt ab Hercule Plutonis canem extractum, cùm neq; meatus omnino ullus per eam ſpecum ſubter terram ſubeat, neq; ueri omnino cuiquam ſimile uideri poßit deorum ulla eſſe ſubterranea regna, quô animi conueniant, è uita cùm exceſſerint. Hecatæus quidem Mileſius rem non abſurdam cōmentus eſt: in ea cauerna immanem ac tetrum ſerpentem luſtrum habuiſſe, qui ſit idcirco inferorum canis dictus, quòd quem morſu impetiſſet, ſubita eum ueneni ui mori ſtatim neceſſe eſſet. Eum ſerpentem ab Hercule ad Euryſtheum pertractū. Homerus uerò (is enim primus Ditis canem, quem Hercules extraxiſſet, appellauit) neq; nomen ei proprium impoſuit, neq; de eius figura quicquam eſt fabulatus, uti de Chimæra. Poſteriores & Cerberū appellarunt, & cùm cætera cani feciſſent ſimilem, tria dixerūt capita ha

bere, cùm tamen Homerus ut homini ſamiliare animal canem dixit, ſic qui draco fuiſſet inferûm canẽ appellaſſe uideri poßit. In Tænaro et alia ſunt ſacra monimenta, & Arion citharœdus delphino inſidens. De Arione quidem et delphino, quæ audierat, retulit Herodotus, ubi res geſtas Lydorũ exponit. Ego ſanè ad Emporoſelenem delphinum uidi, qui puero, à quo ſanatus fuerat cùm à piſcatoribus uulnus accepiſſet, quaſi mercedem curationis penderet, dicto ſe audientem præbebat, & eundem quocũq; ille iußiſſet dorſo transuehebat. Eſt in eodem Tænaro fons, qui nihil iam, quod cum admiratione intueamur, habet: olim introſpicientibus portus & naues aiunt ſpectandas præbuiſſe. Aquæ miraculum illud fœmina quædam ſuſtuliſſe dicitur, cùm in ea pollutam ueſtem abluiſſet. Ab ipſo promontorio mari ſtadia circiter XL. præteruectos, oppidum excipit Cænopolis, Tænarum antè appellatum. Eſt in eo Cereris fanum, & ad mare Veneris ædes, & eiuſdem deæ ſtantis habitu ſignum è marmore. Illinc digreßis ſtadia procul XXX. Tænari uertex, Thyrides, id eſt, Feneſtræ dicuntur, & Hippolæ urbis ruinæ monſtrantur. Inter eas Mineruæ Hippolætidis ſacellum extat. Non magno abeſt interuallo ciuitas Meſſa & portus, à quo ad Oetylum ſtadia interſunt C L. Heros à quo ciuitas nomẽ habet, ortu Argiuus fuit, Amphianacte Antimachi filio genitus. Sunt in Oetylo quæ ſpectentur digna Sarapidis templum, & in ipſo foro Carnei Apollinis ſimulachrum. Ab Oetylo ad Thalamas uia in longitudinem ſtadia propè LXXX. patet. In uia Inûs fanum & oraculum uiſitur: in eo futura dormientes prouident: conſulentibus enim per ſomniorum uiſa quæ opus eſt dea denunciat. Erecta ſunt ex ære ſigna in ea fani parte quæ ſub diuo eſt, Paphiæ unum, Solis alterum

alterum. Quod in delubro ipſo eſt, non ſatis ſe illud apertè oſtendit, coronamentis omni ex parte uelatum: ex ære & ipſum eſſe dicunt. Fluit è ſacro fonte ſuauis hauſtu aqua, Lunæ nuncupant. Thalamatis Paphia non eſt utiq; patriũ numen. Diſtat à Thalamis ſtadia xx. Pephnos maritima ciuitas. Parua adiacet inſula nihilo omnino ingenti ſaxo maior: ei quoq; Pephnos nomẽ eſt. In ea Caſtores primùm in lucem editos Thalamatæ memorant, quod ipſum in cantico quodam ſuo dixiſſe Alcmanem, me certè non fugit. Enutritos quidem Pephni negant, ſed à Mercurio Pellanam deportatos. In ea tam puſilla inſula ſub diuo ænea ſunt ipſorum Gemellorum ſigilla, nihilo pedalibus maiora: ea, etſi hybernis undis uehementer ſaxum uerberatur, loco tamen nihil mouentur, quod miraculo quidem eſt: & illud ferè haud multò minori, quòd formicæ conſpiciuntur uulgaribus albicante colore diſsimiles. Eam inſulam ſuorum fuiſſe olim finium contendunt Meſſenij, eapropter Gemellos ipſos maiore ſe quàm Lacedæmonios propinquitate attingere. A Pephno ſtadia xx. abſunt Leuctra. Quæ ciuitati nominis origo, nõ habeo dicere. quòd ſi à Leucippo, uti Meſſenijs placet, Perieris filio nuncupata eſt, hoc illud eſſe arbitror, quòd præ Dis cæteris Aeſculapiũ colunt, cùm Arſinoë Leucippi filia natũ putent. Marmorea ſunt cùm Aeſculapij ipſius, tum Inûs diuerſa in parte ſigna. Aedes ibi erecta eſt Caſſandræ Priami filiæ, cuius ſimulachrum ab incolis Alexandræ nomine colitur. Sunt & Apollinis Carnei ſigilla: huic enim deo honorẽ, ritu eodem habẽt, quo è Lacedæmonijs Spartiatæ. Leuctris in arce, Mineruæ templũ et ſimulachrũ eſt: Cupidinis in ipſo oppido ædes, et lucus, qui perenni aqua hyeme irrigatur. Folia uere ex arborib. quæ decidunt, ne exuberante quidem

aqua aliò deſeruntur. Quod uerò in maritima Leuctrici agri parte noui accidiſſe ætate mea, ſcribere non grauabor. Immiſſus in ſyluam ignis uentorum ui, magnum arborũ numerum exuſſit. In ea tunc parte quæ ſtirpibus maximè erat denudata, repertum eſt Ithomatæ Iouis ſignum ita locatum, uti quæ dedicantur locari ſolent: eo maximè teſtimonio nituntur Meſſenij, dum Leuctra cõtendunt olim ad fines ſuos pertinuiſſe. Sed nihil omnino prohibet, quin ut priſcis etiã temporibus Leuctra Lacedæmonij tenuerint: ab ipſis potuerint Ithomatæ Ioui honores haberi. Cardamyle quidem, cuius fecit mentionem Homerus, ubi dona pollicentem Agamemnonem facit, Lacedæmonijs paret, cùm à Meſſenijs eam ſeiunxerit Cæſar Auguſtus. Propè abeſt à mari Cardamyle ſtadia VIII. *Leuctris* LX. *Eſt ad Cardamylen in ipſo litore ſacer Nerei filiarum lucus: in eum enim locum Nymphas è mari narrant prodijſſe, ut Pyrrhum Achillis filiũ ad Hermiones nuptias Sparta contendentem ſpectarent. In ipſo oppido Mineruæ ædes eſt, & Carneus Apollo, quem patrio Dorienſium ritu uenerantur. At quam urbem Enopen Homerus appellat, & ipſa Meſſenici nominis eſt: facit autem nunc cum Eleutherolaconibus, ætate noſtra Gereniam nominant. In ea Neſtorem ſunt qui educatum dicant, alij uerò huc confugiſſe capta ab Hercule Pylo. Gereniæ Machaonis Aeſculapij filij monimentum, & eiuſdem religione nobile fanum uiſitur: nam & ab ipſo Machaone morbis hominum medelas monſtrari putant. Sacram ei regiunculam Rhodon nuncupant. Simulachrum eſt ex ære ſtatu recto: caput corona uelatur, quam Ciphon patria lingua uocãt Meſſenij. Interfectum ab Eurypylo Telephi filio dixit Machaonem, qui carmina ea fecit, quæ Ilias parua dicitur. Quare non ab re*

illud

illud in ſacris, quæ Pergami in Aeſculapij fiunt, ſeruari ſcio, ut cùm hymnos à Telepho exordiantur, nihil Eurypylo laudationis impertiāt, quin et illum in eo templo nominari nefas habent, quòd ſcilicet eum ſciant interfectorem Machaonis fuiſſe. Oſſa quidem Machaonis à Neſtore ſeruata dicunt. At Podalirium, cùm Ilio deleto redirent Græci, tempeſtate Syron, quæ in cōtinenti Cariæ urbs eſt, incolumen delatum, ibi conſediſſe tradunt. In Gereniorum agro mons eſt Calathion, & in eo Clææ ſacellum, cui ſpecu proximū, anguſto admodū aditu: ſed qui introierint, multa quæ admirentur, ſpectare poſſunt. A Gerenia ad ſuperiora iam mediterranea XXX. *procul ſtadia uenientes, excipit Alagonia oppidulum. Fuit aliquando & hæc una de Eleutherolaconū ciuitatibus. Quæ ibi ſpectentur digna, ſunt Liberi Patris & Dianæ templa.*

PAVSANIAE MESSENICA, SIVE LIBER QVARTVS.

MEſſenij regionis ſuæ, ab ea parte quam ad Laconas pertinere Rex uoluit, ad Gereniā fines habent, qui ſaltus nūc Chœrius dicitur. In hac primos incolas uicatim habitaſſe proditū eſt. Mortuo aūt Lelege, qui in ea Græciæ parte, quæ nunc Laconica dicitur, ab eo uerò tunc Lelegia appellabatur, imperauit, è filijs natu maior Myles ei in regnū ſucceſſit. Polycaon, quòd erat minor, priuatā egit uitam ad illud uſq; tempus, quo Argiuam uxorem duxit Meſſenen Triopæ filiam, Phorbantis neptem. Ea, patris dignitate & opibus, quibus ille tunc præ

cæteris Græcis maximè florebat, elata, uirum in ordinē redactum perpeti nō potuit. Comparatis itaq; ab Argis et Lacedæmone auxilijs, in hāc ipſam regionē Polycaon inuaſit, deq́; uxoris nomine Meſſenen uniuerſam nominauit. Vrbes uerò & alias cōdidit, et in qua regni ſedem eſſe uoluit, Andaniam. Nam antequā Thebani ad Leuctra prœliū cum Lacedæmonijs cōmiſiſſent, atq; inde Meſſenen, quæ hac etiam ætate extat, ſub Ithome cōdidiſſent, nullam omnino exiſtimo urbem eo nomine nuncupatam. Adducor autem non minimum Homeri uerſibus. Nam cùm ille in populis enumerandis, qui ad Ilium ſuos quiſq; duces ſecuti uenerunt, Pylon Arenen, & alias nonnullas recenſens, nullam prorſus Meſſenes mentionē fecit. Satis uerò apertè idem in Odyſſea, populum fuiſſe, non ciuitatem unam, Meſſenios ſignificat:

Nam pecus ex Ithaca rapuit Meſſenia pubes.

Apertius uerò ubi de Iphiti arcu loquitur:

Meſſenen conuenit uterq; ſub tecta Ortilochi.

Ortilochi domū in Meſſenia paruum oppidum Pheras innuit, quod ipſemet exponit, quo loco de Piſiſtrati ad Menelaum aduentu agit:

Iam Pheras ueniunt magni ſub tecta Dioclis,
Qui ſatus Ortilocho.

Primi igitur huius regionis imperium Polycaon Lelegis filius, & uxor eius Meſſene tenuerunt. Ad hanc ipſam Meſſenen Magnarum dearum initia Caucon Eleuſine ueniens deportauit. Fuit Caucon Cleni filius, Phlyi nepos. Phlyum ipſum Athenienſes è Terra genitum memorant, quibus facilè aſſentitur Muſæi hymnus Lycomidis, factus in Cererē. Magnarum uerò dearum initia, multis poſt Cauconem annis, Lycus Pandionis filius quam auguſtiſſima, quamq; celeberrima

rima ut eſſent effecit. Lucum hac etiam ætate Lyci nominant, ubi ille antiſtites myſteriorū luſtrauit. Et eſſe in Meſſenico agro Lyci ſaltū, teſtatur eo uerſu Cretenſis Rhianus:

Horrentemq; Lyci ſaltum, iugaq; aſpera Elæi.

Quòd autem Pandionis Lycus fuerit filius, qui ſunt ad Methapi effigiem uerſus apertè declarant: nam & Methapus quoſdā initiorū ritus reformauit. Fuit hic quidem Athenienſis patria, initiorū, opertorumq;, & cuiuſuis modi ſacrorū deſignator. Idem uerò & Cabirorū Thebanis initia conſtituit, & iuxta Lycomidarum ſeptum imaginem cum inſcriptione dedicauit. Ea inſcriptio cùm alia, tum in primis quæ ad Methapum pertinent teſtatur:

Mercurijq; uias luſtraui, ac tecta parentis:
Primigenæ populis monſtraui ſacra puellæ:
Hic ubi Magnarum inſtituit ludicra dearum
Meſſene, Phlyus Clenum, Cauconaq; Clenus
Quæ docuere patres, mirum mihi contigit illud,
Cuncta Lycus quare priſco Pandione cretus
Andaniam magnis portarit myſtica Athenis.

Indicat inſcriptio, ad Meſſenen ueniſſe Cauconem Phlyi nepotem. Alia præterea de Lyco, & illud in primis, ueterem initiorum ſedem Andaniam fuiſſe. Et conſentaneum ſanè mihi uidetur, Meſſenen & Polycaonem, in qua urbe ſuam ſibi regiam poſuiſſent, in eadem ſacrorum etiam religionem cōſtituere uoluiſſe. Equidem non mediocre adhibui ſtudium, ut diſcerem, ecquinam Polycaoni è Meſſene liberi geniti eſſent. Euolui itaq; & librū quæ magnæ Eoæ inſcriptæ ſunt, & Naupactia carmina omnia, præterea quæ uerſib. Cinæthon, & Aſius de Gentilitatibus perſcripſerūt, neq; omnino quicq̄ huc quod pertineret cōperi. Nam cùm magnæ teſten-

tur Eœæ, cum Polycaone Butæ filio fuiſſe nuptam filiã Hylli Herculis filij Euæchmen, in illis certè nulla prorſus uel de Meſſenes uiro, uel de ipſa Meſſene mentio. Iam uerò ætatib. ferme quinq; (uti mea fert opinio) exactis, cùm nullus iam omnino de Polycaonis poſteris eſſet ſuperſtes, accerſitum aiunt in regnũ Meſſenij Perierem Aeoli filiũ: ad eum ueniſſe Melaneũ præſtantem arcu & ſagittis uirum, quiq; ob artis eius excellentiam ab Apolline genitus credebatur. Huic à Periere partem eam regionis attributam, quæ Carmaſium nunc, Oechalia tunc dicta eſt, accepto ſcilicet ab uxore Melanei nomine. Theſſali uerò & Eubœenſes (ut omnis fermè eſt de Græciæ rebus controuerſa hiſtoria) ita inter ſe diſſident, ut illi Eurytium (uicus eſt hic ætate noſtra propè deſertus) Oechaliam priſcis temporibus urbem dicant fuiſſe. Ab ijs quæ hac de re ſunt Eubœenſium ſermonibus prodita, nihil ferè diſſentit Creophylus in Heraclea ſua. At Mileſius Hecatæus, in Scio Eretrici agri patrem Oechaliam eſſe ſcripſit. Verùm Meſſenij cùm alias ob rationes probabiliora quàm cæteri mihi dicere uidentur, tum in primis ob ea quæ de oſsibus Euryti poſterius cõmemorabimus. Perieri geniti ſunt è Gorgophone Perſei filia Aphareus & Leucippus. Hi patre mortuo in Meſſenia regnarũt: autoritate tamen ſuperior fuit Aphareus. Hic dum regnaret, Arenen urbem condidit, nomenq; ei impoſuit à filia Oebali uxore ſua, & eadem ſorore, ex una & eadem matre genita: etenim cũ Oebalo nupta fuit Gorgophone. Ac his quidem iam de ea nobis ſermo fuit in ſuperioribus libris ijs, quos de Argolica et Laconica terra cõſcripſimus. Hic ipſe itaq; Aphareus & urbẽ in Meſſenia Arenen cõdidit, et Neleum Crethei filiũ, Aeoli, qui cognomento appellatus eſt Neptunus, nepotem, patruelem

Hiſtoria q.

lem ſuũ, Peliæ *ex* Iolco *minas fugientem, domo recepit ſua, & agri ei partem maritimã aßignauit: qua in parte & aliæ erant urbes*, et Pylos, *in qua regiam ſuam conſtituit* Neleus. Venit *autem* Arenen *&* Lycus Pandionis *filius, quo tempore & ipſe* Aegei *fratris ſui metu* Athenis *profugit: atq; hic quidem* Magnorũ *deorum* Orgia Aphareo,*& eius liberis, et* Arenæ *uxori* Andaniam *deportata tradidit,id ſcilicet ſecutus,quòd eodem in loco* Meſſenen Caucon *initiauerat.* Aphareo *filij duo fuere:* Idas *natu maior,& uirtute præſtantior,minor* Lynceus. *Is(ſi cui credi poßint quæ* Pindarus *dixiſſe uideatur) oculis fuit tam perſpicacibus,ut in quercetis per medios arborũ truncos cerneret.* Hic *an liberos reliquerit compertũ nõ habeo:* Idas *quidem filiã habuit* Cleopatrã *ex* Marpeſſa, *quæ* Meleagri *uxor fuit: quamuis eam quam* Meleager *duxit,qui* Cypria *fecit carmina,*Proteſilai *fuiſſe filiam dixerit,eius nempe,qui appulſis ad* Troiam Græcis,*in terrã primus deſcendit.*Huius *uxorẽ* Polydorã *fuiſſe: ex ea filiã genitam,quæ* Meleagro Oenei *nupſerit. quod ſi ita eſt, tres à* Marpeſſa,*perpetua ſerie,amißis uiris ſemetipſas iugularunt.* Atenim *poſteaquã* Apharei *liberi cum gemellis patruelibus ſuis de pecore dimicarunt,&* Lynceum Pollux occîdit, Idas *uerò fulmine ictus fato ſuo perfunctus eſt,* Apharei *domus tota maribus omnibus cõſumptis deleta eſt, tunc* Meſſeniorum *imperium ad* Neſtorem Nelei *filium delatũ, penes quẽ cùm cætera omnia, tum uerò quæ* Idæ *regno continebantur,fuerunt,ijs tamen populis exceptis, quibus* Aeſculapij *liberi, imperarunt.* Aeſculapij *enim filios è* Meſſenia *tradunt ad obſidendã* Ilion *ueniſſe:natũ ſiquidem* Aeſculapium. Arſinoë Leucippi *filia,non* Coronide. Ac Triccam *ſanè deſertum quendam in* Meſſenia *uicũ appellant:uerſus*

Homeri in teſtimoniū afferunt, quibus Machaonem Neſtor ſagittà percuſſum ſolatur: neq; enim, inquiunt, tantam omnino beneuolentiæ ſignificationem illi dediſſet, niſi & uicini, & gentilis caſu regis commotus fuiſſet. Confirmantur hæc quæ de Aeſculapij liberis dicuntur, quòd & Machaonis monimentum Gereniæ oſtenditur, & Pheris fanum Machaonis liberûm. Iam uerò cōfecto bello Troiano, cùm diem ſuum poſt reditum Neſtor obiſſet, reduces poſtliminio Dorienſes cum Herculis liberis duabus pòſt ætatibus è Meſſenia Nelei poſteros eiecerunt. Porrò hæc quaſi cumulus quidem eorum fuerint, qui ad Tiſameni res pertinuerunt. Verùm & illud reſtat exponendum. Cùm Temeno Dorienſes Argos aſſignaſſent, ab illis Creſphontes terram ſibi Meſſeniam depopoſcit, quippe qui Ariſtodemo natu fuit maior: Ariſtodemus enim ipſe è uita iam exceſſerat. Theras uerò Auteſionis filius maiorem in modum Creſphonti aduerſabatur, Thebanus ille quidē, Polynicis Oedipi filij atnepos: tutelam enim is tunc Ariſtodemi filiorū gerebat, quòd eorum erat auunculus: uxorē ſiquidem duxerat Ariſtodemus Auteſionis filiam nomine Argian. Cupiebat Creſphontes Meſſeniam ſibi aſſignari, quare Temenum rogat rem ut ſorti committat. Ille in ſitulam, cùm eam iam aqua compleſſet, ſortes mittit, re ita conſtituta, ut ſors utra prior exiſſet, illi Meſſenia adiudicaretur: ac ſubdolè quidem Ariſtodemi liberûm ſortem è ſiccata ſole argilla, Creſphontis è coctili laterculo fecit: quo factum eſt, ut illa ſoluta, hæc conſtiterit, & per eam Creſphonti Meſſenia obtigerit. Neq; uerò priſci Meſſenij à Dorienſibus eiecti ſunt, nam facilè illi & Creſphonti nouo regi paruerunt, & Dorienſes in agri partem receperunt, atq; eo libentius, quòd inuidioſa iam erat apud ipſos

regum

regum ſuperiorũ potentia, qui erant ab Iolco *oriundi.* Vxo*rem uerò* Creſphontes Meropen *duxit* Cypſeli *filiam* Arca*dum regis, è qua cùm alios ſuſcepit filios, tum uerò qui natu minimus fuit,* Aepytum. *Ac ſibi quidem & liberis regiam* Stenycleri *exædificauit, cùm antè reges alij ab initio, & ipſe etiam* Perieres, Andaniæ *habitaſſent: poſtea uerò quàm* Arenen *muniuit* Aphareus, *in ea cum liberis imperij domicilium habuit.* At Neſtori, *eiusq́; poſteris,* Pylos *regia fuit.* Po*ſtremò* Creſphontes Stenycleri *regẽ habitare uoluit.* Hunc *potentiores, quòd populariter nimis plebẽ eſſet amplexus, eiusq́; liberos, præter* Aepytũ, *occiderunt: ſolus enim* Aepy*tus, quòd apud* Cypſelum *maternum auum educabatur, parenti & fratribus ſuperſtes fuit. Illum iam adoleſcentem* Ar*cades in* Meſſeniorum *regnum, & unà cum* Arcadibus Do*rienſiũ reges, &* Ariſtodemi *filij* Simus *et* Temenus, *reſtituerũt.* Aepytus *paterno regno recepto patris primùm interfectores, quiq́; eius fuerãt cædis autores, ultus eſt: deinde conciliata ſibi obſequijs nobilitate, plebe largitionib. delinita, cò peruenit honoris, ut* Epytidæ *poſteri iam omnes appellati ſint, cùm antè* Heraclidæ *dicerentur. Huius filius* Glaucus *à patre accepto imperio, par illi fuit in omnes ordines officio et æquitate, deorũ uerò cultu multò ſuperior. Etenim cùm in* Iouis *fano, quod in* Ithomes *uertice fuit, apud* Doriẽſes Po*lycaon &* Meſſene *non colerentur,* Glaucus *illi ut ſui haberentur honores inſtituit. Idemq́;* Machaoni Aeſculapij *filio in* Gerenia *rem diuinã fecit, &* Meſſenæ Triopæ *filiæ ſolita heroibus decerni munera dedicauit. Cuius pietatẽ* Iſthmius *eius filius imitatus,* Gorgaſo & Nicomacho Pheris *templũ erexit.* Iſthmio Dotadas *genitus, qui ad cætera naualia quæ tunc in* Meſſenia *fuerunt, unũ* Methonæ *muniuit. Succedit*

Dotadæ filius Sybotas: is ut reges Pameſo amni anniuerſaria ſacra facerent iuſsit, et ut ante Magnarũ dearũ, quæ ipſo etiã regnante Andaniæ celebrabantur initia, Euryto parentarent. Iam uerò Phinta regnante Sybotæ filio, Apollini primùm Meſſenij ſacrum, & uirorum chorum Delon miſerũt. Iis canticum, quo Deũ ſalutarent (Proſodium appellant) fecit Eumelus: & hæc certè carmina ea ſunt quæ ſola Eumelũ feciſſe pro comperto habetur. Huius ipſius Phintæ temporibus diſcordiarum ſemina (incertum quanam ex cauſa) inter Meſſenios & Lacedæmonios extitere. Cauſa tamen huiuſmodi memoriæ prodita eſt. In Meſſeniorum finibus Dianæ Limnatidis cognomento templum fuit, commune Dorienſibus, Meſſenijs, & Lacedæmonijs, nulli præterea ciuitati. Ad illud templum miſſas à ſe de more uirgines uiolatas à Meſſenijs Lacedæmonij cõmemorant, ac regem etiam ſuum Teleclum Archeladæ filium, Ageſilai nepotem, Doryſſo, Labota, Echeſtrato, Agide, proauis oriundum, iniuriam propulſare conantem, interemptum: ipſas quidem uirgines dedecus uoluntaria morte redemiſſe. At Meſſenij longè diuerſa fama uulgarunt. Ad templum uenientibus primoribus à Teleclo inſidias factas. Nam cùm Meſſeniã Lacedæmonij propter agri bonitatem in primis appeterent, diſpoſuiſſe illum impuberes in morem uirginum ornatos, cum pugionibus, qui illos ex improuiſo ſedentes adorirentur: ibi Meſſenios ad uim arcendam accurriſſe, & cùm Teleclũ ipſum, tum uerò impuberes omnes illos occidiſſe: Lacedæmonios quidem, quòd eſſet facinus publico conſilio patratum, conſcios à ſe iniuriam profectam, neq; res unquam repetiſſe, neq; regis ſui cædem ut ulciſcerentur in animum induxiſſe. Hæc ab utriſq; prodita ſunt: credat uerò quiſque proinde ac in alterutram

rutram ſit ſtudijs ciuitatẽ propenſior. Poſt hæc, *exacto fer mè ſeculo uno,* Alcamene Telecli *filio* Spartæ *imperãte, ex altera uerò regia familia* Theopompo Nicandri *filio, qui per poſteritatis gradus* VI. *à* Charillo, Polydecte, Ennomo, Prytanide, Eurypontc *deſcendit, in* Meſſenijs *uerò* Antiocho Androclis *filio,* Phintæ *nepote, utriuſq; populi ſimultas in apertum bellum erupit. Priores* Lacedæmonij *arma cepere. Cauſa fuit eiuſmodi, ut ad permouendos pacatos etiam & integros animos, nedum odio corruptos, & exulceratos, & qui in belli cupiditatem iam plus nimio incubuerant, grauis, & ipſa rei quaſi figura æqua uideri potuerit: iure tamẽ & diſceptatione controuerſiam omnem dirimere non fuiſſet difficillimum futurum. Res ita propémodum geſta eſt.* Polychares *quidam* Meſſenius *fuit, cùm cætera minimè obſcurus, tum uerò* Olympica *palma nobilitatus: quarta enim* Olympiade, *cùm* Apud Eleos *unicum eſſet de ſtadio certamen, uictor renunciatus eſt. Is boues habuit multas, quibus alendis cùm propria non ſuppeditarent paſcua, locauit eas* Spartano *homini* Euæphno *in ipſius agro paſcẽdas ea mercede, ut eſſet fœturæ particeps. Erat eiuſmodi uir ille, ut perfacilè quæſtui fidẽ poſthaberet. Is in* Laconiã *nauibus ueniens, pecus mercatorib. uenũdedit, atq; inde quaſi inopinatæ rei nũcius ultro ad* Polycharen *uenit, prædones excurſione in eum agrum compaſcuũ facta, boues ſibi illas per uim, & ſimul bubulcos abegiſſe. Quæ cùm propè iam* Polycharæ *perſuaſiſſet, interuenit his ſermonibus de bubulcis unus, qui à mercatoribus aufugerat. Hic* Polycharen *apud dominum acerbè expoſtulans redarguit: at ille cùm pernegare non poſſet, ad preces confugit, ſupplexq; id ſibi ut ignoſceret cùm* Polycharen *ipſum, tum eius filios rogabat: (ma-*

gnam enim uim in hominum natura cùm alia habent multa, tum nihil eſt lucri cupiditate ad animos cogendos ualentius. Indicauit Euæphnus quanti boues uenditæ eſſent, ac ſe precium repoſiturũ, ſi Polycharis filius ſecum iſſet, repromiſit. Cum eo itaq; à patre iuuenis miſſus eſt. In Laconiã ubi uentum eſt, fœdius multò addidit ille ſceleri ſcelus: adoleſcentem enim interfecit. Eius rei immanitate grauiter (uti par fuit) commotus Polychares, Lacedæmonem ueniens, ad reges & Ephoros de filij cæde aſsiduè multisq; cum lachrymis querebatur: exponebat inſuper quas ab eo homine, quem ſibi hoſpitem aſciuerat, cuiq; præ cunctis Lacedæmonijs fidem habuerat, iniurias accepiſſet. Verũ cùm eadem apud omnes magiſtratus iterando nihil omnino ad rei pœnã profeciſſet, iam mentis parum compos, furoriq; ſuo nimio plus indulgens, in quencunq; incidiſſet Lacedæmoniorũ, eum tanquã hoſtem morte multabat. Eius belli itaq; cauſas Lacedæmonij præ ſe ferunt, tum quòd Polychares ſibi deditus nõ eſſet, tum quòd Teleclũ oppreſsiſſent: poſtremò quòd ſimultates cũ Meſſenijs haberent, ſuſceptas ob cõmiſſam à Creſphonte in ſortitione fraudẽ. Contrà de Teleclo dicũt Meſſenij, quæ à me iam ſunt expoſita. Aepytum uerò oſtendunt Creſphontis filium, ab Ariſtodemi filijs reſtitutum: non fuiſſe id facturos, ſi quid illis cum Creſphonte fuiſſet diſsidij. Deditum à ſe non fuiſſe Polycharen, quòd neq; ipſi dediſſent Euæphnũ: uoluiſſe tamen ſe, uel apud Argiuos, qui utriuſq; ciuitatis eſſent conſanguinei, uel in Amphictyonum conſilio cauſam cognoſci: uoluiſſe rem eandem Areopagitarũ ſententijs cõmittere, quòd iudiciũ illud de cæde apud Athenienſes iampridem fuerat conſtitutũ. Verùm non eam bellandi cauſam Lacedæmonijs dicunt fuiſſe, ſed cùm alios Græciæ populos,

tum

tum ſe quoq; illos immodica dominandi cupiditate inflāmatos, per calumnias opprimere uoluiſſe. In exemplū Arcadas & Argiuos adducunt, quorū fines carpendi, finem nullum Spartani fecerint. Cōmemorant præterea Crœſi donis delinitos, primos è Græcis cum Barbaris amicitiam iniſſe: quo ſanè tempore Crœſus & alios Aſiæ populos, & Cariæ continentem terram, quam tunc Dorienſes incolebant, imperio ſuo adiecerit. Addunt, Delphici Apollinis templo à Phocenſium ducibus direpto, eius ſacrilegij nō priuatim ſolū Spartæ reges & optimates, uerùm & ipſum publicè Ephororum magiſtratum, ac Senatum participem fuiſſe. Illud certè non prætermittunt, quò facilè arguant, Lacedæmonios nihil lucri cauſa nō ſemper auſos: quòd ſocietate ſe cum Apollodoro Caſſandriæ tyranno coniunxerint. Sed cur poſtremū hoc factum tam acriter inceſſant Meſſenij, nō eſt mihi propoſitū hoc loco diſquirere. In Apollodori quidem tyrannide tollenda, etſi neq; tandiu, neq; tanto animi ardore bellatum eſt, Caſſandrenſiū tamen calamitates facilè Meſſeniorum infortunia adæquarūt. Et ad huiuſmodi ſanè cauſas uterq; populus belli initia refert. Cùm utrinq;, uti ſuperius à nobis eſt expoſitum, factæ eſſent iniuriæ, uenere ad Meſſenios Lacedæmoniorū legati, qui dedi ſibi Polycharen poſtularunt: at Meſſeniorum reges relaturos ea de re ſe ad populum reſponderūt, ac deinde per publicas literas quod populus iuſſiſſet Spartanos reſcituros. Quare cùm profecti iam eſſent legati, concione uocata, ſententiæ dictæ ſunt ualde diuerſæ. Androcles enim Polycharen autorē impij & nefarij facinoris dedendum omnino cenſebat. Antiochus uerò cùm alia contrà dixit, tum illud in primis, miſerrimum fore Polycharen ante oculos Euæphni pœnas pendere. Enume-

rabat quàm grauia eſſent futura, quæ perpeti illũ neceſſe fo-ret. Poſtremo eò contentio euaſit, ut à ſua alterutrius factio-ne arma caperentur. Verùm facilè, ac breui finem habuit ea dimicatio: nam qui cum Antiocho erant, multò ſuperiores numero cùm eſſent, & Androclen ipſum, & earum partiũ optimum quenq; interemerunt. Antiochus cùm ſolus regnũ occupaſſet, per literas Spartanis denunciat, ſe ijs iudicũ con ſilijs, quæ antè nominauimus, totam controuerſiam cõmiſſu rum. At illi nihil omnino tabellarijs reſpondiſſe dicuntur. Paucis pòſt menſibus cùm in demortui Antiochi locum re-gnare cœpiſſet eius filius Euphaës, Lacedæmonij neq; per fecialem bellum Meſſenijs indixerunt, neq; omnino apertè eorum amicitiæ renunciarunt, uerùm quammaximè potue-runt, clandeſtinis conſilijs bello apparato, iuſiurandum conceperunt, non eſſe arma ſe poſituros, neq; bellandi diu-turnitate (ſi bellum in longinquum tempus duceretur) neq; ullius cladis magnitudine, priuſquàm agros & urbes Meſſe niorum ui captas imperio adiecißent ſuo. Hæc antè iurati, noctu copias Amphean duxerunt: prouincia decreta eſt Al-cameni Telecli filio. Fuit Amphea in Meſſenia Laconiæ fini timum oppidum, non magnum illud quidem, ſed in præcel-ſo colle ſitum, circunfluens aquarum perennium copia: op-portunus maximè uiſus eſt locus, unde omnis ſe belli appa-ratus effundere. Irruptio itaq; facta eſt apertis, cùm abeſ-ſent cuſtodiæ, portis: Meſſenij qui ſunt intus deprehenſi, om nes ad unum interfecti, in ipſis cubilibus alij, alij uerò cùm ad aras deorum ſupplices confugiſſent, pauci omnino peri-culum effugerũt. Hæc prima fuerunt in eo bello ſuſcipiendo Lacedæmoniorum exordia. Altero uerò nonæ Olympiadis anno, quo Meſſenius Xenodochus de ſtadio uictor renun-

ciatus eſt, cùm Athenis nondũ ſorte annui magiſtratus duce rentur, quòd ſcilicet ciuitas ea Melanthi poſteros, qui ſunt Medontidæ appellati, primùm quidem in ordinẽ redactos, æquo iure & legibus magiſtratum gerere iuſsit: deinde cauit, ne ultra annos x. *imperiũ continuarent. Quo itaq; tem pore Amphea capta eſt, Aeſimides Athenienſis Aeſchyli filius quintum iam annum ſummæ reipub. præerat. Cenſui uerò antequàm bellum perſcriberem, de Meſſenio homine res geſtas, temporũ ordinem, & fatalem caſuũ uarietatem exquirere.* Hoc certè *bellum, quod à Lacedæmonijs eorumq́; ſocijs, cum Meſſenijs, & ijs populis qui auxilia Meſſenijs mi ſerunt, geſtum eſt, non ab ijs qui priores arma ceperunt, nomen duxit, uti Perſicum & Peloponneſiacum, ſed à Meſſeniorum clade Meſſenicum eſt appellatũ: ſicuti & illud quod ad Ilium Græci geſſerunt, peruicit uſus ut Troianum, non Græcum appellaretur.* Hoc *ipſum Meſſenicum bellum perſcripſere Rhianus Benœus uerſibus, ſoluta oratione Prienenſis Myron, ſed eorum neuter à belli initio ad finem perpetua ſerie eſt omnia perſecutus: nam arbitratu uterq; ſuo partem eius belli ſibi quam uoluit aſſumpſit. Myron ab Am pheæ euerſione exorſus, omnia deinceps conſcripſit quæ uſq; ad Ariſtodemi mortem conſecuta ſunt, atq; cum hiſtoriæ ſuæ finem præſcripſit.* At *Rhianus belli primordia ne attigit quidem, uerùm ea duntaxat quæ poſt Lacedæmoniorum à Meſſenijs defectionem euenerunt, neq; ſingillatim omnia literis mandauit.* De *poſtrema uerò pugna, quæ ad foſſam, cui Magnæ nomen, cõmiſſa eſt, deq; Meſſenio Ariſto mene, cuius maximè cauſa hanc feci de Rhiano & Myrone mentionem, quòd is ſcilicet omnium maximè Meſſeniorum nomen uirtute ſua illuſtrarit: de eo inquam non ſatis accura*

tè egit in cõmentarijs ſuis Prienenſis Myron, cùm Rhianus nihilo minus Ariſtomenem ſuis uerſibus, quàm Achillem in Iliade Homerus, exornauerit. Cùm itaq; inter illos non ſatis conueniat, reliquum mihi illud eſt, ut eorum alterius, non utriuſq;, autoritatem ſequar. Rhianus quidem maximã ueritatis de Ariſtomenis præſertim ætate rationem habuiſſe uidetur. Myron uerò, quod facilè ex alijs eius ſcriptis cognoſcas, atq; ex hoc in primis Meſſenico eius opere, parum omnino quàm probabilia diceret attendit. Scriptum enim reliquit, Lacedæmoniorum regem Theopompum ab Ariſtomene interfectum, paulò antè quàm è uita decederet Ariſtodemus, cùm Theopompum neq; in prælio, neq; alio quouis mortis genere occidiſſe compertum habeamus, niſi confecto demũ bello, quandò hic ille Theopompus fuit qui bello finem impoſuit. Eius rei teſtimonio ſunt Tyrtæi elegi:

Regi olim noſtro diuûm curæ Theopompo,
Per quem Meſſene denſa choris capitur.

Viguit itaq; mea quidem opinione, Ariſtomenes poſteriore bello: cuius res geſtas, cùm ad eam belli partem noſtra oratio peruenerit, accuratius perſequar. Meſſenij ubi primùm captam Ampheã cognouerunt ex eorum ſermone qui illius noctis cladem effugerant, ex omnibus ciuitatibus in unum ad Stenyclerum conuenerunt, ubi uocato ad concionem populo, optimi quiq; priore loco, ac poſtremò rex ipſe exterritos hominũ animos ob Amphea oppreßionẽ confirmarũt, cùm dicerent, non eſſe protinus de uniuerſi belli exitu ex unico aduerſo caſu iudicium faciendum, neq; omnino eſſe ad id bellum gerendum quàm ſe apparatiores Lacedæmonios: illos quidem ad res bellicas longioris temporis afferre exercitationem, ſibi uerò neceßitatẽ impoſitã ad excitandos ad

uirtutem

uirtutem animos acriorem. Cauſam præterea ſuam fore Dis ipſis fauorabiliorẽ, cùm & fines ſuos defenderent, & hoſtes ipſi nulla iniuria laceßiſſent. Hæc & alia huiuſmodi cùm dixiſſet Euphaës, concionẽ dimiſit, & exinde Meſſenios omnes in armis habuit. Nam & tyrones ad belli munia erudiendos curabat, & ueteranũ militem aßidua exercitatione confirmabat. Interea Lacedæmonij in hoſtilem quidem agrum incurſiones faciebant: uerùm, quippe qui ſuum illum iam eſſe interpretarentur, neq; arbores ſuccidere, neq; uillas demoliri, prædam tantùm, ſi quam nacti eſſent, agere, frumenta fructusq; alios aſportare, urbes præterea aliquot oppugnare aggreßi, nullã omnino expugnarunt, cùm & propugnaculis & firmioribus præſidijs munitæ eſſent: quin per irritos conatus multis acceptis uulneribus retrocedere coacti, poſtremò oppidorũ oppugnationibus prorſus abſtinuerunt. Populabantur rurſus Meſſenij maritimos Laconiæ fines, & quæ circa Taygetũ erant arua omnia. Quartus iam menſis exierat poſt captam Amphean, cùm Euphaës Meſſeniorum alacritate confiſus, quorũ animos ira in Lacedæmonios ardere uidebat, ac ſimul ſatis iam ratus per aßiduas exercitationes ad rei militaris ſcientiã profectum, educturũ ſe exercitum edixit, ſeruisq; ut ſe ſequerentur imperauit, cum materia, et omni iaciendi ualli inſtrumento. Id cùm Lacedæmonij reſciſſent ex ijs qui ad Amphean in præſidio erãt, & ipſi copias eduxerunt ſuas. Erat in Meſſeniorũ finibus campus ad ſigna conferenda alioqui idoneus, niſi quòd profundior eum alueus diuidebat. Ad eum alueũ ſuam inſtruxit aciem Euphaës. Imperatorem Cleonnin declarauerunt. Equites, & leuem armaturam pauciores utrinq; quingenis Pytharatus & Antander ducebant. Vbi in unum acies concur-

rere, grauem armaturam, utrinq; magno animi ardore pro inueterato odio impreſsionem facientem, medius alueus cohibuit. Equites *uerò & leuis armatura, quæ numero & uirtute propè par fuit, ſupra aluei interuallum prælium inierunt. Anceps diu certamen. Interea dum acriter dimicatur, iubet* Euphaës *ſeruos iacto uallo tergum, & latera ſui agminis aggere munire. Pugnantes itaq; nox oppreſsit, cùm iam ipſa etiam frons circa alueum munita eſſet. Quare cùm prima luce conſilio* Euphais *animaduerſo, facilè intellexerunt* Lacedæmonij, *neq; ſibi pugnandi poteſtatē fore cum* Meſſenijs, *qui iam è caſtris non prodirent, & ad ea obſidenda, cùm imparati ad id ueniſſent, nullam in promptu eſſe facultatem, domum itaq; reuerterunt. Deinde qui conſecutus eſt anno, cùm iuuentuti ſeniores ignauiā, & iuriſiurandi contemptum exprobrantes, graue conuicium facerent, apertè altera in* Meſſenios *expeditio ſuſcepta eſt.* Rex *uterq;,* Theopompus Nicandri *filius, &* Alcamenis Polydorus *(deceſſerat enim* Alcamenes *ipſe) exercitū eduxerūt. His cum agmine ſuo occurrerunt* Meſſenij: *ad pugnamq; laceſsiti, aduerſa acie in hoſtem contenderunt. Læuo* Lacedæmoniorum *cornu* Polydorus, Theopompus *dextero præfuit: mediā aciem ducebat* Euryleon, *ortus* Lacedæmone, Thebis *à* Cadmo *oriundus.* Aegei *enim filius cùm eſſet, ad* Oeolycum, Theran, *&* Auteſionem *quinto poſteritatis gradu origines ſuas referebat. Iam uerò contra dextrum* Lacedæmoniorum *cornu* Antander, *&* Euphaës: *aduerſum ſiniſtrum, quod* Polydorus *regebat, ſtetit* Pytharatus. *In media acie* Cleonnis. *Cùm propè iam eſſet ut ſigna conferrent, progreſsi in medium duces, ſuos utrinq; ad rem ſtrenuè gerendam cohortati ſunt.* Ac Theopompus *quidem ſuos perbreui,* Lacedæmoniorum *more,*

more, oratione adhortatus, memores eſſe iubere, concepti contra Meſſenios iuriſiurandi, ueniſſe tempus monere, quo maiorum ſuorum, qui finitimos armis ſubegerant, facilè gloriam adæquarent: materiã habere ipſos iam & maiores res gerendi, & imperio ſuo uberiorem multò agrum adijciendi. At Euphaës longiore quàm Spartanus uſus eſt oratione, nihilo plura tamen & hic dixit, quàm tempus pati poſſe uideretur. Non eſſe de agro tantùm & fortunis propoſitũ certamẽ: habere ſe præ oculis quæ uictos maneret ſors: cõiuges et paruulos liberos in ſeruitutẽ abductũ iri: ijs uerò qui iam adoleuiſſent, leuiſſimã pœnã mortem fore, ea modò ſi abſq; contumelia & cruciatu contigiſſet: futurũ ut deorum templa diriperentur, ſua cuiuſq; patria incendio deleretur. Neque uerò ſe inanes rumores iacere: minimè obſcura unicuique documenta eſſe poſſe calamitates eas, quas belli initio, qui ad Amphеam oppreſſi ſunt, paſſi fuerant: redimi hanc euentorum atrocitatem honeſta morte poſſe. Facilius eſſe multò priuſquàm uincerentur, cùm adhuc æquo marte pugnarent, alacritate hoſtes ſuperare, quàm fracta iam uirtute inclinantem fortunam reſtituere. Hæc Euphaës. Vbi uerò ducum iuſſu claſſica cecinerunt, curſu Meſſenij in hoſtem effuſi, impreſſionem fecerunt, quippe qui ira concitati, mortem cupidius oppeterent, & pro ſe quiſque prior pugnæ alcam experiri feſtinaret. Lacedæmonij & ipſi greſſum contrà alacriter tulerũt, cauerunt tamen quammaximè, ne turbatis ordinibus acies ſolueretur. Cùm iam propè eſſet ut cõgrederentur, primùm minis, armorum motu, ac trucibus ſe inuicem oculis laceſſebant: contumeliæ etiam utrinque iactatæ. Lacedæmonij ſeruos eſſe ſuos Meſſenios dicere, nihilo illos quidem Ilotis liberiores. At contrà Meſſenij, ad

S

impiũ illos facinus aggreſſos, qui incenſi dominandi cupiditate, cognatis ſuis negocium faceſſerent, et cùm aliorum qui Dorico *nomini patrij eſſent* Di, *tum uerò* Herculis *ipſius numina læderent*. Iam *uerò cùm à probris ad manus uentũ eſſet, acriter ſe uiciſsim impellere*. Maiore *uerò impetu hoſtem* Lacedæmonij *trudebant*. Vrgebat *iam uir uirum cominus, & bellandi quidem arte atq; exercitatione ſuperiores erant* Lacedæmonij, *quinetiam numero: erant enim in eorum poteſtate finitimi iam propè omnes: ijdemq; eius belli ſocij, &* Aſinæi, *ac* Dryopes, *ab* Argiuis *ætate una antè, ſedibus ſuis pulſi, cùm* Lacedæmonẽ *ſupplices ueniſſent, iam neceßitate adducti arma coniunxerant*. Contra *leuem uerò* Meſſeniorum *armaturã* Cretenſes *uenerant ſagittarij, mercede conducti*. Meſſenios *quidem cùm futura, ſi uicti eſſent, deſperatio, tum pariter mortis contemptus incitabat: cùm & quæ paterentur omnia, ijs, qui patriam ſuam maximè illuſtrem eſſe uellent, neceſſaria potius, quàm grauia ducerent: quæ uerò facerent, quò alacritatis eſſent pleniora, eo magis ad hoſtis conatus debilitandos appoſita*. Et *eorum ſanè multi extra præſidia ſua exilientes, præclara edebãt ſummæ uirtutis facinora: quin & in ijs, qui lethalibus acceptis uulneribus iam propè animam agerent, uigor ille apparebat, qui ſolet à deſperatione proficiſci*. Audiebantur *mutuæ cohortationes*. Viuentes *nanq; & integri, ſaucios hortabantur, ut priuſquàm fato ſuo defungerentur, ſe dignũ aliquid gererẽt, quo poſſent mortẽ cum uoluptate oppetere*. Saucij *rurſus, cùm dilabi iam uires ſentirent, neq; poſſent amplius ſpiritũ retinere, ſuperſtites monebãt, ne ſe deteriores eſſent, neue cõmitterẽt, ſua ut mors nihil omnino patriã iuuiſſe uideretur*. At Lacedæmonij *pugnæ initio neq; ſe uiciſsim adhorta-*

hortabantur,neq; ad rem præclarè gerendã,eandem quant. Meſſenij alacritatẽ afferre uidebantur:uerùm, qui à pueris bellicas artes eſſent edocti, ſe intra denſiorem phalangem cõtinebant,quòd hoſtem ſperabant neq; tandiu in acie perſiſtere,neq; in armis laborẽ, nec uulnera perpeti poſſe. Sua in utraq; aciæ declarandæ uirtutis propria ſtudia fuere, ac certum ſe & proprium mentis propoſitum oſtendebat.Cõmune illud fuit utriſq;, quòd nemo cædem uel deprecabatur,uel in pecunia ſalutis ſpem repoſitam habuit:diffidebãt enim fortaſſe propter odij magnitudinem,ſe quicquã profecturos:et,quod caput fuit,indignabantur ſe nõ priores mortem aduerſario obtuliſſe. Iam qui hoſtem interficiebant, neque ſe glorioſè iactabant, neque probra omninò ulla iaciebant: in neutram enim erat partem ſpes propenſior,utri eſſent utris è certamine ſuperiores diſceſſuri. Accidebat in primis inſignis illis mors, qui iacentẽ ſpoliare aggreßi, uel eminus,nudata aliqua parte corporis,mißilibus figebãtur, uel cominus de improuiſo,cùm aliud agerent, cædebantur, uel ab ijs ipſis etiã,quibus ſpolia detrahebant,adhuc ſpirantibus cõfodiebantur.Fuit & regũ ipſorũ illuſtris dimicatio. Theopompus intemperantius ſe in Euphaën infeſto telo intulit.Euphaës in ſe uadentẽ cõſpicatus. Antandrũ appellãs: Nõ ſunt,inquit, quæ Theopõpus molitur diuerſa à Polynicis, à quo oriundus eſt: caſu ille enim cùm aduerſum patriã ab Argis exercitũ duxiſſet,ſua manu fratrẽ occìdit,& ab eo uiciſsim eſt interẽptus. Iſte etiã quærit Herculis poſteritatẽ eodem parricidij ſcelere cõtaminare, quo Lai et Oedipodis familia ſe polluit. Atenim non diſcedet ille ſatis lætus à prælio.Hæc dicens,& ipſe in hoſtem inuaſit.Ibi prælium,quod fatigatis in utraq; acie militib. iam propè elangueſcebat,cõ-

firmatis corporibus,& aucto mortis contemptu,acrius exarſit: quare primis congreßibus,primæq; ſignorum collationi,inſtaurata pugna,propè ſimilis, ſi quibus fortè ſpectare licitũ fuiſſet,uideri potuit.Poſtremò Euphais *globus,qui è lectißimis uiris conſtabat, uerſa iam propè immodica illa audacia in furòrem,uirtute etiã ſua uſus, in aduerſum hoſtẽ inpetu facto,*Theopompũ *ipſum loco deturbant,& qui circa eum erant in fugã uertũt. Ibi alterum cœpit* Meſſeniorũ *cornu grauiter laborare: cùm enim* Pytharatus *cecidiſſet, qui in ea agminis parte ſteterant, duce iam amiſſo,& ordines deſeruerunt,& animum non parum deſponderunt.* Nõ *tamen aut fugientes* Meſſenios Polydorus, *aut* Lacedæmonios *eſt* Euphaës *inſecutus: ſatius enim* Euphaës & Meſſeniorum *principes eſſe putarunt,laborantibus ſuis opem ferre: non tamen cum* Polydoro, *eiúſue cohorte manum conſeruerunt, nox enim iam omnia tenebris obduxerat.* Ipſos *etiam* Lacedæmonios,*quo minus fugientem hoſtem inſequerentur, plurimùm quidem locorũ ignoratio deterruit.* Retardauit *eos etiam patria diſciplina: traditum enim à maioribus morem religioſe tuentes, in fugam uerſos hoſtes non urgebant cupidius,quòd prouidentius curandũ putabãt,ne turbarentur ordines, quàm ut fugientes cæderent.* Media *utrinq; acies,hinc* Euryleonte,*illinc* Cleonni *duce,æquo marte pugnauit.* Nox *ſuperueniens certamen diremit.* Commiſſum *eſt hoc prælium ex utraq; parte graui maximè peditũ armatura:equeſtres enim copiæ,et paruæ fuere,et nihil omnino memoria dignum geſſerũt.*Nondum *enim* Peloponneſij *equitãdi peritiã fuerant adepti.* Expediti *uerò* Meſſeniorum & Lacedæmoniorũ Cretenſes *ſagittarij, ne congreßi quidem ſunt,quòd more maiorũ utriq; in pedeſtris aciei ſub*

ſidijs

ſidijs ſteterant. Poſtero die ſub primã lucem neutri pugnam aggredi, aut erigere trophæum occuparunt. Vbi iam proceſſit dies, de cadaueribus tollendis per caduceatores pactis inducijs, ad ſuos ſe uterq; exercitus humandos conuertit. Poſt eam pugnam, Meſſeniorum res multis cœptæ calamitatibus affligi: primùm quidem, quòd immodica fuerat in urbium præſidia erogata pecunia, iam unde exercitum alerent non habebant: deinde et ſeruitia ad Lacedæmonios perfugere: poſtremò peſtilens morborũ uis, etſi in uniuerſo omnino non eſt graſſata, magnã tamen rebus cunctis perturbationem attulit. De ſumma rerum conſulentibus, placuit oppida omnia, quæ longius à mari abeſſent, deſerere, in Ithomen uerò montem ſecedere. Erat in eo oppidũ non ita magnum, cuius factã eſſe ab Homero in Græcorum copijs recenſendis mentionem credunt, cùm Ithomen ſalebroſam dicit. Facta huc ſeceſſione, uetus pomœriũ, quatenus ſat eſſet toti, quæ illuc conuenerat, multitudini, ampliarũt. Erat loci natura caſtellum egregiè munitũ: nam et mons ipſe nulli eſt corũ qui intra Iſthmũ ſunt, magnitudine inferior: & tunc quidem omni ex parte aditu erat difficillimus. Ibi cùm conſediſſent, Delphos mittere ſtatuerunt, qui de belli exitu oraculum cõſuleret. Miſſus itaq; eſt Tiſis Alcidis filius, uir cùm cæteris laudibus præſtans, tum uerò diuinãdi peritia ſolers. Hunc Delphis redeuntem, ex inſidijs Lacedæmoniorũ aliquot, de præſidio ab Amphea adoriuntur: ſed enim acriter ſe defendentem & repugnantem, capere non potuerunt: hominem certè ſauciandi finem non prius fecerunt, quàm uox audita, à quo miſſa incertum, Oraculi nuncium dimitte. Ac Tiſis quidem ad ſuos reuerſus, regi reſponſum exponit, neque ita multò pòſt ex illis uulneribus diem obijt ſuum. Con-

uocatis in concionem Meſſenijs oraculum Euphaës recitat, quod fuit huiuſmodi:

Neſcia uiri puella genijs inferis
Epytidum ab alto ſorte ducta ſanguine
Det colla nocturnis ſecanda cædibus.
Vos hæc ad undas Hallyi facite ſacra,
Libenter ipſam uirginem dantes neci.

Oraculi uoce audita, uirgines omnes ex Aepytidarũ familia ſorti cõmiſſæ. Cumq; Lyciſci filia ducta fuiſſet, eam Epebolus uates ſacrari uetuit, quòd diceret, nõ eſſe è Lyciſco genitam, uerùm uxorem Lyciſci eam ſibi cùm ſterilis eſſet ſuppoſuiſſe. Interea dum uates hæc ad populum agit, Lyciſcus clàm abducta puella Spartam profugit. Quæ res ubi uulgata eſt, cùm hominum mentes uehementer commouiſſet, Ariſtodemus, & ipſe ex eadem Aepytidarum gente, uir & cæteris uitæ ornamentis, & bellica uirtute Lyciſco clarior, ultro filiam immolandam obtulit. Verùm hominum plerunque in rebus præclarè gerendis alacritatem, nihil ferè minus quàm calculos fluuiorum limus obruit: nam patriam per filiæ deuotionem ſeruare cupienti Ariſtodemo, obiecit ſe huiuſmodi offenſio. Meſſenius ciuis, cuius nomen non proditur, fortè Ariſtodemi filiam amabat, ac propédiem erat uxorem ducturus: is itaque ex ſponſu agere puellam uindicans, acriter negare, quæ ſibi deſponſa eſſet, in patris eam amplius eſſe poteſtate: ſuum eſſe, qui ſponſus ſit, in illam ius omne. Qua ratione cùm parum proficeret, impudenti mendacio uitiatam à ſe puellam, & grauidam iam eſſe affirmat. Qua pertinacia eò furoris Ariſtodemum impulit, ut filiam ſtatim occiderit, & eius utero exciſo planè omnibus oſtenderit non fuiſſe prægnantem. Ibi alium

iuſſit

iuſſit Epebolus uates filiã deuouere, quòd interpretaretur uirginis cæde, quam iratus pater commiſiſſet, litatum ex oraculo non eſſe. Hæc populum docente uate nihil propius fuit, quàm ut impetu facto, ab uniuerſa concione puellæ procus ille interficeretur, quippe qui et Ariſtodemũ parrici dij obligaſſet, & ſalutis ſuæ ſpem in dubium reuocaſſet. Erat ille Euphai ut qui maximè amicus: perſuadet itaq; Euphaës religione populũ nulla amplius teneri, neq; intereſſe à quo ſit uirgo cæſa. Ei uehementer Aepytidæ omnes aſſenſi ſunt, quòd nihil malebant eorum unuſquiſq; quàm liberari ſe deuouendæ filiæ metu: quare facilè tumultum omnem regis oratio ſedauit. Ad ſacra deinde & ludos omnes conuerſi. Lacedæmonij de oraculo certiores facti, rebus ſuis magnopere diffidere: ac reges ipſi in primis ad bellum moliendum multò ſegniores facti. Anno demũ poſt Lyciſci fugam octauo, Lacedæmonij cùm perlitaſſent Ithomen duxerunt. Iam Cretenſes aberant, & Meſſenijs etiã ſocij minus præſtò fuerũt: ſuſpecti enim erãt Spartanis cùm alij Peloponneſij, tum uerò Arcades, & Argiui maximè. Ac Argiui quidẽ ipſi clàm auxilia ad id bellum cõmuni cõſilio decreuerũt. Priuatæ militiæ nomine Arcades apertè delectũ habuerũt: ſed neque hi ſatis maturè uenerunt: nam oraculi fiducia facilè Meſſenios adduxit, ut belli aleã experirentur ſociorũ copijs non expectatis. Fuit hoc ſecundum præliũ euentu ipſo nõ aliud ualde à ſuperiore. Pugnantes quidem lux defecit: nihil uerò eſt in utroque cornu uel ab his uel ab illis inſigne ad memoriã geſtum: neutra enim acies quem ab initio inſtituerat, ordinem ſeruauit, uerùm fortiſſimi quiq; in medium ſe agmen receperunt, ibi multò acerrimum extitit certamen. Ipſe enim Euphaës audacius quàm regem decebat, & in-

temperantius in Theopompi cohortem inuectus, uulnera multa, & ea lethalia accepit. Humi ſtratū & animū propè agentem, paululùm tamē etiamnū ſpirantē, ad ſe rapere Lacedæmonij conati ſunt: ibi exarſere in pugnā Meſſeniorum animi: incitabat eos in regem ſuū priſtina beneuolentia, neque minus retinendi decoris ſtudiū, atq; animos quidē ſuas manifeſtò periculo obijcere, & ad unū omnes cædi ſatius ducebant, quàm per ſummā ignominiā rei quenquam ſuperſtitem eſſe. Euphais caſus & pugnæ tempus produxit, & utriuſq; exercitus uirtutem incendit. Relatus in caſtra Euphaës, ac paululùm recreatus, ſuos ex eo certamine ſenſit nō inferiores diſceßiſſe. Paucis uerò pòſt diebus è uita exceßit, cùm annos regnaſſet XIII. ac totum regni tempus cum Lacedæmonijs bellando conſumpſiſſet. Is cùm ſine liberis moreretur, regnum populi arbitrio permiſit. Cleonnis & Damis cum Ariſtodemo cōtendere, quòd ſe cùm cætera uitæ dignitate, tum rebus belli geſtis longè præſtantiores putarēt: Antander enim in pugna ceciderat, morte pro Euphaë oppetita. Aduerſabantur præterea uatum duorum Epheboli & Ophionei ſententiæ, non eſſe dicentium Aepyti, & eius poſterûm, imperiū homini filiæ cæde polluto decernendū. Obtinuit tamen populi ſuffragio regnum Ariſtodemus: Ophioneus ipſe Meſſeniorum uates, cuius modò mentionem feci, cùm ortu cæcus eſſet, huiuſmodi diuinationis genere utebatur. Quærebat de conſultoribus ſuis, quid quiſque uel priuatim, uel publicè egiſſet, exinde futura conijciebat. Ariſtodemus, ut ad eum redeam, regnum adeptus, ſuis in omnes ordines meritis, tam plebi, quàm optimatibus chariſſimus fuit, in primis uerò Cleonnin et Damin quouis eſt honore dignatus. Idem etiam ſtudioſe ſocios colens, per legatos Arcadum,

Arcadum, Argiuorum & Sicyoniorum primoribus munera miſit. Enimuero bellum Ariſtodemo imperante utrinq; paucis in hoſtilem agrũ populatoribus immittendis, & incurſionibus ſub ipſa meßis tempora faciendis geſtũ. Et cum Meſſenijs quidem mißi ab Arcadibus milites in Laconicum agrum excurrêre, cùm interea Argiui neutiquã ex profeſſo Lacedæmonios laceſſere auſi ſint, ita tamen omnia compararunt, ut contra eos, ſi pugna cõmiſſa eſſet, omnino prælium cum Meſſenijs inituros appareret. Quintum iam annũ regnabat Ariſtodemus, cùm ad ſtatum cõdictum prælij diem (belli enim diuturnitate, & impenſæ magnitudine, fracti admodum erant ac debilitati) ſui utriſq; ſocij præſtò fuere. Lacedæmonios ex omnibus Peloponneſijs Corinthij ſoli iuuere. At Meſſenijs in auxilium uenere cum uniuerſo exercitu Arcades, & Argiuorum ac Sicyoniorum lectißimi quiq;. Steterunt in Spartanorum acie media Ilotæ, & finitimi: cornibus reges imperarunt: phalange uſi ſunt tam denſa & conferta, quàm antea unquam. Ariſtodemus copias ſuas in hunc modum inſtruxit. Meſſenijs & Arcadibus, qui corporibus eſſent ualentißimi, quorumq; uirtus maximè eniteret, arma diuiſit optima & lectißima: ijs imperat ut Argiuis & Sicyonijs permiſti, cominus cum hoſte congrediantur. Phalangem ſuam laxatis ordinibus quàm poteſt longißimè, ne poſſet ab hoſte circundari, explicat: prouidit uerò, ut collatis iam ſignis, à tergo ſui Ithomen montem haberent. Ac graui quidẽ armaturæ Cleonnin præfecit: ſubſtitit ipſe cum Dami qua in parte leuis fuit armatura, in qua fundiores & ſagittarij pauci fuere: reliqua turba ad excurſus faciendos, propter corporum agilitatem, & armorum leuitatem, maximè idonei fuere, thorace & parmula duntaxat armati.

Quòd ſi quibus ea defuit armatura, ij caprarũ, & ouium, ferarum etiam, uti luporũ & urſorum pellibus tegebantur. Maximeq; Arcades montium incolæ, iacula ſinguli plura, *lanceas etiam nõnulli præferebant. Subſederunt ea* Ithomes *parte, qua minimè poſſent ab hoſtibus cõſpici.* Et grauis qui*dem* Meſſeniorũ *ac ſociorum armatura, cùm primã* Lacedæ*moniorũ impreßionem ſuſtinuit, tum uerò in omni prælian di munere uirtute præſtiterunt.* Erant hi numero *hoſtibus multò inferiores: uerùm lectißimi quiq; cũ multitudine, & minimè paribus uirtute dimicabant, quare tam alacritate, quàm pugnandi uſu facilè reſtiterũt.* Expeditæ *etiam cohortes ſigno dato in hoſtem curſim impreßionem fecerunt, iaculis eminus latera petentes: nec defuerunt qui audacia incitati maiore, longius progreßi, cum hoſte cominus manum conſeruere.* At Lacedæmonij *ancipiti periculo circũuenti, cùm in quandam ueluti deſperationem rem deduci uiderent, non tamen aciem turbarunt, quin contra leuem armaturam conuerſi, magno conatu eam ut funderent conabantur: ſed cùm uelites facilè, nempe quos nulla armorũ impedimenta retardabant, ſubterfugerent, trepidatio primùm, tum ira uehemens* Lacedæmonijs *inceßit. Eſt uerò ita natura comparatum, ut homines moleſtè ſupraquàm dici poßint, ferant, ſi uideant rerum euenta uirtuti nõ reſpondere.* Quare *& qui ex* Lacedæmonijs *uulnera iam acceperant, & quicũq; cæteris locũ ſuum retinentibus, primi expeditos adorti fuerant, in eam partẽ incumbebant, quò ſe uelites illi intuliſſent, ac retrocedentes, longiore perſequebantur excurſu.* At Meſſenij, *quo antè cœperant modo, eos ipſos qui locum obtinerent ſuum, & cædebant, & mißilibus figebant: iam uerò ſi inſequerentur illi, auerſi elabebantur, ac rurſus ad ſuos ſe*

recipien-

recipientes à tergo urgebāt. Hæc paſsim fuit pugnæ in diuerſa agminis parte forma. Eodem tempore ſtatarius utrinq; miles, ordines conſeruans, acrius aduerſis frontibus dimicauit. Poſtremò Lacedæmonij præliandi mora & uulneribus fatigati, & à uelitibus nouo quodam more diſturbati, ſoluerunt ordines. Terga iam uertentes, iidem uelites uel grauioribus affecerunt incōmodis. Certum cæſorum numerum in ea fuga prodere difficile fuerit, magnū omnino fuiſſe crediderim. Iam uerò alijs domos cuiq; ſuas reditus periculo caruit, per pacatum enim agrum tranſiere. At Corinthijs res fuit diſcriminis pleniſsima, ſiue per Argiuorum, ſiue per Sicyoniorum fines reuerterentur. Lacedæmonios accepta quidem clades uehementer perculit, cùm tam multos, & eos quidem minimè obſcuros amiſiſſent uiros. Sed erat illud ferè indignius, quòd ſpes reliqua omnis belli eius ex animi ſententia conficiundi erepta uidebatur. Miſerunt tamen Delphos, qui Deum de tota belli ratione conſulerent: ijs reſponſum huiuſmodi datum eſt:

Non Martis tantùm ſuadet tibi munera Phœbus:
Aſtu capta fuit quondam Meſſenia tellus,
Priſca fraude nouo rurſus capietur ab hoſte.

Quare ad aſtum regibus & Ephoris conuerſis, cùm aliud nihil in mentē ueniſſet, quod Vlyſſes ad Ilium fecit, placuit imitari. Homines enim C. qui ſe perfugas eſſe ſimularent, ad Ithomen ſpeculatum hoſtium conſilia, miſere, atq; ut planè perfugiſſe uiderentur, publico decreto damnati ſunt. Eos ad ſe uenientes Ariſtodemus his uerbis dimiſit. Nouas eſſe Lacedæmoniorum iniurias, uetera eorundem cōmenta. Id cùm minus uti uolebant cecidiſſet, conati deinde ſunt à Meſſenijs ſocios abducere. Verùm ab Arcadibus reiecti (ad

eos enim primũ legati uenere) quo minus ad Argiuos proficiſcerẽtur deterriti ſunt. Ariſtodemus cognitis Lacedæmoniorum conatibus, & ipſe ad oraculũ miſit. Reſponſum qui miſsi fuerant retulerunt huiuſmodi:

Ecce manet fato longi te gloria belli,
At Spartana phalanx te uincat fraude caueto.
Nam bene compacta illorum ſi uaſa habeat Mars,
Sæuum habitatorem feret alta corona chororum.
Tunc gemini è latebris erumpent fortè ſub auras,
Nec prius euentum rerum lux alma uidebit,
Iidem quàm fato gemini fungantur eodem.

Ariſtodemus quidem, & oraculorum interpretes, quid ſibi uellet reſponſum hoc, conijciendo aſſequi nequierunt: non multis uerò pòſt annis uocem ſuam expoſuit, & ipſo euentu ratam fecit deus. Eo tempore fortè accidit ut Lyciſci, eius qui Spartam perfugerat, filia, quam ſecum abduxerat, moreretur. Ad puellæ tumulum cum deſiderio uentitantem patrem, Arcadum equites ex inſidijs eruptione facta capiunt. Ithomen pertractus, & in concionem productus, cauſam perduellionis dixit: Non eſſe patriã à ſe proditã, uerùm ſecedendum ſibi putaſſe uatis oratione cõmotum, qui puellam negaſſet legitimam eſſe. Hæc cùm differeret, non antè eſt ei habita fides, quàm fœmina quædã quæ Iunonis ſacerdotio fungebatur, in theatrum ueniens, ſpontè puellam ſe illam peperiſſe confeſſa eſt, & à ſe datam uxori Lyciſci ſupponendam. Nunc itaq; uenio, inquit, rem occultam indicatura, ac ſimul me ut ſacerdotio abdicem: erat enim priſca religione apud Meſſenios ſancitũ, ſiue uir, ſiue fœmina, quæ ſacerdotium gereret, ſi quem liberûm amiſiſſet, in eius locum ſacerdos ut ſufficeretur. Quare uera eſſe quæ mulier dixiſſet arbitrati,

bitrati, & aliam Iunoni ſacerdotem legerunt, & Lyciſcum capitis periculo liberarunt. Aderat iam uiceſimus eius belli annus, cùm ad oraculum de belli euentu mitti placuit. Conſultoribus ad hunc modum reſpondit Pythia:

Primus Ithomæi tripodas circum Iouis aram
Qui ſtatuet decies denos, hic ſorte ſecunda
Meſſenen capiet: mens hæc Iouis: inſtrue primus
Ipſe dolos, queis ſacra ſimul prædicta refelles:
Vtere ſorte tua, fatum his nunc, nunc fauet illis.

Hoc oraculo promitti ſibi uictoriã Meſſenij interpretabantur, eo maximè, quòd cùm ipſi intra muros Ithomatæ Iouis ædem haberent, nullo pacto uiderentur poſſe Lacedæmonij priores tripodas dedicare. Ligneos certè tripodas faciendos curarunt, quòd ad æneos pecunia non ſuppetebat. Exceptam hanc oraculi uocem, è Delphorũ numero neſcio quis Lacedæmonem pertulit. Ibi cùm nihil omnino publico conſilio excogitari poſſet ad eam dedicationem occupandam, Spartanus quidam Oebalus nomine, homo genere haudquaquam claro, ſed, uti res indicauit, planè callidus & ſolers: is tripodas C. è luto finxit, & in peram abditos, aſſumptis retibus cum uenatoris ornatu urbem agreſti turbæ permiſtus introijt, & ignotus quidem, quippe qui neq; in patria ſua uulgò eſſet omnibus notus, quamprimũ nox ſuperuenit, tripodas illos fictiles dicauit, atq; inde ad ſuos reuerſus, quod actum fuerat expoſuit. Re cõperta Meſſenij uehementer cõmoti ſunt, & facilè quidem Lacedæmoniorum ſe aſtu deluſos conieceruñt: multitudinis tamen ſolicitudinem Ariſtodemus cùm ea, quam res tempusq; ferebat oratione, tum uerò ſtatuendis ad Iouis aram ligneis tripodibus (fabricati enim iam fuerãt) leniuit. Accidit eo tempore ut Ophioneus uates,

qui à primo ſtatim ortu cæcus fuerat, oculis uti cœperit, mirabili admodum caſu: nam cùm ingenti capitis dolore laboraſſet, ab ea ualetudine luminis compos fuit. Alijs præterea prodigijs, cùm Meſſeniorum iam res inclinarent, ac propè in perniciem laberentur, ſuæ Di mentis haud dubias dedere ſignificationes. Dianæ erat Meſſenijs ex ære ſignum, cum æneis armis: huic ſcutum ſponte excidit. Cùm Ariſtodemus Ioui Ithomatæ immolaturus hoſtias adduxiſſet, arietes ſponte incuſſis ad aram cornibus moribundi cecidere. Ad hæc nocturni canes globo facto ululatum dedere, mox ijdem ad Lacedæmoniorum caſtra concurrerunt. Non hæc ſolùm prodigia, ſed uiſum etiam per quietem Ariſtodemum exterruit. Viſus eſt in ſomnis uidere, cùm eſſet armis iam ſumptis ad pugnam exiturus, uictimarum extis in menſa appoſitis filiam in pulla ueſte aßiſtentem, & nudato pectore uulnera oſtentantem: deinde diſturbatis è menſa extis, detractis armis, ab ea aurea ſe corona, et albis ueſtimentis donari. Dum anxio eſſet animo Ariſtodemus, quòd mortem ſibi hauddubiè ſomnium illud portendere interpretaretur (Meſſenij enim optimates coronatos & candida ueſte uelatos efferūt) ecce tibi nuncius, Ophioneum uatem uidere deſiſſe, ac rurſus, uti ab initio, oculis captum. Eſt uerò tunc oraculi ſenſus interior patefactus, & planè intellectum eſt, cùm dixit, ex inſidijs erumpentes duos, & eoſdem in priſtinum ſtatum reuerſos, Ophionei oculos Apollinem innuiſſe. Ariſtodemus itaq; uicem ſuā grauiter dolēs, quòd filia interempta patriæ nihil profuiſſet, ac ſimul ad patriæ ſalutem ſpei nihil eſſe reliquum facilè ſtatuens, ad filiæ tumulum ſibi mortem conſciuit: uir, quantum humano conſilio conſequi potuit, patriæ ſalutaris, ſed cuius acta conſultaq; omnia Fortuna eluſerit.

Regna-

Regnauit annos VI. *& aliquot amplius menſes.* Meſſenios *Ariſtodemi caſu perculſos, tanta rerum omniũ cœpit deſperatio, ut de mittendis ad* Lacedæmonios *deprecatoribus cogitarent: uerùm quo minus id facerent, obſtitit pertinax in hoſtem animus.* Concione *uocata regem non crearunt: imperatorem cum poteſtate ſumma* Damin *ſurrogarũt.* Hic *collegas* Cleonnin *ſibi &* Phylea *cooptauit: tum quaſi mox prælium cõmiſſurus, ex præſenti rerũ copia omnia apparauit: urgebat enim obſidio, & ex obſidione uictus inopia eiuſmodi, ut iam nihil eſſet magis metuendum, quàm ne mox fame cõficerentur.* Virtus *certè, & animi præſtantia, ac bellandi peruicacia, nullo unquã tempore* Meſſenijs *defuit. Ducibus poſtremò omnibus, & optimis quibuſque ciuibus amiſsis, menſes cùm prope* V. *perduraſſent, belli eius anno* XX. *iam penè exacto,* Ithomen *deſeruere, quod ipſum* Tyrtæus *uerſibus teſtatus eſt:*

Anno bis decimo linquentes pinguia culta,
Montis Ithomæi *deſeruere iuga.*

Finem habuit bellum hoc, anno primo quartæ & uiceſimæ Olympiadis, *qua* Damon Corinthius *in ſtadio uicit, cum apud* Athenienſes Medontidæ *iam decimũ, ſummũ cepiſſent ciuitatis honorem, &* Hippomeni *quidem quartus iam exactus eſſet imperij annus.* Ac Meſſenij *tunc, quibus uel* Argis, *uel* Sicyone, *uel in* Arcadia *hoſpitia fuerunt, in eas ſunt urbes dilapſi.* Eleuſinẽ *uerò migrarant, qui è ſacris familijs oriundi eſſent, & idcirco* Magnarũ *dearum initijs præeſſent.* Multitudo *reliqua, in ſuas ſe quiſq; priſcas patrias receperunt.* At Lacedæmonij *primùm* Ithomen *ſolo æquarunt: urbes deinde cæteras adorti, facilè expugnarunt: de manubijs uerò* Amycleo Apollini *tripodas æneos tris dedicarunt, in*

quorum unum Veneris, Dianæ in altero, in tertio Cereris & Proſerpinæ ſigna inſiſtunt. Iam uerò agri Meſſenici partem Aſinæis, quos Argiui antè eiecerant, eam, quam nunc etiam tenent, aßignarunt. Androclis etiam poſteris (ſuperſtes adhuc erat Androcli filia, & ex ea nepotes, qui Androcle mortuo ſe Spartam cõtulerant) regionẽ donarunt, quæ Hyamia nuncupatur. In Meſſenios iram belli ad hunc modum Spartani exercuere. Primùm omnium iureiurando eos adigunt, nunquam à Lacedæmonijs defecturos: rerum nihil nouarũ molituros. Deinde uerò annui quidem ſtipendij nihil imperarunt, ex omnibus tantùm arationibus dimidiam ut frugum partem Spartam deportarent edixerunt: prætereà ut cum uxoribus ueſte mutata, regum & optimatum funera proſequerentur: qui imperata non feciſſent, pœna ijs conſtituta. Has Meſſeniorum miſerias declarant Tyrtæi uerſus:

Vt ſub non æquo pondere preßi aſini,
Crudeles domini, quos tergo tollere cogant
Dimidium frugum, quas ſua terra parit.

Cum lugubri ornatu etiã coactos fuiſſe intereſſe funeribus, ex his licet colligere:

Ipſi, atq; uxores dominos plorare coacti,
Si quando è uita hos mors rapuiſſet atrox.

His malis circumuenti, cùm in poſterum etiam nihilo Spartanorum dominatum æquiorem ſibi fore ſperare poſſent, et mori ſatius omnino ducerent, quàm è tota Peloponneſo emigrare, noua defectionis conſilia inierũt. Acerrimi erant iuuenes rerum nouarum autores: illi quidem omnium belli artium expertes, ſed ea animi elatione, ut cadere mallent liberam nacti patriam, ſi optio datur, quàm uel clementißimam ſerui-

ſeruitutem rerum omnium copijs circunflentes perferre. Educta iam iuuentus eximia erat Meſſenijs cùm in alijs locis, tum uerò numero & robore præſtantiſſima, Andaniæ: eminebat uerò inter omnes Ariſtomenes, qui apud Meſſenios adhuc inter heroas colitur, & eius quidem natales maximè nobilitant: cum eius enim matre Nicotelea genium quendã ſumpta draconis forma concubuiſſe memorant: quod ipſum de Olympiade Macedonas, de Ariſtodama Sicyonios noui memoriæ prodidiſſe. Tantum intereſt, quòd Ariſtomenen Meſſenij non Hercule aut Ioue genitum prædicant, ſicuti Ammone Alexandrũ Macedones, Aratũ Aeſculapio Sicyonij. Verùm cùm Græcorum multitudo Pyrrhum ei patrem fuiſſe dicat, ipſi Nicomedis filium in ſacrorum libationibus celebrant. Vigebat hic animis & ætate, & eum æquales, honore propè pares, ad defectionem incitabant. Rem ad hunc fermè modum exorſus eſt. Miſsis clàm ad Argiuos & Arcadas certis hominibus, tentauit primùm utriuſq; gentis animos, nunquid ſibi rebellantibus, nihilo aut ſegnius, aut ope minore quàm priore bello auxiliũ laturi eſſent. Ac ſpe quide multò paratiores ſocios animaduertêre: iam enim Arcades & Argiui apertiſſimas cum Lacedæmonijs inimicitias exercebant. Defecerunt Meſſenij undequadrageſimo poſt Ithomes excidium anno, qui quartus fuit tertiæ & uiceſimæ Olympiadis, qua uicit in ſtadio Hypereſienſis Icarus. Atheniensium uerò reſp. annuis iam erat magiſtratibus reſtituta, ac tunc quidem Tleſias Athenis prætor erat. Qui autem eſſent Spartæ reges, eos Tyrtæus nõ nominauit. At Rhianus uerſibus mandauit, Leotychide regnante bellum hoc alterum geſtum. Atenim Rhiano in hac ego re neutiquam aſſentior: Tyrtæũ uerò id ipſum quod apertè non dixit, ſigni-

ficaſſe tamen facilè uideri poßit. Elegi enim ipſius ſunt de bello priore:

Obſeſſam decima hanc nonaq; uidit hyems.
Indomitiq; animos tam longi munia Martis,
Noſtrorum patrum ſuſtinuere patres.

Quibus planum facit, ætate demum tertia poſt primum bel lum, iterum Meſſenios arma cepiſſe. Declarat itaq; annorũ ſeries, regem eo tempore Spartæ fuiſſe Alexandrũ Eurycratis filiũ, Apollodori nepotem: ex altera uerò familia Anaxidamũ Zeuxidami filium, Archidami nepotem, pronepotẽ Theopompi. Idcirco autem ad pronepotem Theopompi deſcendi, quòd Archidamo filio ante patrem mortuo, Zeuxidamum è filio nepotem, Theopompus imperij ſibi ſucceſſorem reliquit. At Leotychiden regnũ poſſediſſe conſtat poſt Demaratũ Ariſtonis filiũ, cùm Ariſton ipſe à Theopompo ſextus fuerit. Eo ipſo igitur tempore contulere cum Lacedæmonijs ſigna Meſſenij ad Deras, qui uicus in Meſſenia eſt, anno poſt defectionem primo. Neutris uenere à ſocijs auxilia, neque penes quos eius fuerit certaminis uictoria perſpicuum fuit. Ariſtomenen eo prælio tradunt facinora maiora multò, quàm pro uiri captu, feciſſe: quare ſtatim poſt pugnam rex fuerat ſalutatus: erat enim ex Aepytidarũ genere. Verùm cùm regnum recuſaſſet, imperatorem cum ſumma poteſtate præeſſe rebus bellicis iuſſerunt. Is eo erat ingenio, ut facillimè pateretur ſuũ ijs etiam, qui aliquid in bello memoria dignũ geßiſſent, honorem haberi. Et antiquißima quidem ipſi cura fuit, initio belli Lacedæmonios perterrefacere, quò eſſet illis in omne reliquum tempus formidoloſior. Hoc ſibi cùm propoſitum haberet, noctu Lacedæmonem ueniens, in Chalciœci ſcutum poſuit, in quo inſcriptũ fuit,

Ariſtome-

Ariſtomenen deæ de Spartanorum manubijs dicaſſe. Eodem tempore Lacedæmonijs Delphicum Apollinem de belli exitu conſulentibus reſponſum, ut Athenienſem hominẽ rerum gerendarum autorem accerſerent. Quare cùm per legatos de oraculo docuiſſent Athenienſes, ac ſimul Athenienſem ſibi hominem, cuius uterentur conſilio, depopoſciſſent, ea res animi dubios tenuit Athenienſes. Nam & periculoſum nimis fore reip. ſuæ iudicabant, ſi Lacedæmonij parte Peloponneſi optima potirentur: & rurſus diuinis uocibus non parêre nefarium cenſebant. Conſilium ut in re dubia anceps capiunt. Erat Athenis Tyrtæus quidã ludi magiſter, qui neq; ſatis mente ualere credebatur, & altero claudicabat pede, hunc ad Spartanos miſere: ibi ille modò ciuitatis principes, modò plebem, proinde ut locus aut tempus tuliſſet, elegos & anapæſtos decantans, quid facto opus eſſet edocebat. Anno uno fermè poſt prælium ad Deras, cùm ſui iam utriſq; ſocij præſtò eſſent, ad Apri ſepulchrũ (id uico ei nominis eſt) ad prælium cõmittendum parati cõuenere. Meſſenijs Arcades, Argiui, Sicyonij auxilia miſerant. Conuolarant qui ſpontè profugerant è Meſſenia, & ab Eleuſine, qui bus à maioribus tradita fuerant Magnarum dearum initia. Androclis præterea nepotes, atq; hi quidem omnes, ſumma alacritate Meſſenijs auxilia miſere. Lacedæmonijs præſtò fuere Corinthij, è Lepreatibus nonnulli Eleorũ odio ducti. Aſinæis fœdus cum utriſq; fuit. Vicus quem Apri antè diximus ſepulchrũ nũcupari, in Stenyclero Meſſenici agri regione eſt: nomen ex eo habet, quòd Herculẽ, memoriæ proditum, ſuper apri teſtibus, fœdus cum Nelei liberis, fide ultro citroq; data & accepta, iciſſe. Sacra ritè à uatibus utrinque facta. Vates erat Lacedæmonijs Hecatus, nepos & cogno-

minis Hecati illius, qui cum Ariſtodemi filijs Spartam poſtli minio reuerterat. Meſſenijs Theoclus. Oriundus hic Theoclus ab Eumantide fuit: Eumantin ipſum Eleum hominem, quòd erat de genere Iamidarum, Meſſenen Creſphontes abduxerat. Quare cùm ſuum utriq; uatem fidenti elatũ animo haberent, eo etiã ad rem gnauiter gerendam fuere paratiores, & pro ſua quidem quiſq; ætate ac uirili parte, magnam præ ſe ferebat alacritatem. Omnes uerò bellicæ gloriæ cupiditate ſuperabat Anaxander Lacedæmoniorum rex, quiq; circa ipſum erant Spartani. In Meſſeniorum exercitu Androclis nepotes Phintas & Androcles, totaq; ea manus, quæ illorum ductum ſequebatur, egregiè ad uirtutis laudem, & pari conſenſu aſpirabant. Tyrtæus, et Magnorum deorũ antiſtites nulla ipſi belli munia obiere, extremos tantũ ſui quique agminis cohortationibus ad pugnandum accendebant. Quod uerò ad Ariſtomenen attinet, ſtipabant eum octoginta Meſſenij iuuenes eius æquales, quorum magno ſibi unuſquiſq; honori ducebat, quòd ſe ille, quẽ in prætoriã cohortẽ adſciſceret, dignũ putaſſet. Et erat ſanè eorũ quilibet miro animi uigore, ſiue mutuum poſcentium auxilium, ſiue ducis pugnam uel iam aggredientis, uel iam propè aggreſſuri ſignificationes obſeruare opus eſſet. Steterunt hi in acie contra Anaxandri cohortem, in qua fuit Spartani exercitus robur. Quare magno quidem negocio cùm ad multas horas dimicaſſent, multaq; accepiſſent uulnera, iamq; propè nihil eſſet ſpei reliquum, poſtremò peruicacia & impetu hoſtem fundunt. Fuſum Ariſtomenes ut alia cohors perſequatur imperat: ipſe cum ſuis ad integros, & adhuc ſuũ obtinentes locum conuerſus, ubi & illos dare terga coëgit, mox alios & ſubinde alios acrius adoritur, donec totam Lacedæmoniorum

niorum aciem, cùm modò in hanc, modò in illam partem ſe inferret, terribilior multò quàm ut hominis unius illa uideri poſſet audacia, diſſipatis ac diſturbatis ordinibus in fugam uertit. Iam uerò cùm palantes ageret, qui neq; in fugiendo modum haberent ullum, neq; tantiſper conſiſterent dum in unum conuenirent, ad ſylueſtrem pyrum in ea campi parte enatã uentũ: ibi Ariſtomenen à curſu Theoclus *uates reuoca bat, quòd in ea arbore* Caſtor *&* Pollux *cõſediſſent. Sed Ari ſtomenes in ipſo pugnæ ardore impetu raptus, cùm ad pyrum acceſſiſſet, ſcutũ amiſit: ibi dum in eo quærendo cuncta tur, ſpatiũ datũ eſt elabendi, qui ſe antè in fugam dederant,* Lacedæmonijs. *Ea clade perculſi* Spartani, *ad belli finẽ ſpectabant: ſed eos* Tyrtæus *de ſententia uerſibus deduxit, idẽmque milites, qui in cohortibus deſiderabantur, de* Ilotum *delectu ſuppleuit.* Ariſtomenen Andaniam *reuerſum acceperunt matronæ gratulabundæ, tænias in eum, quacunq; incederet, & ut anni ferebat tempeſtiuitas, flores & fructus iacientes. Carmen præterea illud, quod noſtra etiam cantatur ætate, in eum concinentes,*

Per Stenycleria *plana ſecutus in ardua montium,*
Victor Ariſtomenes *eſt* Lacedæmonios.

Scutum poſtea recepit Ariſtomenes: *nam cùm* Delphos *ueniſſet dei monitu, in* Trophonij *ſacro penetrali, quod ad* Lebadeam *eſt, illud reperit, ac rurſus eodem in templo dedicauit, quod ego ibi poſitũ uidi. Inſigne eius eſt aquila, paſſis ad extremos clypei margines alis. Sed tunc è* Bœotia *rediens, clypeo apud* Trophoniũ *inuento, ad maiora mox belli ſe opera comparauit: collecta enim* Meſſeniorũ *manu, lectiſſimis ſtipatus ciuibus, ſub crepuſculum ad* Laconicũ *oppidũ, quod in urbiũ enumeratione* Pharin Homerus, Pharas *nun*

cupant Spartani & finitimi, contendit. Ibi occiſis qui reſiſtere conati fuerãt, ac oppido direpto, dum Meſſenẽ cum luculenta præda redit, Anaxandrũ, qui facta ex inſidijs eruptione cum armatorũ globo tergũ urgebat, cõuerſus in hoſtem, in ipſa uia iterũ fudit: quin & fugientem acriter inſequi nõ prius deſijt, quàm tragula femore ſauciato, retrocedere coactus eſt, cũ nihil interea de præda deperiſſet. Modico deinde tempore intermiſſo, quantũ ſcilicet curãdo uulneri ſat fuit, cùm Spartã ipſam adoriri in animo haberet, obiecta per uiſum Helenæ & Gemellorũ ſpecie deterritus eſt. Rediens, Caryatides uirgines choros Dianæ agitãtes, interdiu ex occulto aggreſſus, parentũ opibus & dignitate præſtantiſſimam quanq; cõprehendit, & ad Meſſenia uicũ quendã perduxit. Ibi uirginũ cuſtodia certis hominibus de ſua cohorte mandata, noctem unã quieuit. Interea iuuenes uino & libidine feruidi, uirgines eas uitiandi cupiditate exarſerũt, atq; adeò, ut ne ipſius quidem Ariſtomenis uocibus, negantis id ius fasq; Græcis eſſe, conatu abſiſterent. Quare ut eas ab iniuria uindicaret, adoleſcentes aliquot, quorũ erat maximè uino incitata licentia, occidere coactus, captiuas tam integras quàm antè fuerãt parentibus magna accepta pecunia reddidit. Eſt in Laconico agro uicus Aegila nomine, in quo templũ Cereris ueteri religione conſecratum. Huc matronas per feſtos dies more maiorũ ludos ut facerent cõueniſſe, Ariſtomenes, quiq; cum eo erãt, exploratũ habebant. Eò itaq; ueniens opprimere eas conatus eſt: ſed cùm illæ numinis ope fretæ uim repuliſſent, gladijs etiã, quib. ad hoſtias immolandas uſi fuerant, armatæ, et uerubus, toſtis iam extis, hoſtem inuaſerũt, multiſq; grauiter ſaucijs, ipſum quoq; Ariſtomenen facibus percuſſum, ac male mulctatũ, in uincula coniecerũt. Sed eadem

dem

dem nocte dimiſſus, ad ſuos redijt. Dimiſiſſe eũ dicitur ſacrorum antiſta Archidamea, nõ precio, ſed amore adducta: illũ enim multò antè amare cœperat: ſimulauit uerò effugiſſe ex uſtis uinculis. Eodem anno cùm propè eſſet ut ad Magnam foſſam (hoc loco nomẽ eſt) præliũ cõmitteretur, et Meſſenijs Arcades ex omnib. urbibus auxiliũ tuliſſent, Ariſtocraten Icetæ filiũ, patria Trapezuntiũ, Arcadũ regẽ, et eorũ tũc exercitus ducẽ, Lacedæmonij pecunia corrupêre. Primi enim omniũ Lacedæmonij ex omni antiquitatis memoria hoſtem dicũtur muneribus ſolicitaſſe, & uenalẽ feciſſe belli euentũ. prius enim q̃ ab illis circũueniretur Ariſtocrates, à quo Meſſenij proditi ſunt, uirtute, fortuna, deorũ præſidijs res bellica ſtabat. Cõſtat uerò Lacedæmonios eoſdẽ, et inſequentibus deinde temporibus cùm ad Aegos flumen claßi Athenienſium occurriſſent, & alios hoſtiũ prætores, et Adimantũ in primis mercede ſibi deuinxiſſe. Atenim et ipſos Lacedæmonios oppreßit aliquãdo pœna, quæ Neoptolemea dicitur, ex eo ſcilicet, quòd cùm ad Hercei Iouis aram Neoptolemus Priamũ iugulaſſet, ipſi poſtea accidit, ut ad Apollinis Delphici aram interimeretur. Venit inde in prouerbij cõſuetudinẽ, ut quoties qua quis alterum affeciſſet iniuria, eam ipſe paſſus eſſet, Neoptolemea ultio diceretur. Nã cùm maximè opib. florerẽt Lacedæmonij, delecta Athenienſiũ claſſe, magna Aſiæ parte Ageſilai ductu occupata, imperiũ illi quidẽ nõ prorſus amiſerũt, ſed ipſorũ arte Perſarũ rex uſus, miſſa Corinthũ, Argos, Athenas, Thebas pecunia, bellum in Spartanos concitauit, quod eſt Corinthiacum appellatum. Quæ fuit cauſa, ut Ageſilaus in Græciam, omiſſa Aſiatica expeditione, exercitũ reportaret. Dolũ itaq; Lacedæmoniorũ Di in ipſorũ uertêre perniciẽ. Ariſtocrates accepta à Lacedæ-

monijs pecunia, Arcadas primùm quid moliretur celauit. Deinde uerò cùm utraq; acies ſigna collatura eſſet, ſuis terrorem & trepidationẽ fecit, quaſi cõmonefaciens, ſi ad manus uentũ eſſet, uictis ex iniquo loco exitũ nullum fore: & ſi bi quidem ſacrificãti affirmauit nihil læti exta portendiſſe: edixit itaq;, ut pro ſe quiſq; fuga ſaluti ſuæ cõſuleret. Quare cùm iam prælium iniretur, omnesq; in hoſtem conuerſi eſſent Meſſenij, læuũ illis cornu, & acies media nudata eſt: in utraq; enim agminis parte conſtiterãt Arcades, cùm neque Elei, neq; Argiui, nec Sicyonij pugnæ intereſſent. Præterea, quò eſſet efficacior proditio, Ariſtocrates fugiens per medios Meſſenios euaſit. Re inſperata attoniti Meſſenij, ac planè quid agerent incerti, à Lacedæmonijs tantum qui ſe iam acrius inferebant, in Arcadas impunè labentes cõuerſi, orabant alij ut manerent, alij conuicijs illos et maledictis in ceſſebant, proditores et fœdifragos appellantes. Spartani in terea facilè deſtitutos, undiq; circundato agmine, cinxerũt, & obuiã maximè quãminimo labore ac periculo ſibi uictoriam uindicarũt. Ariſtomenes cum cohorte ſua locũ tenuit, & inuadentis impetum hoſtis aliquandiu ſuſtinuit: ſed fuere tam pauci numero, non magno utiq; præſidio. Perijt omnis propè multitudo: & qui, cùm antè de ſeruis dominos Lacedæmoniorum ſe futuros rati fuerant, iam ne reliquã quidem ſalutis ullam ſpem retinebãt. Occubuere tamen et principum nõnulli, interq; eos Androcles, Phintas, &, cuius clariſsimè in eo prælio uirtus eluxit, Phanas, Olympica de longiore curriculo uictoria illuſtris. Ariſtomenes prælij reliquias collegit: cumq; ſuis ut Andania, et oppidis quæ à mari longius abeſſẽt relictis, ſe in Eran montẽ reciperẽt ſuaſiſſet, eo in loco obſidionẽ hoſtiũ, poſt acceptã ad Foſſam cladem, annos

annos nihil minus XI. ſuſtinuit, cùm tamen caſtellum illud cum ea ſpe Lacedæmonij oppugnare adorti eſſent, quaſi primo impetu capi poſſet. Teſtatur tam longum totius obſidionis tempus fuiſſe, his uerſibus Rhianus:

Seruarunt inter candentis deuia montis

Caſtra bis undenas herbas, totidemq́; pruinas.

Circunſcripſit ſcilicet annos per hyemes & æſtates. Nam cùm herbas dixit, uiridem ſegetẽ, uel anni tempus, quod paulò ante meſſem eſt, ſignificauit. Era occupata, reliquo omni agro excluſi Meſſenij, præter oram tamen maritimã, quam illis integram & incolumem Pylij & Methonæi præſtiterunt, prædas non magis ex Laconico, quàm ex ſuo ipſorum agro agebant, utrunq; iam hoſtilem eſſe iudicantes. Fiebant cùm ab alijs paßim ut ſors ferret excurſiones, tum in primis Ariſtomenes, cùm in unũ ad trecentos lectißimos uiros coëgiſſet: agebant illi rapiebantq́; omnia undecunq; quis poterat: fruges nempe, uinum, pecus, abſumebant: mancipia, ſuppellectilem, dominis æſtimata reddebant. Coëgit ea agrorũ direptio Lacedæmonios edicto cauere (quòd arua non ſibi, ſed ijs qui in Eran ſeceſſerant, ſeri uidebant) ne colerentur bello durante, Meſſenici & Laconici agri finitimæ partes. Ex eo frugũ egeſtas, & inde ſeditio conſecuta, locupletibus ægrè ferentibus arationes deſeri. Eum fremitũ uerſibus ſuis Tyrtæus cõpreßit. Interea Ariſtomenes cum ſua manu per denſas iam noctis tenebras egreſſus, Amyclas magnis itineribus contendit: quò cùm diluculo perueniſſet, ſubito impetu oppidũ cepit, ac diripuit: atq; inde ad ſuos ſe prius recepit, quàm è Sparta ſubſidiũ mitteretur. Excurſionibus hoſtilem agrũ non prius deſtitit infeſtum reddere, quàm Lacedæmoniorum manipulos dimidia parte plures, cum ambobus re-

gibus nactus, facto cum illis prælio, præſentiq; ſe animo defendens, & uulnera alia accepit, & percuſſo lapidis ictu capite, caligantibus oculis propè exanimis corruit. Vix adhuc ſpirantē irruentes Lacedæmonij, *& cum eo quinquaginta de eius prætoria cohorte captiuos Spartā pertraxere: quos cùm in* Ceadam *abijciendos cenſuiſſent (ſic altè dehiſcentē ſoueam uocant, in quā maximis criminibus capite damnatos præcipites mittunt) alij quidem omnes ad unū periere:* Ariſtomenen *qui ſæpe aliàs, idem & tunc ſeruauit* Deus: *cuius qui res geſtas magnificentius extollunt, aduolaſſe aquilā dicunt, quæ cadentis corpus paßis alis ſubiens, ita illū librauerit, ut omni ex parte illæſus ad eius barathri ima delatus fuerit.* Fato *certè neſcio quo exitus ei è tetro illo hiatu monſtratus eſt.* Nam *cùm in imo iam ſpecu cōſtitiſſet, ueſte obuolutus decubuit, extremā, quā proximè abeſſe putabat, uitæ horā expectans.* Triduū *erat ibi iam cōmoratus, cùm audito ſtrepitu quodā per ſubluſtres tenebras uulpē uidit cadauera appetentē.* Cogitans *itaq; per oſtiolum omnino aliquod beſtiā illuc penetraſſe, ea quantiſper propius accederet operiebatur: id cùm uti uolebat accidiſſet, ferā manu altera prehendit, altera quoties ſe illa conuertiſſet, chlamydem mordicus prenſandam obijciebat: & currentē quidem qua ſe uia dabat, curſu conſequebatur: trahendū uerò ſe belluæ per inuia præbebat.* Vidit *poſtremò cuniculū nihilo ampliorē quàm inde poſſet uulpes euadere, per quē luminis ſe aliquid oſtendebat: per illum quadrupes, ut primū dimiſit eam, quaſi manumiſſam* Ariſtomenis, *luſtrū ſuum repetijt.* At Ariſtomenes *anguſtā illam ac minimè peruiam cauernulam manibus aperiens, in* Eran *ad ſuos tandem euaſit.* Fuit *eius fortuna cùm captus eſt, mira et inopinata.* Maior *enim uiri ſpiritus erat,*

maior

maior ex rerũ geſtarũ magnitudine audacia, quàm ut quiſquam capi illum poſſe ſperare debuerit. Sed nihil fuit admirabilius, nullum certius diuinitatis argumentũ, quàm quòd è Ceade elabi potuerit. Vbi ſaluum Lacedæmonijs renunciarunt perfugæ quidã Ariſtomenem ad ſuos rediÿſſe, non plus credi poſſe uiſum eſt, quàm ſi mortuum hominem reuixiſſe audiſſent. Ex huiuſmodi uerò euentu ueritati fides quæſita eſt. Mittebantur à Corinthijs auxilia Spartanis ad Eram oppugnandam: eos milites Ariſtomenes cùm per ſpeculatores comperiſſet diſsipatos, & incuſtoditis caſtris iter facere, noctu dormientes adortus, & alios complures, & eorũ duces Hypermenidem Achladœum, & Lyſiſtratũ occidit, ac mox caſtrorum prætoriũ diripuit. Id facilè cognoſcere Lacedæmonij potuerunt ab Ariſtomene, neq; ab alio quoquam geſtum. Fecit poſt hæc Ariſtomenes Ioui ſacrũ, quã Hecatonphonia uocant, quaſi Centicidiũ dicas. Id ſacrũ fieri patrio inſtituto traditũ ab ijs, qui in pugna hoſtes centum occidiſſent. Prima itaq;, cùm ad Apri ſepulchrũ pugnatum eſt, Hecatonphonia fecit Ariſtomenes: altera, cùm oppreſſos nocturna pugna Corinthios cæcidiſſet: tertia ab eodem peracta referunt, alijs excurſionibus pari, aut eo maiore cæſo hoſtium numerò. Spartani, Hyacinthijs quæ iam aderãt, ſolenni ritu interfuturi, dierũ XL. inducias cum Meſſenijs pepigerunt. Ac dum illi quidẽ ludos celebrãt, Cretenſes ſagittarij è Lycto & alijs Cretæ urbibus euocati, interea in agrũ Meſſeniorũ excurſiones facere nõ deſinebãt. Aberat Ariſtomenes ab Era: ei ſecurius induciarũ fiducia uaganti, inſidias ex eo ſagittariorũ numero VII. faciunt, captũq; pharetrarũ loris uinciunt: mox id ex illis duo gratulabundi Spartã nunciant captũ Ariſtomenẽ, reliqui in tuguriũ quoddã Meſſenici agri

captiuũ pertrahunt. Habitabat in eo gurguſtio orba patre uirgo unà cum matre ſua: ea ſuperiore proxima nocte per ſomniũ uiſa fuerat ſibi uidere, pertrahi illuc à lupis leonem uinctũ ereptis unguibus, illũ ſe è uinculis exemiſſe, & cum eo tanquã cum uiro congreſſam, ungues illi dediſſe, nec multò poſt à leone lupos laniatos. Deducto itaq; à Cretenſibus ad eam caſam Ariſtomene, agnouit puella expreſſam uero euentu ſomnij imaginem: quæſiuit ex matre, quiſnã ille eſſet, auditoq; uiri nomine, cõfirmauit ſe, & cùm in eum intueretur, facilè quod ſignificaret intellexit. Vinũ itaq; largius Cretenſibus fudit, cumq; ſe uinolenti omnes abieciſſent, ei, quem grauiore ſomno conſopitũ animaduertit, pugiunculum eripuit, eo uincula ipſa abſcidit, inſidiatoresq; Ariſtomenes iugulauit ſuos. Virginem illam, pro nauata ſaluti ſuæ opera, à filio ſuo Gorgo uxorem accipi uoluit Ariſtomenes, cùm tamen nõ eſſet ille annorum maior decem & octo. Vndecimo tandem poſtquam obſideri cœpta eſt anno, Era, pro fati ſui neceßitate, expugnata eſt. Meſſenij illinc eiecti nouas ſedes quærere coacti ſunt: & ſanè quæ de ſalutis ratione poſt cladem ad Foſſam acceptã, ſciſcitantibus Ariſtomeni & Theoclo Delphicus Apollo reſponſa dederat, ipſo rei euentu cõprobata ſunt. His autem uerſibus reſpondit fatidica uirgo:

Ipſe, Nedes dum hircus bibat alta fluenta, nec ultra,
Meſſenen ſeruo: propè enim inſtant triſtia fata.

Sunt autẽ Nedæ fontes in monte Lycæo: fluuius ipſe per Arcadas lapſus, uerſo in Meſſeniam alueo, Meſſeniorũ & Eleorum fines maritimos diuidit. Ac tunc illi quidem capti ambiguis uerbis prouidendũ ſibi putarunt, ne hirci de Neda potarent. Aliud uerò longè innuerat deus, quod fuit huiuſmodi. Caprifici ſtirpem è Græcis pleriq; Olynthon, Meſſenij ipſi

ipſi Caprum nominant: eo quidem tempore caprificus fortè in ripa Nedæ enata, cùm nõ in ſublime ſe creſcens erexiſſet, ſed in amnẽ prona inclinaſſet, extremis iam frondibus aquã contingebat: id Theoclus uates conſpicatus, argutè coniecit, illam caprifici plantam hircum eſſe, qui de Neda, ſicuti Pythia prædixerat, biberet, ac iam fatale Meſſenijs exitium imminere. Re tamen apud alios diſsimulata, uni Ariſtomeni ad eum locum deducto, oraculum explicat, hominiq; quod res erat perſuadet, tẽpus quo reliquũ quid ſpei erat effluxiſſe, ciuitatis ſuæ perniciem differri amplius nullo pacto poſſe: quod ipſum tamen Ariſtomenes partim ex præſenti rerum ſtatu, partim ex fatorum alijs quibuſdam arcanis præſenſerat. Quare cùm haberent operta quædam ſacra Meſſenij, quæ ſi abolerentur, funditus in poſterũ omne tempus Meſſenen occaſuram: ſin conſeruata illa fuiſſent, rediuiuum olim imperium ex ipſis ruinis erepturum, Lyci Pandionis filij uaticinijs prædictum fuerat, neq; id ignoraret Ariſtomenes, noctu clàm egreſſus in maximè deuia Ithomes parte ſacra ea defodit, Ioui & dis cæteris, quorum ope ad eum diem Meſſeniorum res ſteterat, ratus curæ fore, ut incolume depoſitum obſeruaretur, neq; omnino id in Lacedæmoniorũ poteſtatem ueniret, quod iam ſolum ad poſteri temporis ſpem Meſſenici nominis reliquiæ haberent. Meſſenios tunc quidem, ut olim Troianos, diuerſo tamen modo, adulterium ad extremum exitium perpulit. Era occupata, ſubiectos etiam monti campos ad Nedæ ripas tenebant. Habitabant pleriq; paulùm extra portas: neq; interea quiſquam è Laconia uenit ad eos perfuga. Vnus propius acceſsit Emperami clari hominis inter Spartanos ſeruus: is cùm domini pecus paſceret, quotidie ferè boues præ ſe ad Nedam agebat: ibi Meſſe-

nij hominis in ſuburbano habitantis uxorem aquatum uenientem cõſpicatus, eius amore captus eſt: fœminã primò donis ad colloquium, deinde ad ſtupri conſuetudinem pellexit. Obſeruabat hic quo tempore eius uir cuſtodias obiret: ſuam enim quæq; uicem ciuitatis pars arcis præſidiũ obtinebat: ab ea enim maximè parte, ne intra mœnia ſe inferret hoſtis, metuebãt. Qua itaq; hora domo ille diſcedebat, bubulcus ad eius uxorẽ uentitabat. Fortè ita accidit ut eſſet illi nocturna uigilia cum præſidiarijs militibus obeunda: per effuſiſſimos uerò ea nocte imbres ſtationẽ deſerere cogerentur qui excubabant: ut enim in feſtinatis munitionibus, neq; proiectũ muri, neq; turres habebant, quo cœli incõmoda effugerent: & eo quidem ſecurius abiere, quòd pluuia & hyberna nocte, ſilente luna, negocium ne ſibi hoſtis faceſſeret, nihil uerebantur. Præterea Ariſtomenes uigilias circumire non poterat. Nam cùm Lacedæmonij aſſumptis Apteræis iaculatoribus Euryalo Spartano duce, Cephaleniũ mercatorem frumenta & alios cõmeatus Eran ſolitum comportare, intercepiſſent, illum Ariſtomenes publicè ſibi ac priuatim hoſpitẽ, omnemq; eius pecuniã ſeruarat: uulnus ipſe in pugna acceperat. Imperatoris itaq; metu ſoluti uigiles, eo licentius præſidium deſeruere: & ſanè in eo deſertorum numero Spartani paſtoris amicæ uir fuit. Domum itaq; rediјt ille, cùm intus eſſet adulter. Id ubi ſenſit mulier, quamcelerrimè potuit, occultato amatore, uirum hilarius etiam multò quàm conſueuerat accipit. Percontatur deinde, quamobrẽ ſpe ſua celerius rediſſet: hic ille, qui neq; corruptam uxorem, neq; mœchum domi ſuæ latère poterat ſuſpicari, uerã exponit facti cauſam: tempeſtatis ui non ſe magis, quàm ſocios omnes è præſidio pulſos. Subauſcultabat paſtor: ſimulac itaq; nuda-

tam

tam arcē præſidio intellexit, quàm raptim potuit in caſtra Lacedæmoniorū effugit. Aberant rex uterq;, & bubulci do minus Emperamus*, copijs quæ* Eran *obſidebant præfectus fuerat: ad eum perductus deprecatur primùm noxam fugæ bubulcus, deinde docet, appoſitū illud eſſe ad* Eran *capiendam tempus, quæ ex* Meſſenij *oratione exceperat, ſingula totidem uerbis referens. Habita eſt eius uerbis fides, ac mox eundem ſeruum ſuum itineris ducem ſecutus* Emperamus*, uia perdifficili, per denſiſſimas tenebras, nihil imbre remittente, ſuperatis tamen animi alacritate difficultatib. ad arcē agmen deduxit: ibi ſcalis admotis, & quo quiſq; eniti ualuit modo munimenta tranſcenderunt. Meſſenijs imminens exitium & alia portenderant ſigna, & canum uoces obſeruatæ ſunt, non quales latrantium eſſe conſueuerunt, ſed uehementes & perpetui ululatus. Quare cùm in ſummū iam diſcrimen rem deductam uiderent, nō undiq; cōtractis armis, & apparatu uniuerſo, ſed paſſim eo quiſq; telo arrepto quē caſus obtuliſſet, terram eam, in qua ſola iam ex omni* Meſſenia *patriæ nomen remanſerat, tutari conabantur.* Primi *hoſtem eſſe intra muros ſenſere, primiq; cum armis occurrerunt,* Gorgus Ariſtomenis *filius, &* Ariſtomenes *ipſe, cumq; illis* Theoclus *uates, & item* Theocli *filius* Manticlus*: præterea* Euergetidas*, uir cùm per ſe egregius, tum per nuptias nobilitatus: nupta enim cum eo erat* Agnagora Ariſtomenis *ſoror. Ac tunc quidem, quamuis ſe quaſi intra retia captos, atq; undiq; circumuentos & oppreſſos animaduerterent, ſpei tamen adhuc aliquid, ut in perditis rebus, habuere.* Ariſtomenes *quidem & uates ſatis norant patriæ fata differri amplius non poſſe: tenebant enim memoria, quid oraculi de capro ambagibus ſignificatū fuiſſet, neq; id tamen, ne pa*

tria quidem iam cadente, prodendum eſſe uulgo putarunt: quin per oppidũ diſcurſantes, ac modò hos, modò illos prenſantes, ut quiſq; obuius eſſet factus, monere, hortari, à priſtina uirtute ne deſciſcerent, alios etiã è ſuis ad rem gerendam domibus cunctantes euocare. Atq; ea quidem nocte nihil ab alterutris memorabile geſtum eſt: illos enim cùm locorum inſcitia, tum uerò Ariſtomenis metus reddebat ſegniores. His neq; uacarat accipere à ducibus teſſeram, ac, ſi uel faces, uel aliud quoduis lumen accendiſſent, id ſtatim uenti uis extinguebat. Vt primùm illuxit, & ſe mutuò conſpexerunt, Ariſtomenes & unà Theoclus ciues ut extrema omnia auderent incitabant, & alia cõmemorantes, & in primis inſigne illud Smyrnæorum facinus, qui cùm partem Ioniæ obtinerent, Gygen Daſcyli filium, qui urbem magnis Lydorum copijs oppreſſam tenebat, uirtute & animi præſentia eiecerant. Quibus auditis Meſſenij, ipſa ſubniſi rerũ deſperatione, in hoſtes, qua cuiq; uiam fortuna oſtendebat, irruerunt. Ipſæ etiam fœminæ de ſuperiore loco tegulas, & aliud quicquid miſsile nanciſci potuiſſent, eiaculari conabantur: ſed quo minus tecta ſcandere poſſent, procellæ uis obſtabat. arma uerò capere auſæ, uirorum alacritatem inflammabant, cùm eas illi facilè perſpicerent malle in patria mortem oppetere, quàm in ſeruitutem Spartam trahi. Ea animorũ conſpiratione potuiſſent fortaſſe fati ſui iniquitatem ſuperare, niſi effuſi multò etiam præfractius imbres, crebris cum tonitribus & fragore micante ob oculos cœlo, omnia pauore compleſſent: contrà uerò hoſti confidentiã addidiſſent, deos à ſe ſtare interpretanti, præſertim uerò cum fulgente ad dexteram Ioue læta omnia Hecatus aruſpex nunciaſſet. Et ille quidem eiuſmodi conſilij autor fuit. Lacedæmoniorũ copiæ numero

mero

mero longè ſuperiores fuere: uerùm cùm non æquo campo, aut ordinato agmine, ſed qua quiſq; in urbis parte cõgreſſus cum hoſte eſſet, manus conſererentur, facilè eueniebat ut poſtremi quiq; prorſus eſſent inutiles. Hos ut in caſtra ſe reciperent Hecatus iuſsit, ibiq; corpora cibo ac ſomno curarent: cùm aduesperaſceret, adeſſent, feſſos leuaturi. Quo factum, ut cùm fatigatis uiciſsim recentes ſuccederent, facilè pugnæ labor ſuſtineri potuerit. At contrà Meſſenijs fuere omnia miſera et ærumnoſa: tertium enim iam diem, & noctem tertiam ijdem pro ſtatione excubarunt. Vigilia itaq;, cœleſti aqua & gelu, fame ad hæc & ſiti confecti propè erant: maximè uerò fœminas ex armorum inſolentia, laborum aſsiduitas fregerat. Ibi Theoclus uates Ariſtomenen appellans, quid inanem, inquit, operã ſumis? expugnari Meſſenen fato decretum eſt: imminentem certè calamitatem iampridem Delphici Apollinis uox nobis pronunciauit, atq; id ipſum caprificus nuper apertè oſtendit: mihi fatum eſt unà cum patria cadere: tu ciues tuos, ac teipſum periculo exime. Hæc locutus in aduerſos irruit, ac in Lacedæmonios uociferans, non fore illis perpetuæ uoluptati eam uictoriam, in obuios quoſq; inuadens, cùm animum cæde hoſtium expleſſet, accepto uulnere animã efflauit. Ariſtomenes lectiſsimos quoſq; uiros, quorum uirtus in ea pugna enituerat, adhuc præliantes reliquit: cæteris è pugna reuocatis, ut uxoribus & liberis in medios ordines receptis, quacunq; uiã feciſſet ſe ſequerentur imperat. Horũ extremo agmini Gorgum & Manticlum præfecit. Ipſe in principia prouolans, caputq; quaſſans, & haſtam uibrans, claram ſignificationẽ dedit per eruptionem effugium quæri. Placuit Emperamo et Spartanorũ principibus diuiſa acie fugientibus uiã dare,

tanquam rabie quadam percitos homines,& ad extremum iam deſperationis progreſſos, non eſſe amplius efferandos rati: atq; id ut facerent Hecatus *uates iuſſerat. Poſteaquàm de* Era *capta certiores facti ſunt* Arcades, *uniuerſi ab* Ariſtocrate *poſtularunt,ſe ut educeret, quò uel ſeruarent* Meſſenios,*uel cum illis perirent. At ille,quippe qui delinitus eſſet* Lacedæmoniorum *pecunia,planè recuſauit,neminem ſuperesse* Meſſeniorũ *cui iam ferri auxilium poſſet dictitans. At enim cum liquidò iam conſtaret ſuperſtites eſſe* Meſſenios, *ui certè coactos* Eram *deſerere, ultro cum ueſtimentis & cibarijs eos accepturi ad* Lycæũ *montem* Arcades *occurrere, præmiſsis ciuitatum principibus, qui ſocios conſolarentur,& itinerum duces eſſent. Cùm ſalui acceßiſſent iam ad* Lycæũ, *hoſpitio comiter accepti, ac liberaliter inuitati, ut per urbes diuiſi ſecum manerent, agri etiam pars oblata.* Verùm Ariſtomenes *cùm direptæ* Eræ *miſeratione,tum* Lacedæmoniorum *odio inſtinctus, tale conſilium init. Seligit ex omni agminis ſui numero homines quingentos, quos omnium minimè uitæ retinendæ cupidos norat: ibi tota* Arcadum *multitudine,ipſo etiam* Ariſtocrate *audiente, quẽ nõdum reſcierat patriæ proditorem eſſe: quòd enim è pugna exceßiſſet,nõ ſcelere, ſed metu & ignauia factum opinatus fuerat: ab eo itaq; ſibi nihil cauens, quærit de ſuis, nunquid patriam ulti ſecum nihil recuſent mortẽ oppetere. Cùm aſſenſi eſſent omnes,quid in animo haberet aperuit,quòd ſcilicet inclinante iam die* Spartã *eſſent ducturus, cùm magna pars ad* Eran *eſſet, alij agendis et rapiendis* Meſſeniorũ *rebus eſſent occupati. Nam ſi ita (inquit) ceciderit ut uolumus,&* Sparta *fuerimus potiti, licebit illis ſua reddere,noſtra recipere: ſin aliter euenerit, unà cademus omnes, illu-*

ſtrē conatus noſtri memoriā poſteris relinquētes. Hæc cùm dixiſſet, ex Arcadibus ad trecentos in ſocietatē ſe facinoris obtulerunt: uerùm idcirco rem aggredi cunctati ſunt, quòd litantibus exta minus læta fuere. At poſtero die Lacedæmonijs conſilia ſua patefacta, ſeq́; iterum ab Ariſtocrate proditos haud dubiè deprehenderunt. Nam cùm Ariſtocrates in codicillis omnia accuratè perſcripſiſſet, quæ cogitaret Ariſtomenes, cum ijs codicillis ſeruum, cuius maximè beneuolentia confidebat, Spartā ad Anaxandrū miſit. Eum ſeruū, dum Lacedæmone reuerteretur, ſpeculati Arcadum nōnulli, cùm aliàs de repub. diſsidere ab Ariſtocrate ſoliti, tum eo maximè tempore minimum illi fidei habentes, interceptū, in concilium Arcadum producunt: ibi quæ ad Ariſtocratis epiſtolam reſcripta fuerant, frequenti cōuentu recitata. Memorabat Anaxander, fugam quam feciſſet Ariſtocrates ad Magnam foſſam, non paruo fuiſſe Lacedæmoniorum rebus auxilio: relaturos uerò ipſi cùm pro uetere merito, tum pro recenti indicio Lacedæmonios gratiā. Re in publicum prolata, Arcades in Ariſtocratē continuò lapides iecere, idemq́; ut facerent Meſſenios cohortabantur. At illi Ariſtomenen intuebātur: is uerò humi defixis oculis collachrymabat. Arcades obrutum lapidibus Ariſtocraten inſepultum extra fines abiecere: columellam autem in Lycæi fano erexerunt, in eius rei memoriam, his uerſibus inciſis:

Vlta dies facilè eſt dextro Ioue longa tyrannum,
Qui Meſſenen olim prodiderat miſeram.
Difficile eſt hominem periurum fallere diuos.
Tu ſalue, & ſerua Iuppiter Arcadiam.

Meſſeniorum quotcunq; aut ad Eran, aut quocunq; alio loco relicti ſunt, Lacedæmonij in publicorū ſeruitiorū nume

rum eos conſcripſerũt. Pylij, & Mothonæi, et cæteri è Meſſenico nomine, maris accolæ, expugnata Era, claſſib. ſe Cyllenen, quod Eleorum nauale fuit, receperunt, atq; inde ad eos, qui in Arcadiam profugerant, contendêre, quò communi claſſe & conſilio nouas ſibi terras, ac ſedes quærerent: ac coloniæ quidem deducendæ autorem et ducem cuncti Ariſtomenen poſcebant. At ille, quandiu uitæ compos eſſet, bellaturũ ſe cũ Lacedæmonijs affirmauit, neq; uerò dubitare quin Spartæ opera ſua noui ſemper aliquid mali creari poſſet. Illis Gorgum & Manticlum duces dedit. Euergetidas cum reliqua Meſſeniorum manu ipſe etiam ad Lycæum uenit: ibi cùm Ariſtomenis conſilium de Sparta opprimenda fluxũ atq; irritum fuiſſe comperiſſet, aſſumptis ad L. ſocijs ex omni agmine, retro ad Eran duxit, ubi quos prædæ reliquias perſequentes offendit, male mulctauit: cumq; luctu & cæde omnia compleſſet, poſtremò ſuper hoſtium ſtrage occubuit. Ariſtomenes declaratis ducibus cùm Cyllenen omnes conueniſſent, edixit, ut eos in coloniam quicunque uellent ſequerentur. Dederunt omnes nomen, præterquàm quos aut ſenectus, aut uiatici egeſtas à peregrinatione deterritos in Arcadia detinuit. Era capta finem habuit Meſſeniorum & Lacedæmoniorum ſecundum bellum, gerente Athenis ſupremũ ciuitatis honorem Autoſthene, annō primo octauæ & uiceſimæ Olympiadis, cuius uictor extitit Chionis Laco. Cùm ad Cyllenen cōueniſſent Meſſenij, hyeme iam imminente, hybernandũ eo in loco cenſuerunt. Pecuniam & annonam Elei præbuere. Vere ineunte quonã dirigi curſum oporteret conſultare cœperunt. Cenſebat Gorgus Zacynthum inſulam ſupra Cephaleniam occupandam, unde inſulæ compotes iam è continentis terræ incolis facti,

maritimis

maritimis excurſionibus terram omnem Laconicam infeſtã redderent. At Manticlus, neq; Meſſenes, neq; iniuriarũ quas à Spartanis accepiſſent memoriam retinendam: uerùm eſſe primo quoq; tempore in Sardiniam, magnã et copijs omnibus circunfluentem inſulam tranſmittendũ. Interea Anaxilas ad Meſſenios miſit, qui in Italiã eos accerſerent: Rhegij hic tyrannidem quartus ab Alcidamida, è cuius erat nepote genitus, obtinebat. Commigrarat uerò à Meſſene Alcidamidas Rhegiũ, poſt Ariſtodemi mortem, Ithome expugnata. Ad Anaxilan itaq; eius accerſitu uenere Meſſenij, quos ille docuit, perpetuum ſibi eſſe cum Zanclæis bellum: poßidere illos uberem ac luculentũ agrum, & urbem ualde opportuno Siciliæ loco: quòd ſi eorum imperio potiri poſſet, illud ſe quamprimũ Meſſenijs traditurum. Vehementer cùm eſſet omnibus id conſilium probatum, traduxit hoſpites & gentiles ſuos Anaxilas in Siciliam. Zanclen ab initio prædones tenuere: caſtellum enim deſerto loco circa portum, & excurſionum maritimarum receptum, quô ex alto appellerent, munierunt. Eorũ duces fuere Cratæmenes Samius, & Chalcidenſis Perieres: ij & alios è Græcis inquilinos adſciſcendos duxerant. Ac tunc quidem Zanclæos Anaxilas naudi, terreſtri prælio Meſſenij fudere: qui cùm poſtea terra mariq; hinc à Meſſenijs, illinc à Rheginis obſiderentur, magna iam murorum parte deiecta, ad aras ac deorum ſedes confugere. Imperabat Anaxilas ut ſupplices nulla religionis uerecundia trucidarentur, reliqui cum uxoribus & liberis ſub corona uenderentur. At Gorgus & Manticlus deprecantes facinoris atrocitatem, Anaxilan rogarunt, ne quæ per ſummam iniuriam à cognatis paßi eſſent, cogerentur ipſi aduerſus Græcos committere. Ab aris igitur excitatis impunitas

fuit, fideq; ultro citroq; data et accepta, imperiũ cum uictis cõmunicatum: mutato tamẽ nomine, Zanclen Meſſenen *placuit appellari*. H*æc geſta ſunt undetriceſima* Olympiade, *qua iterũ uicit* Chionis Lacon, *principatu ciuitatis apud* Athenienſes *fungente* Miltiade. Manticlus Herculis *templũ nouæ coloniæ erexit. Extat adhuc intra muros dei fanũ* Herculis, Manticli *uocãt, ſumpto à cõditore nomine: qua ratione* Ammon *in* Africa *dictus*, Babylone Iupiter Belus: *hic ab* Aegyptio Belo, *ille à paſtore, qui templa* Ioui *dedicarunt*. H*oc exules* Meſſenij *modo errorum finem nacti ſunt*. Ariſtomenes *interea cùm nouæ coloniæ imperium ſibi deferri paſſus non eſſet, ſororem primùm* Anagoram, Tharyci Phygalienſi: *duas uerò quas habebat nubiles filias, maiorem natu* Damothoidæ Lepreatæ, *minorẽ* Heræenſi Theopompo *matrimonio iunxit.* Delphos *deinde conſulendi cauſa profectus eſt, quid acceperit reſponſi nõ traditur. Eodẽ uerò tempore uenerat ad oraculũ* Damagetus Rhodius, Ialyſi *rex: ei uirgo ex adyto reſpondit ſciſcitanti, unde eſſet potiſſimũ uxor ducenda, eius qui uir eſſet* Græcorũ *optimus filiã ut duceret*. R*eliqua erat* Ariſtomeni *tertia filia: hanc ſibi ille legitimis nuptijs coniugem adſciuit, patrem longè eſſe optimum* Græcorum *eius ætatis omnium ſtatuens*. E*t ipſe quidem met* Ariſtomenes *filiam* Rhodum *ad uirũ deduxit*. I*nde cùm ad* Ardyn Lydorũ *regem* Gygæ *filiũ, et* Ecbatana *in* Medos *ad* Aphraorten *regẽ tranſmittere cogitaret, morbo oppreſſus diem ſuum extremum obijt*. E*rant iam, credo,* Lacedæmonij *fato defuncti ſuo, cùm omni eſſent, quod illis poſſet ab* Ariſtomene *creari, periculo liberati*. M*ortuo* Rhodij *autore* Damageto, *inſigne monimentum erexere, & pro dignitate honores habuerunt*. H*oc loco quæ de* Diagoridis,

goridis, oriundis à Diagora, quem ex Ariſtomenis filia Da*magetus ipſe* Dorei *filius ſuſcepit,à* Rhodijs *prodita ſunt,cõ ſulto prætereo,ne ad aliena uidear à propoſito digredi.*La*cedæmonij Meſſenia potiti,agrũ omnem præter Aſinæorũ fines,inter ſe diuiſerunt:*Mothonẽ Nauplienſibus *paulò antè è* Nauplia *ab Argiuis eiectis tradiderunt.*At Meſſenij *qui fortè in agro remanſerant, cùm in publicorũ ſeruitiorũ cenſum pro fortunæ ſuæ neceßitate ueniſſent, à* Lacedæmonijs *denuò defecerunt,undetriceſima fermè* Olympiade, *qua* Corinthius Xenophon *uicit,principatu* Athenis *fungente* Archimede. Defectionis *opportunitatẽ huiuſmodi nacti ſunt. Lacedæmoniorum nonnulli ob noxam neſcio quam capitis damnati,ſupplices ad* Tenarum *cõfugerunt:eos* Ephori *ab ara abſtractos interfici iuſſerunt.* Hoc *piaculum uiolatorũ in tẽplo* Neptuni *ſupplicũ,euerſa funditus urbe,ex ira eiuſdem numinis luerunt Spartani.*Quo *tempore ueterũ* Meſſeniorũ *reliquiæ* Ilotæ *omnes (ſic enim publicæ operæ,& agreſte caſtellanorũ genus nuncupabantur)in* Ithomen *mon ſeceſſere, aduerſus eos* Lacedæmonij *omnia ſociorum auxilia,& cum* Athenienſiũ *copijs* Militiadæ *filium* Cimonẽ *publicè ſibi amicum et hoſpitem accierunt.Sed cùm in ſuſpicionem rerum nouarum ueniſſent* Athenienſes, *eos ab* Ithome *Spartani auocarunt. At illi ubi fidẽ ſibi nõ haberi ſenſerũt, cum* Argiuis *amicitia cõciliata,* Meſſenijs, *qui* Ithomen *ſub certo fœdere hoſti dediderant,*Naupactum *ademptã* Locris Aetoliæ *finitimis,* Ozolis *cognomento, aßignarunt. Saluti fuit* Meſſenijs *loci natura.Præmoniti præterea ſunt* Lacedæmonij Delphici Apollinis *oraculo,piaculum graue admiſſuros,ſi* Iouis Ithomatæ *ſupplices uiolaßẽt:ſub certis itaq; cõditionib.è* Pelopõneſo *dimißi ſunt.*Neq; *uerò accepta ab* A-

thenienſibus Naupacto,*eiq; urbi circumiecto agro,quieue runt: uehemens enim inceßit cupido cum imperio gloriam augendi.* Quare *cùm* Oeniadas *compertum haberent,*Acarnanum *gentem opimũ agrum poßidere, hoſtes uerò ſempiternos* Athenienſium *eſſe, infeſto eos exercitu adorti ſunt.* Numero *erant hoſti pares, uirtute multò ſuperiores: obuios primùm acie fundunt,mox intra mœnia compulſos circunſedent:ibi nihil quod ad urbes obſidendas homines excogitarint,omiſſum:ſcalæ admotæ,muri ab ima parte ſuffoßi: adhibitæ machinæ omnes, quæ pro re ac tempore fabricari potuerunt.* Deiecta *itaq; muri parte,ueriti oppidani, ne,ſi per uim urbs caperetur,ipſi occiderentur, uxores & liberi ſub corona uænirent,icto fœdere urbem reliquere: qua,& agro ſimul toto,*Meſſenij *annũ unũ potiti ſunt.*Sequẽti *dehinc anno* Acarnanes *cõtractis omnibus ex urbibus copijs, ad* Naupactũ *oppugnandam primùm copias ducere in animo habuerũt.*Verùm *id poſtea cõſilij repudiarũt,quòd iter ſibi faciendum per* Aetolos *uidebant, quibus cum aßiduas exercebant inimicitias.* Præterea Naupactijs, *id quod res erat,in promptu claſſem eſſe ſuſpicabãtur:pedeſtribus uerò duntaxat copijs nõ ſatis fore ſe armatos uidebant contra eos qui maritimas etiã opes haberent.*Mutato *itaq; conſilio,omnem belli impetum in* Meſſenios, *qui* Oeniadis *erãt,conuertêre.*Ad *oppidum igitur obſidendum omnia comparabant, quòd adduci non poterant, tantam hoſtium paucitatem, contra uniuerſam* Acarnanum *gentem æquo marte bellaturam.* Ipſi *quoque* Meſſenij, *etſi frumenta, & alia quæ ad longiorem obſidionem ſuſtinendam uſui forent, contraxerant, decreuerũt tamẽ nõ expectata obſidione iuſto prælio belli fortunam experiri:neq; enim decere ſe arbitrabantur,*

qui

qui Meſſenij eſſent, neq; uirtuti, ſed fortunæ Lacedæmoniorum ſuccubuiſſent, Acarnanico tumultu terreri. Memoria repetebāt ad Marathonē Perſarum trecenta millia, à triginta duntaxat millibus Athenienſium ad internitionem cæſa. Acie itaq; cum Acarnanibus decernendum duxerunt. Pugnam memoriæ proditum hoc cōmiſſam modo. Cùm eſſent hominum multitudine longo interuallo ſuperiores Acarnanes, Meſſenios ex omni ferè parte, præterquàm tergum quà portis obuerterant, quaq; de muris oppidani hoſtem arcebant, cinxerant. Frontem itaq; & latera miſſilibus acriter urgebant. At Meſſenij in quam partem cōferti incubuiſſent, hos cædentes, illos uulnerantes, hoſtium agmen turbabant. Perrumpere, & in fugam hoſtem uertere idcirco non potuerunt, quòd qua parte Acarnanes laxari manipulos uidebant, cōcurſu facto locum occupabant. quòd ſi repulſi Meſſenij aliò impreſſionem feciſſent, itidem reiecti nihilo plus proficiebant: præſtò enim erant, qui ſuis opem ferentes, penetrare hoſtem coarctata acie non paterentur: eo fiebat ut ad breue ſpatium loco Acarnanes pellerentur, Meſſenij uerò irruente multitudine concedere cogerentur. Anceps fuit uſq; ad extremum diei prælium. Nocte ea quæ conſecuta eſt, cùm proximis urbibus ſupplementū Acarnanibus miſſum eſſet, recipientibus ſe intra mœnia Meſſenijs, ad obſidionem res deducta. Ac nihil illi quidem metuebant, ne aut hoſte muros tranſcendente, aut à ſuis deſerta ſtatione urbs expugnaretur: illud calamitati fuit, quod intra menſem octauum omnis cōmeatuum copia exhauſta fuerat. De muris tamen hoſtem illudentes, ne ſi in decimum quidem annum obſidio traheretur, defutura ſibi cibaria iactabāt. Iam uerò ſub primæ quietis tempus clàm Oeniadū portis egreſſi, ho-

ſtem tamen fallere non potuerunt: quare conſerere iterum manus coacti, trecentos de ſuo agmine amiſere, maiorem ipſi hoſtium numerum cæciderunt. Mox uia ſibi per medios Acarnanas facta, per Aetolos, quorũ amicitia confidebant, Naupactum ſe recepere. Et in poſterũ quidem omne tempus magno ac pertinaci in Lacedæmonios odio Meſſenij laborarunt, quod in primis Peloponneſiaci belli temporibus præ ſe tulerunt. Nam & Naupactum copiarum receptaculum, unde in Peloponneſum incurſiones fierent, Athenienſes habuere: & oppreſſos ad Sphacteriam Spartanos, Meſſeniorum è Naupacto funditores unà cum Athenienſibus de medio ſuſtulerunt. Quamobrem ſuperatis ad Aegos flumen Athenienſibus, Meſſenios è Naupacto Lacedæmonij eiecere, cùm nauali eos antè prælio uiciſſent. Profugi partim in Siciliam, partim Rhegium ſe ad propinquos ſuos cõtulere, magna etiam pars ad Eueſperitas Libyæ populos profecti. Nam cùm hi finitimorum bello premerentur, in ciuitatum ſuarum cõmunionem omnes qui Græci eſſent nominis accerſebãt. Dux fuit in Libyam profectionis Comon, quo item duce ad Sphacteriam uſi fuerant. His ita geſtis anno ferè uno ante Leuctricã Thebanorum uictoriam diuinitus Meſſenijs in Peloponneſum reditus haudquaquam dubijs ſignificationibus promiſſus eſt. Nam & Meſſanæ ad fretum Herculis ſacerdotem narrant, per ſomniũ ſibi uiſum uidere Herculem, qui Manticlũ Iouis accerſitu, in Ithomen hoſpitij cauſa uocaret. In Eueſperitis uerò ſomniauit Comon, congredi ſe cum matre iampridem mortua, & illam ſtatim à cõgreſſu reuixiſſe. Et is quidem in ſpem uenit, cùm iam multum poſſent Athenienſes naualibus copijs, Naupactum ſe recepturos: atenim Meſſenen reſtitutum iri ſomnia promittebant.

bant. Accidit enim non ita multò pòſt, ut Lacedæmonij ad Leuctra debita iampridem fato clade affligerentur: quandoquidem Ariſtodemo regi oraculum aliquando redditum eſt, cuius hæc erat extrema clauſula:

Vtere ſorte tua, fatum hos nunc, nunc agit illos.

Significabat ſcilicet ipſum, & Meſſenios male rem geſturos, ſui uerò fatalis mali ipſam etiam Lacedæmonem neutiquam immunem fore. Victores igitur Thebani, perculſis ad Leuctra Lacedæmonijs, in Italiam, & Siciliam, ad Eueſperitas etiam uſq;, & quocunq; Meſſenij profugi ueniſſent, dimiſere legatos, qui eos in Peloponneſum reuocarent. Dictu herculè mirum eſt, quàm raptim cùm priſtinæ patriæ deſiderio, tum Spartanorum ſempiterno odio incitati concurrerint uniuerſi. Dubius erat animi Epaminundas, ubinam eos conſiſtere iuberet: neq; enim facilè uidebatur urbem condere, quæ ſatis foret contra Lacedæmoniorũ opes munita, & ſimul non ſatis nouæ urbi idoneum in Meſſenico agro locũ reperiebat. Ipſorum certè Meſſeniorũ animus ab Andania & Oechalia abhorrebat, quòd in utroq; loco iniquiſſima fuiſſent uſi fortuna. Hæc capiendi cõſilij difficultas cùm ualde Epaminundam ſolicitũ haberet, aſtitiſſe in ſomnio dicitur uir iam grandis natu, cum infulis, & reliquo antiſtitis ornatu, hac eum appellãs oratione: Tibi quidem quodcũq; armis expetiueris decus portum dabo, nomenq́; tuum, Thebane dux, cùm hominum cœtus reliqueris, immortalitati conſecrabo, tu modò Meſſenios in patriam ad ſuos penates reduc: placata enim iam eſt quæ in illos fuit acerbiſſima Gemellorum ira. Hæc ille Epaminundæ. Iam uerò Epiteli, quẽ Argiui delegerant, qui & ſuis præeſſet copijs, & Meſſenen reſtitueret, nocturnũ illud idem uiſum denunciauit, ut quo

loco in Ithome hederam Ciliciam, & myrtum uidiſſet, humum inter eas ſtirpes mediam fodiens anum æreo clauſam thalamo, iam grauiter affectam, & propè intermortuam eximeret. Epiteles ubi primũ illuxit, ad eum qui circunſcriptus fuerat locum ueniens, æneam urnulam effoſſa terra offendit: hanc ille ad Epaminundã detulit, cui cùm ſomnij imaginem expoſuiſſet ſui, iuſsit ille amoto operculo, quid in ea recõditi eſſet, intueri. Ille ſacris operatus, uotisq; ei deo nuncupatis à quò ſomnium extitiſſet, uaſculum aperuit: in eo uolumen repertũ ex albo plumbo in tenuiſsimas laminas ſparſo, libri forma, in quo perſcripta erant Magnorum deorum initia. Hæc illa fuit hydria, quam eo loco defoderat Ariſtomenes. Illum uerò qui dormientibus Epiteli & Epaminundæ per nocturnum uiſum obuerſatus eſt, Cauconem fuiſſe aiunt, qui Andaniam olim Athenis profectus, ad Meſſenen Triopæ filiam ſacrorum arcana deportauit. Iræ quidem Caſtorum in Meſſenios antequàm ad Stenyclerum pugnatum eſt, initium, ex huiuſmodi (quantũ ego coniectura conſequi poſſum) extitit cauſa. Adoleſcentuli duo, Panormus et Gonippus, Andanienſes, iam tum puberes ineunte ætate uſu & cõſuetudine propè domeſtica cõiuncti, in Laconiæ fines populandi cauſa ſimul excurrere ſoliti fuerant. Fortè Lacedæmonij per feſtos Caſtoris & Pollucis dies, poſt ſolenne epulũ in ipſis caſtris cõpotationibus ſe ac luſibus oblectabãt. Ibi Gonippus & Panormus in albis tunicis & purpureis lacernis, equis pulcherrimis inuehentes, haſtas manibus tenentes, de improuiſo ſe Lacedæmonijs oſtendêre. Illi Caſtores eſſe rati, qui ſacris intereſſe ſuis uoluiſſent, adorabundi occurrerunt, eorum ſibi numen precibus implorantes. At iuuenes ubi primũ in medios recepti ſunt, tumultũ & ſtragẽ, modò

hos,

hos, modò illos haſtis ferientes, ediderunt, atq; inde uiolatis per contemptũ & contumeliã ſacris Andaniam *impunè reuerterunt.* Hinc orta, opinor, *Caſtorum in Meſſenios ira.* At *poſſe iam illis ipſis* Dis *approbantib. in patriã reduci,* Epaminundæ *nocturna illa imago perſuaſerat.* In *primis uerò* Bacidis *eum carmina mouerunt.* Huius Bacidis, *quem* Nym*pharum afflatu diuinaſſe tradunt, & alijs populis edita uaticinia celebrantur, & hoc extat de* Meſſeniorum *reditu:*

Amittet florem imperij tunc Sparta *nitentem,*
Atq; omni rurſus Meſſene *habitabitur æuo.*

Quin & Eræ *oppreßionem, quo eſſet modo euentura, compertum habeo* Bacin *prædixiſſe, cuius prædictionis hic extat uerſus:*

Quiq; à Meſſene *ſonitu, atq; canalibus icta.*

Repertam *initiorum rationem, in cõmentarios retulerunt certi homines è ſacrificulorũ gente.* Epaminundas *ubi condendæ urbi, quam nunc* Meſſenij *tenent, iudicio ſuo locum idoneum cepit, aruſpices conſuluit, nunquid eſſet ea regio* Dis *cordi futura.* Cùm *ſacris inſpectis renunciaſſent illi ſecunda exta, expediri ad urbis exædificationẽ omnia iußit, materiam, lapides, & cæmenta comportari: adeſſe homines in metandis uijs, et angiportis, profanis ac ſacris ædibus extruendis, murorũ ambitu deſignando ſolertes.* Poſteaquã *in promptu omnia fuere, cùm hoſtias ad ſacra facienda exhibuiſſent* Arcades, *rem diuinã* Epaminundas *ac* Thebani *omnes* Libero Patri & Apollini Iſmenio, *patrio ritu fecerunt:* Argiui, Iunoni Argiuæ, & Ioui Nemeo: Meſſenij, Ioui Ithomatæ, *Caſtori &* Polluci: *ſacerdotes* Meſſeniorum Magnas *deas, &* Caucon*ẽ coluerunt.* Inuocati *heroës uniuerſi ad nouæ urbis auſpicia, nominatim* Meſſene Triopæ *filia ante om*

neſ:tum Eurytus & Aphareus, eorũq; filij: de Herculis uerò liberis Creſphontes & Aepytus: præ cæteris conſentienti omniũ uoce celebratũ eſt Ariſtomenis nomẽ: atq; cum quidem ſacrorũ cæremonijs, & uotorũ nuncupationibus diem tranſegere. In ſequentibus murorũ ambitum excitarunt. Intra eum domos & templa erexere. Atq; hæc quidem fecere, cantibus alijs repudiatis ad Bœotiæ & Argiuæ tibiæ modos. Et tunc maximè in muſicis certaminib. Sacadæ & Pronomi cantiunculæ cœptæ ſunt uſurpari. Vrbi ipſi, Meſſene, priſtinũ ſcilicet nomen inditũ. Reſtituerũt & alia in eadem regione oppida. Naupliensſes quidem Mothone nõ ſunt eiecti. Aſinæis ſua finium iura conſeruata. His gratiã habuere, quòd Lacedæmonijs auxilia non miſiſſent: at illis, quòd reditum ſuum in Peloponneſum gratulati eſſent, dona etiam uenientibus pro copijs ſuis miſiſſent, Dis pro reditu nuncupata uota ſoluiſſent. Accedebat uerò, quòd hi ſalutẽ etiã ſuam multis cum precibus Meſſenijs cõmendabant. Rediere in Peloponneſum Meſſenij, resq; ſuas poſtliminio recepere, ducentis ipſis & octoginta ſeptem annis poſt Eræ expugnationem, Diſcineto Athenienſium ſupremũ magiſtratũ gerente, Olympiadis centeſimæ ſecundæ anno tertio, qua Damon Thurius uictor iterũ renunciatus eſt. Nõ breue omnino tempus Platæenſes etiã patria profugi caruere. Nõ breue Delij, cùm ſuis ab Athenienſibus eiecti ſedibus, Adramyttiũ coloniam deduxere. Iam uerò in Orchomenijs Minyæ poſt Leuctricam pugnam à Thebanis Orchomeno expulſi, cum Platæenſibus à Philippo Amyntæ filio in Bœotiã tandem reducti ſunt. Thebanus ipſos, cùm Thebas euertiſſet Alexander, nõ multis pòſt annis Caſſander Antipatri filius urbe inſtaurata reſtituit. Ex ijs, quos recenſuimus, populis, etſi Platæen

ſes

ſes diutißimè omniũ exularunt, duarũ tamen ætatũ ſpatium non exceſſerũt. At Meſſenij trecentos fermè annos extorres è Peloponneſo errarũt: quo temporis curriculo, & patrios ritus conſtantiſſimè retinuere, & Doricã linguã nihil prorſus immutarũt, quæ noſtra etiamnũ ætate ab iiſdem, et propè ſolis Meſſenijs maximè integra & planè uernacula conſeruatur. Poſt reditum pacata aliquandiu à Lacedæmonijs fuere Meſſenijs omnia, quòd ſcilicet Thebanorum metu, & Meſſenen iam reſtitutam, & Arcadas in unam congregatos ciuitatem, armis laceſſere non ſunt auſi. Poſtea uerò quàm Phocenſe bellum (quod Sacrum eſt appellatum) abduxit extra Peloponneſum Thebanos, priſtina confidentia ſubniſi, nihil amplius bellum in Meſſenios diſtulere. At hi Argiuorum & Arcadum auxilijs freti, facile reſtiterunt. Athenienſium opem cùm imploraſſent, reſponderunt illi, non eſſe ullo pacto ſe in Laconiæ fines inuaſuros: ſi priores arma intuliſſent in Meſſeniam Lacedæmonij, ad ſua defendenda ſe ſocijs nõ defuturos polliciti ſunt. Cum Philippo poſt hæc Meſſenij Macedonum rege ſocietatem iunxerunt, quæ res effecit, ut pugnæ ad Chæroneã, etſi fuit illa Græcis omnibus cõmunis, nõ interfuerint. Non tamẽ contra Græcos ut bellarẽt in animum ſibi unquã induxerunt. Iam uita perfuncto Alexandro, cùm iterũ Græci cõtra Macedonas arma cepiſſent, & ipſi ſua in eo bello munia obiere, ſicuti & antè, cùm de Athenienſiũ rebus ageremus, expoſuimus. Galli certè, recuſante Cleonymo Lacedæmoniorũ rege cũ illis fœdus inire, cũ Græcis ſigna nõ cõtulere. Non multò pòſt Elidẽ Meſſenij tum bellicis artib. tum aperta ui occuparũt. Nam cùm Elei, iuſti moderatiq; imperij laude, iam tum ab initio ſemper cæteros Græcos anteiſſent, poſtremò cùm Philippus Amyn-

tæ filius iȷs, quas antè enumerauimus, calamitatibus reliquã Græciam afflixiſſet, Elidis etiam primores precio ſolicitauit: hinc ſeditionibus primùm inter ſe Elei *laborare cœperunt. Armis deinde ſumptis cùm factio altera in* Lacedæmoniorum *officio eſſet, dum per mutua pergunt odia fortunas ſuas peſſundare, rem ad ciuilia bella deduxere.* De Meſſeniorum *ſtatu certiores facti* Lacedæmonij, *auxilia ſtatim mittenda partium ſuarũ ſtudioſis cenſuerunt.* Ac *dum illi quidem delectu habendo, & ordinibus deſcribendis tempus terunt, interea è* Meſſenijs *lectiſsimi quiq; ad mille fermè homines raptim, clypeis* Laconica *inſignia præferentes,* Elidem *ueniunt.* Eos *intra mœnia Spartanorum factio, rati auxiliares ſuos adeſſe, receperunt.* Oppido *potiti* Meſſenij, *eos qui* Lacedæmonijs *ſtuduerãt, male mulctarũt: iȷs qui ſuarũ erant partium, urbem tradidere.* Vſurparunt *illi quidem opportunè cõmentum* Homericũ: *nam & ille in* Iliade Patroclum *memorauit arma* Achillis *indutũ, in hoſtium ſe aciem intuliſſe: cumq;* Troiani *ad pugnam rediſſe* Achillem *putaſſent, conturbatis ordinibus omnes in fugam uerſos.* Sunt *& alia callidè ab* Homero *excogitata militaria cõſilia: uti cùm duos pro uno ſpeculatores narrat noctu ad Troianos ueniſſe.* Hominem *præterea ſpecie transfugam, re ſpeculatorem,* Ilium *miſſum ad exploranda hoſtium conſilia.* Ad *hæc, dum militaris* Troianorũ *ætas eſſet ad præliũ exitura, ad urbis, uel iuniores, uel iam natu grandiores, qui minus eſſent ad pugnandum idonei, cuſtodiam diſponit.* Idem *uerò in* Græcorum *caſtris iubet eos qui uulneribus acceptis è pugna exceſſerint, ne omnino nihil agant, integros armare.* Hæc *ab* Homero *ad iuuandos homines uniuerſos edita ſunt, rerum bene gerendarũ exempla.* Verùm *ut ad* Meſſenios *redeam,*

non

non multis poſt captum Elidem annis, Demetrius Macedorum rex, Philippi filius, Demetrij maioris nepos, Meſſenen ditioni ſuæ ſubiecit. Multa nos quidem, quæ inſolenter egit Perſeus in Philippũ et Demetrium, cõmemorauimus, qua in parte in Sicyoniorum rebus uerſata eſt hiſtoria. Quemadmodum uerò Meſſene à Demetrio occupata fuerit, nunc exponam. Laborabat Philippus pecuniæ egeſtate, qua carere nullo pacto poterat. Eam ob rem cum aliquot nauibus Demetrium in Peloponneſum mittit. Is in portum quendam appulit Argiuorũ finium non ſanè celebrem: inde uerò raptim per occultos calles Itinere maximè compendiario ad Meſſenem duxit, et collocato quidẽ in agminis fronte, omni, quod tunc fortè habuit, leuis armaturæ genere, rectà Ithomen uiarum non ignarus contendit, & clàm ante diluculũ muros tranſcendit, qui medij inter arcẽ Ithomes, & urbẽ ipſam fuere. Orta iam luce, cũ ſenſiſſent Meſſenij ſe oppreſſos, in tam graui periculo trepidantes, ſuſpicari primùm ſe Lacedæmoniorum fraude captos: quare ueteri in Spartanos odio incitati, nihil uitæ parcentes, acriter pugnã capeſſebant. Vbi uerò ex ipſa armorum ſpecie, & oris ſono, Macedonas & Demetrium ipſum agnouerunt, ingenti ſunt perculſi terrore: cogitabant enim fore ſibi iam negotiũ cum gente ad omnes belli artes paratiſſima, quæq; aduerſus quoduis hoſtiũ genus fortuna ſemper uſa fuiſſet ſecundiſſima. Impendentis tamen mali magnitudo uirtutem auxit, et ſimul ad bene ſperandũ animos illud erexit, quòd ex tam longo temporis interuallo, non abſq; deorum conſilo redire ſibi in Peloponneſum liciturum fuiſſe iudicabant. In Macedonas itaq; tam ex urbe, quàm à dextera parte ex arcis præſidio impetus factus. Et illi quidem initio cùm uirtute, tum rei militaris ſcien

tia hoſti pares fuere. Poſtremò, ut qui ex itinere feſsi erant, hinc uiris urgentibus, illinc fœminis tegulã & lapides eiaculantibus, fugam effuſiſsimam fecere. Multi è præerupta rupe (ea enim parte maximè confragoſa eſt Ithome) præcipites corruere. Pauci abiectis armis incolumes euaſere. In Achæorum concilium idcirco Meſſenij non iere (uti mea fert opinio) quòd cùm ultro miſiſſent auxilia bellantibus cum Pyrrho Aeacidæ filio Lacedæmonijs, eoq́; beneficio iam propè inter ipſos pacata eſſent omnia, illud cauendum putabant, ne ſi in Achæorũ, qui aperti erant Spartanorũ hoſtes, concilium ſe conſcribi poſtulaſſent, ueteres inimicitias renouaſſe uiderentur. Ac illud quidem Meſſenios, opinor, nõ fefellit, quod ipſi in mentẽ mihi uenire potuerit: cogitaſſe eos, etiam ſi cum Achæis nõ feciſſent, per ſe tamen Achæos Lacedæmoniorũ hoſtes fore. In Achaico enim concilio Argiui & Arcades nõ parũ habebãt loci. Verùm et ipſi ſe cum Achæis Meſſenij poſt longi temporis cunctationẽ cõiunxere. Neq; ita multò pòſt Cleomenes Leonidæ filius, Cleonymi nepos, Megalopolin Arcadiæ principem ciuitatẽ per ſpeciem fœderis cepit. In ea qui deprehenſi fuerunt, omnes interempti. Qui uerò cum Philopœmene Craugidis filio effugêre (quæ multitudo duæ amplius ciuitatis eius partes fuere) eos Meſſenij liberaliter accepere, cùm ob ueterum erga ſe meritorum memoriam, quibus iam tum Ariſtomenis temporibus fuerãt ab Arcadibus prouocati, tum uerò ut gratiã parẽ referrent, pro eo quòd ab illis in Meſſene reſtituenda adiuti fuerant. Eſt ita comparatũ natura, ut rerũ humanarum uiciſsitudo huc illuc omnia transferat. Nam & Arcadibus Meſſenij uiciſsim ſalutis autores fuere: et Arcadas rurſus Spartæ capiendæ Meſſenijs ſocios fortuna eſſe uoluit. Cùm enim collatis ſignis

gnis cum Cleomene ad Sellaſian dimicaſſent, mox Aratum Achæorum ducem ſecuti Spartam expugnarunt. Vixdum erant Lacedæmonij Cleomenis dominatu liberati, cùm Mechanidas tyrannus exortus, quo ſublato, Nabis dominationem inuaſit. Is cùm profanas & ſacras ædes ſpoliaſſet, breui ingentem coëgit pecuniam, & ex ea copias, quibus imperiũ tueretur, & augeret, ſibi comparauit. Cùm hic ipſe Nabis Meſſenen noctu occupaſſet, Philopœmen & Megalopolitani præſtò fuere, quorum interuentu cedere tyrannus coactus ſub certis fœderis conditionibus. Achæi poſtea iniuria ſe prouocatos queſti, omni ope ſua bellũ Meſſenijs intulere. Ac primùm quidem agrum peruaſtarunt, deinde ſub ipſum meſſis tẽpus, collectis undiq; copijs irrumpere in Meſſeniã conati ſunt. At Dinocrates, qui ſummæ tunc reip. præerat, cuiq; populi ſuffragijs exercitus imperium decretũ fuerat, occupatis anguſtijs, quà aditus in Meſſeniã patebat, Lycortæ Achæorũ ducis incœptũ effecit ut irritũ eſſet: cum Meſſenijs enim & finitimorum auxilijs occurrens, hoſtẽ facilè repulit. Quin & Philopœmenẽ, qui, quòd de Lycortæ conatu certior factus non fuerat, ſerius cũ paucis equitibus ſubſidio Achæorum uenerat, reliquo hoſte proſpera pugna cæſo & fugato, uiuũ cepere. Quo autẽ modo captus fuerit Philopœmen, & quis eius uitæ finis, in eo, qui eſt de Arcadũ rebus, libro enarrauimus. Ii certè è Meſſenijs, quorum ſuaſu eſt ille uir interfectus, meritas pœnas luêre. Ac rurſus Meſſenij Achæorũ ſunt partes ſecuti. Adhuc uaria Meſſeniorũ infortunia ſtylo ſum perſecutus, & quemadmodum eos fortuna ſua procul à Peloponneſo in ultimas terras actos, mox in priſtinas reduxerit ſedes, commemoraui: hinc ad agri urbisq; partes explicandas orationem conuertam. Aetate no-

ſtra in Meſſenia extat Abia oppidum ad mare longè à ſaltu, qui Choerius dicitur, ſtadia haud amplius XX. Iren uocatā ferunt, & de ſeptem illis unam fuiſſe, quas Agamemnon apud Homerum ſe daturum Achilli pollicetur. Gleno autem & Dorieo ab Achæis bello ſuperatis, Abiam tradunt Hylli Herculis filij nutricem Iren cõmigraſſe: ibi domicilio ſuo conſtituto, Herculi templum dedicaſſe: Creſphontē poſtea cùm grato pioq; animo memoriā fœminæ celebraret, & alios ei honores habuiſſe, & urbem, mutato nomine, Abiā appellari uoluiſſe. Herculis quidem in ea urbe & Aeſculapij templa ualde illuſtria extant. Abia deſcendentibus abſunt Pharæ ſtadia fermè LXX. In ipſa uia ſalſa aqua eſt. Meſſenios, qui Pharas tenent, Auguſtus Cæſar Laconico nomini adiunxit. Eius oppidi conditorē celebrāt Pharin, Mercurio & Philodamea Danai filia genitū. Pharin nullā uirilem ſobolem, filiā unicā Telegonē reliquiſſe aiūt. Eius gentilitatis perpetuā ſeriem in Iliade percenſuit Homerus. Diocli geminos fuiſſe Crethonem & Ortilochum: Dioclen ipſum Ortilocho Alphei filio ortum. De Telegone mentionem prorſus nullam fecit. Ea, ſi Meſſenios audiamus, Ortilochū Alpheo peperit. Audiui et illud cùm Pharis eſſem: præter geminos, filiā Diocli fuiſſe Anticlean: ex ea & Machaone Aeſculapij filio Nicomachum & Gorgaſum natos: Pharis eos permanſiſſe, & Diocle mortuo regnum adiſſe. Creduntur illi hac etiamnum ætate morbis laborantes, & aliqua captos corporis parte ſanare: eoq; nomine in eorum fanum uictimas ſacrorum cauſa, et donaria mittunt. Habent & Fortunæ fanū Phareatæ, cum peruetcri ſigno. Ac Fortunæ quidem, cui Tyches apud Græcos nomen, primus (quod ſciam) mentionē fecit Homerus in hymno in Cererem, cùm & alias Oceani filias,

lias, Tychen etiam ipſam, tanquam Oceani filiam, ludentes cum Proſerpina feciſſet, his uerſibus:

Vnà omnes uario per prata comantia flore,
Candida Leucippe, Phenoq́;, Electra, & Ianthe,
Melobosis, Tyche, & Ocyrhoë præſignis ocellis.

De ea nihil præterea. Neq; illud omnino, quod uulgò creditur, Deam eſſe maximam, penes quam ſint rerum humanarum momenta omnia, cùm idem tamen poëta in Iliade bellantibus Palladem et Enyῶ præfecerit. Dianam ſanctã fœminis parturientibus, et uerendam eſſe dixerit. Veneri autẽ nuptiarum curã attribuerit. Verùm de Fortuna nihil ille plus quàm antè dictũ eſt memoriæ prodidit. Bupalus certè delubris ædificandis, & ſimulachris fingendis admodũ ſolers, cùm Smyrnæis Fortunæ ſignũ omniũ, quos ipſi ex antiquitatis monimentis cognouerimus, primus finxiſſet, capiti polum impoſuit, altera uerò manu Amaltheæ, quod Græci appellant Cornu, tenentem fecit. Ad hunc ille modum Fortunæ munera declarauit. Mandauit poſt hunc & alia de Fortuna uerſibus Pindarus, et eam Pherepolin, quod eſt ac ſi dixeris, Ciuitatum tutricem, cognomento appellauit. Non longè à Pharis lucus eſt Apollinis Carnij nomine, & in eo perennis aquæ fons. Ab ſunt à mari Pharæ ſtadia fermè VI. Hinc ad eiuſdem Meſſeniæ mediterranea contendentes ſtadia procul circiter LXXX. Thuriatarum urbs excipit: appellatam Homeri uerſibus Anthean putant. Eam Spartanorũ ciuitati ſubiecit Auguſtus. Nam cùm is cum Antonio ciuile bellum gereret, Antonij quidem ſectã Meſſenij idcirco ſecuti ſunt, quòd Auguſti partem iuuerunt Lacedæmonij. Quocirca uictor Auguſtus è Meſſenijs qui contrà in acie ſteterũt, leuius alios, alios grauius mulctauit. Thuriatæ ipſi ex oppido,

quod iam tum ab initio in excelſo fuit tumulo, in planitiem deſcendêre. Non *tamen ſuperiorem urbem omnino deſerue re:nam & murorum adhuc reliquiæ cernuntur,& templũ extat, quod deæ Syriæ dicitur. Campeſtrem urbem fluuius præterlabitur* Aris *nomine.In ora interiore* Calamæ *uicus, et* Limnæ *caſtellum eſt:in hoc* Limnatidis Dianæ *ædes, quo loco* Spartæ *regem* Teleclum *occiſum fama prodidit. Quà à* Thuria Arcadiam *ferè uerſus iter eſt, fontes habet* Pamiſus *amnis, quorum aquæ infantium morbis medentur. Iam uerò ab his fontibus ad læuam digreßis ad ſtadia plus minus* LX. *Meſſeniorum ſub* Ithome *urbs eſt, regionis caput: ea nõ* Ithome *ſolùm,ſed quà ad* Pamiſum *excurrit, monte* Eua *incingitur. Huic monti à bacchantiũ uoce* Euoë *nomen inditum ferunt,cùm hoc primùm in loco & ipſe* Liber Pater, *et quæ eum ſequebantur fœminæ, ſic inclamaſſe credantur. Qui urbem ambiunt muri, è lapide ſtructi ſunt:ex ijs turres & pinnæ, quo opus eſt loco,eminent.* Babylonis *quidẽ muros,aut qui* Memnonij *dicuntur,* Suſis *in* Perſide *neq; uidi, neq; cuiuſmodi ſint de quoquam, qui ipſe uiderit, audiui. Quas uerò urbes muris munitiſsimas ipſe uiderim,* Ambroſos *eſt,* Phocica,Byzantium, & Rhodos: *eæ tamen murorũ munitionibus cum ipſa* Meſſeniorum *urbe comparandæ nõ ſunt. In foro* Iouis *eſt ſignum* Seruatoris,*et aquæductus,cui nomen* Arſinoë,*à* Leucippi *uidelicet filia: defluit in eum aqua de fonte,quem* Clepſydran *uocãt. Delubra deorũ duo,* Neptuni & Veneris, *& quod memoria maximè dignũ eſt,* Deûm matris *è* Pario *lapide ſignũ,*Damophontis *opus, qui* Olympiũ *etiã* Iouem *ſolutis iam eboris compagibus ad unguem exactißimè coagmentauit: quare ſunt ei meritò ab* Eleis *honores habiti.Fecit idem* Damophon,*quã* Laphrian

Meſſenij

Meſſenij nuncupant: cuius ob huiuſmodi cauſam ſancita eſt religio. Calydonij Dianam in primis colunt, cognomento Laphrian. Eius cæremonias recepere Meſſenij, cùm Naupacto accepta ab Athenienſibus in Aetolia Calydonijs finitimi eſſent. Et tunc quidem Meſſenij, & ex Achæis Patrenſes duntaxat Laphriæ nomen uſurparũt. Epheſiam quidem Dianam urbes propè cunctæ eodem celebrant cognomine. Et ſanè deam priuatim uiri omnes magnis proſequuntur honoribus: hoc, opinor, cùm Amazonum gloriæ tribuunt, à quibus fanum illud dedicatum fama uulgauit, tum operis priſci antiquitati. Tria præterea templi celebritatẽ augent: magnitudo primùm, qua cætera omnia hominum opera anteit: Epheſiorum deinde ciuitatis ſplendor: & ipſa poſtremò deæ claritas. Habent Meſſenij Lucinæ etiam delubrum cum marmoreo ſigno. Proximum eſt Curetum ædes, in qua cuiuſuis generis animalia immolant. Facto enim à bobus & capris ſacri initio, ad aues deſcendunt, quas in flammas porriciunt. Magna etiam cum religione Cereris ædes celebratur. In ea Gemellorum ſimulachra ſunt, eo habitu, quo Leucippi filias rapuere. Eſt uerò ſuperius expoſitum, controuerſiã eſſe Meſſenijs cum Lacedæmonijs, ab utris Caſtores oriundi ſint: eos utiq; ſibi Meſſenij uindicãt. Plurima uerò, & quæ ſpectentur digniſſima habet ſigna apud Meſſenios Aeſculapij fanũ: ſeorſum enim Dei ipſius, & eius liberûm ſimulachra, ſeorſum Muſarũ, Apollinis, & Herculis poſita ſunt. Suũ inter cætera locũ habẽt urbs Thebana, Epaminũdas Cleõmidis filius, Fortuna, et Diana Lucifera. Horũ quæ marmorea ſunt fecit Damophon, quem unum è Meſſenijs artificẽ nouimus nõ indignũ cuius mentio fiat. Epaminũdæ effigies è ferro eſt, eam alius omnino opifex fecit. Templum

extat Meſſenes Triopæ filiæ, cuius ex auro & Pario marmore factum eſt ſignum. In poſtica templi eius parte picti ſunt qui Meſſene regnarunt omnes, ante Dorienſium in Peloponneſum aduentū, Aphareus uidelicet, & filij. Poſt Herculis uerò filiorū reditum Creſphontes, unus et ipſe de Dorienſiū ducibus. De ijs uerò qui Pylum tenuerunt, Neſtor, et eius filij Thraſymedes & Antilochus: his enim, quòd natu maximi fuere, honos in primis eſt habitus, eoq; maximè quòd bello Troiano interfuerunt. Pictus eſt etiā Leucippus Apharei frater, & cum eo Ilaira, & Phœbe: Arſinoë præterea, et ipſe Arſinoë natus, uti prædicant Meſſenij, Aeſculapius, et Aeſculapij filij Machaon et Podalirius: nam & illorum clarum fuit Troiano bello nomen. Has omnes imagines pinxit Omphalion Niciæ Nicomedis filij diſcipulus, quē ſeruiſſe Niciæ, eiq; in delicijs fuiſſe nōnulli tradiderūt. Quæ uerò ædes apud Meſſenios Hierothyſion uocatur, quod eſt ac ſi dixeris Sacroſanctū ſacrariū, habet deorū omniū ſigna, quorum in Græcia ſancitæ religiones ſunt: inter ea ænea eſt Epaminundæ effigies. Dedicati etiam ſunt tripodes uetuſti, quos ἀπύρυς, quaſi dicas ignis expertes, appellat Homerus. Iam uerò quæ in gymnaſio ſigna ſunt, opera Aegyptiorū artificum fuere, Mercurius, Hercules, Theſeus: hos enim cùm Græci, tum Barbaræ nationes multæ, exercitationū præſides habent, eoſq; in palæſtris præcipuè colunt. Aethidā in eo ſignorū numero comperi, hominem quàm ego ſum natu maiorem: huic Aethidæ tanquā heroi ſtatuā poſitam, & honores inſtitutos dicūt, quòd egregiè pecunioſus fuerit. Fuiſſe alij præclarā & luculentā pecuniam Aethidæ nō negāt: pernegant uerò eum, cuius erecta fuerit ſuper columna ſtatua, diuitem illum Aethidem fuiſſe, ſed ei cognominem, quo duce

duce Meſſenij Demetrium Philippi filium, cùm noctu ſubito impetu Meſſenen oppreßiſſet, repulere. In eodem gymnaſio Ariſtomenis uiſitur ſepulchrũ, quod ſanè eſſe inane, atq; honorarium duntaxat negant. Et percunctanti quidem mihi quonam modo eius, qui Rhodi mortuus dicatur, oſſa in eo monimento condita credi poßit: reſponſum eſt, Pythij Apollinis iuſſu in patriã reportata: & inſuper ſacri, quod ad eum tumulũ ſolenni ritu fiat, mihi cæremonias expoſuerũt. Eæ huiuſmodi ſunt. Aræ deſtinatum taurum ad pilam non procul à ſepulchro alligant: is cùm ferox & uinculorum ſit inſolens, euadere conatur: quòd ſi dum trepidat, & exilit, pila moueatur, ſecundum id eſt Meſſenijs omen: ſin prorſus immota ea pila ſteterit, calamitatem ſibi aliquã portendi interpretantur. Interfuiſſe uerò Ariſtomenen Leuctricæ pugnæ, & auxilio Thebanis fuiſſe, & eius maximè opera magna clade afflictos Lacedæmonios prædicãt. Enimuero primos omnium Chaldæos, & Indorũ magos memoriæ prodidiſſe noui, eſſe hominũ animos immortales. Aſſenſi deinde ſunt eis tum alij Græcorum, tum Ariſtonis filius Plato. Id ſi cõmuni hominũ opinione comprobetur, facilè & illud credi poßit, Ariſtomenis in Lacedæmonios odiũ, in omne poſterum tempus perduraſſe. Nõ alienũ certè eſt à Meſſeniorum oratione, quæ aliquando de Thebanis audiui, etſi non congruit omni ex parte utriuſq; gentis ſermo. Aiunt itaq; Thebani, cùm propè eſſet ut cum hoſte ad Leuctra congrederentur, miſſos qui & alia oracula, & eum qui in Lebadea colitur, deum conſulerent: & ſanè ab Iſmenio, Ptoo, Abis, Delphis miſſa reſponſa cõmemorantur. Quæ uerò ſenarijs heroicis uaticinatus fuerit Trophonius, hæc ſunt:

Ne petite antè hoſtem ſacrum quàm cura trophæum

Sit uobis poſuiſſe: hic ſcutum ornate quod acer
Fixit Ariſtomenes Meſſenius, ipſe inimicas
Scutatorum acies, infeſtaq; tela refringam.

Accepto oraculo impetraſſe à Xenocrate precibus Epaminundam tradũt, ut Ariſtomenis clypeũ ſibi mitteret, illumq; ad trophæi, quod erexerat eo loco unde poſſet à Lacedæmonijs cõſpici, inſignia addidiſſe. Norant Lacedæmonij fixum in Lebadea ſcutum Ariſtomenis: nam & multi per ocium ad Trophonij profecti, illud fuerant conſpicati, & planè omnes ita eſſe audierant. Parta uerò uictoria ſuum Trophonio donum Thebani reſtituere. Eſt etiam in ſtadio poſita ex ære Ariſtomeni ſtatua. A theatro non procul Sarapidis & Iſidis fanũ eſt. Aſcendentibus ad Ithomes iugũ, ubi eſt Meſſeniorum arx, fons, cui Clepſydra nomen, manat. Longũ eſſet & difficile, ut maximè propoſitũ id quis haberet, populos enumerare, qui Iouem apud ſe natum et educatũ affirmant. Nam & Meſſenij Iouis incunabula ſibi uindicant, eiusq; nutrices nominãt Nedã, à qua fluuius, & Ithomen, à qua mons nomen acceperit. Has quidem Nymphas ſurreptũ à Curetibus Iouem ob Saturni metũ, in hoc aiunt fonte lauaſſe, & ab eo furto aquæ nomen inditum. Inde ad ſacra Ithomata Iouis per totos dies hauſtam aquã in templum deportant. Signum Iouis fecit Ageladas ijs olim Meſſenijs, qui Naupacti conſederunt. Domi ſuæ illud ſeruat ſacerdos annuus. Agitãt uerò feſtos anniuerſarios dies, Ithomæa nuncupant. Ludos etiam priſcis temporibus Muſicos inſtitutos fuiſſe, & aliunde, & ex Eumeli uerſibus licet conijcere, quos in Delum proluſit:

Grata etenim ſemper tibi Iuppiter incola Ithomes,
Muſa fuit, puro gaudet quæ libera cantu.

Quà ad Arcadiæ urbẽ Megalopolin egreſſus patet, in ipſa

porta

porta Mercurij ſignũ, Attici operis. Athenienſes enim quadrangula figura Hermas fecere, & eam ab illis alij Græciæ populi acceptam formam in Mercurij ſigillis uſurparunt. Abeſt à porta ſtadia fermè X X X. *Balyra amnis. Nominis eam putant fuiſſe cauſam, quòd in eum captus oculis Thamyris lyram abiecerit. Philammone & Argiopa Nympha genitum Thamyrin fama uulgauit: Argiopam Parnaſsi fuiſſe incolam: eam, cùm iam uterum ferret, in Odryſas migraſſe, recuſante puellæ nuptias Philammone: eo euenit ut Odryſen ac Thraca etiam Thamyrin uocent. In hunc fluuium alij duo influunt, Leucaſia & Amphitus. Trans eos amnes campi ſunt qui Stenyclerici nominantur: Heroëm aiunt fuiſſe Stenyclerum. E campi eius regione uicus eſt, priſci Oechaliam, Carnaſium ſaltum ætas noſtra appellat: in eo denſiſsima cupreſſorum ſylua eſt. Signa deorum ibi poſita, Apollinis Carnei, & Mercurius arietem portans. Iam uerò quæ Caſta puella dicitur, Ceres ea eſt. Prope illud ſimulachrum aqua è ſcatebris profluit. Quo uerò Deas magnas ritu colant (nam in Carnaſio quoq; ſua illis celebrantur initia) facilè in arcanis eſſe patior. Hæc certè initia ſecundũ Eleuſinia præcipuam quandam mihi ſanctimoniam habere uidentur. In ea quidem ærea urnula, quam dux Argiuus à ſe compertam protulit, Euryti Melanei filij oſſa ſeruari, nulla uel in uulgus prodere, ſomnij religione prohibeor. Labitur prope Carnaſium amnis Charadrus. Ad læuã ad ſtadia fermè octo progreſsis Andaniæ ſunt ruinæ. Ei ſanè urbi ab Andania puella nomen impoſitum, eſt omnium antiquitatis interpretum conſenſu receptũ. Quibus uerò ſit orta parentibus, aut qui cum nupta fuerit, nõ habeo dicere. Ab Andania qui Cypariſsias uerſus iter habent, per oppidulum tranſeant Ele-*

minus illos quidem infenſos quàm crocodili ſint. At Græciæ flumina hæc beſtiarum portenta non gignunt: nam qui in Acheloo, qui per Theſprotiden labitur, ſunt canes, aduenæ è mari influunt. Eſt ad Pamiſi dexteram Corone urbs, ſub Temathia monte. In hac eadem uia uicus maritimus eſt, quẽ Inûs ſacrum putant: huc enim è mari delatam Inò dicunt, cùm Leucothea cœpta nominari, in dearum iam fuiſſet numerum relata. Paulò hinc longius Bias amnis in mare exit: nomen ei impoſitum creditur à Biante Amythaonis filio. Iam ſtadia propè x x. *procul à uia abeſt Plataneti fons: aqua è patula profluit platano. Eſt ea platanus in ſpeluncæ modum cauernoſa, parua quidem latitudine. Deſcendit ea aqua potu ſuauis ad Coronen uſq;. Vrbs priſco nomine Aepea uocabatur: poſtea uerò quàm Thebanorum ductu reſtituti ſunt Meſſenij, Epimelidem tradunt deducendæ coloniæ præfectũ, Coronean appellaſſe, quòd ipſe ex Coronea Bœotiæ urbe ueniſſet: ſed ab initio Meſſenios non rectè eam nominaſſe, & eam nominis deprauationẽ ipſo tempore inualuiſſe. Eſt & illud fama uulgatum: Cùm ſulcus muris deſignandis imprimeretur, æream cornicem repertã. Delubra illic extãt Dianæ Nutricis cognomento, Pædotrophon ipſi dicunt: Liberi Patris, & Aeſculapij: & horum quidem ſigna è marmore. Iouis in foro Seruatoris ex ære ſimulachrũ eſt. Aeneum eſt & Mineruæ in arce ſub diuo, cornicem manu tenens. Vidi etiam Epimelidæ ſepulchrum. Qua uerò de cauſa portum Achæorum appellent, compertum nõ habeo. A Corone ſtadia propè octoginta progreſſis, Apollinis templum in ora maritima eſt magna religione percelebre: nam & omnium eſſe antiquiſſimum autumant Meſſenij, & deus ipſe (quem Corinthum Apollinem nominant) certam labo-*

rantibus morborum opem impertit. Signa duo uiſuntur, è ligno unum, quod Argeus fecit: ex ære alterum, quod ab Argonautis dedicatum credunt. Coronæorum urbi finitimæ ſunt Colonides. Negant uerò qui illic habitant ſe Meſſenios eſſe, ſed ex Attica terra huc dicunt Colænum galeritam ex oraculo ſecutum in ea loca ueniſſe: procedente deinde tempore linguam & mores Dorienſium accepiſſe. Sitæ ſunt Colonides eminenti loco, modico ſpatio procul à mari. At Aſinæi Lycoritis finitimi, Parnaßi olim accolæ fuere: nomen illis tunc fuit Dryopes, quod poſtea in Peloponneſum reuerſi aliquandiu retinuerunt, ſumptum ſcilicet à coloniæ duce. Tribus uerò pòſt ætatibus cùm Phylante regnum obtinente, prælio ab Hercule uicti, Apollini Delphico deuoti fuiſſent, ex eiuſdem dei reſponſo in Peloponneſum ab Hercule deducti, Aſinen primùm prope Hermionem tenuerunt: inde ab Argiuis eiecti, Meſſeniæ partem à Lacedæmonijs acceptam habitarunt. Ac Meſſenij quidem in Peloponneſum poſtliminio reuerſi, facilè eorum ciuitatem incolumem eſſe paßi ſunt. De rebus uerò ſuis ita cõmemorant Aſinæi, ut ab Hercule ſe fuiſſe prælio ſuperatos fateantur, & urbem ſuam in Parnaſſo captam: captiuos uerò ſe ad Apollinis pertractos negant. Muris enim expugnatis ab Hercule, deſerto oppido ſe diffugiſſe narrant ad Parnaßi iuga: ac mox cùm in Peloponneſum nauibus tranſmiſiſſent, Euryſthei opem ſupplicum in morem ornatos imploraſſe, & ab illo quidem cùm in Herculem implacabili odio laboraret, in Argolica terra Aſinen ſibi traditam. Soli uerò è Dryopibus Aſinæi noſtra etiamnum ætate ſe nominis claritate efferunt, multò certè ſecus quàm in Eubœa Styrenſes. Nam cùm & ipſi ab eo Dryopũ numero oriundi ſint, qui, cùm extra urbis mœnia

nia domos haberent, pugnæ non interfuerunt, Dryopum *tamen nomen aſpernati ſunt: ſicuti & Delphi* Phocenſes *nominari ſe, neutiquã ſibi laudi duxerunt: contrà Aſinæi ea maximè appellatione lætantur, idq; religioſiſsima quæq; apud ipſos templa maximè declarant, eadem forma exædificata, qua illa olim fuerant in* Parnaſſo *dedicata: duo uerò in primis,* Apollinis *unum,* Dryopis *alterum cum perueteré ſimulachro. Initia quidem quotannis* Dryopi *peragunt, cumq;* Apollinis *filium fuiſſe dictitant. Sita & hæc urbs ad mare eſt, uti olim fuit* Argolica *illa uetuſtior* Aſine. *Ad eam à* Colonidis *quadraginta ſtadiûm uia eſt.* Tantundem *ab* Aſine *abeſt regio, cui* Acritæ *nomen.* Excurrit *in mare* Acritas, *& ante ipſum deſerta eſt inſula* Theganuſa. *Secundùm* Acritan *portus eſt* Phœnicûs, *& ipſi proxima inſula* Oenuſæ. Mothone *antequàm* Græcorum *delectus haberetur,* Iliaci *etiam belli temporibus* Pedaſos *dicta eſt: mutato deinde nomine, ipſi tradunt* Mothonei *ab* Oenei *filia nuncupatam:* Oeneo *etenim* Porthaonis *filio cùm poſt exciſum* Iliũ *cum* Diomede *in* Peloponneſum *receßiſſet, è* Palæa Mothonen *filiã genitã: mea uerò fert opinio, à ſcopulo qui* Mothon *dicitur, loco nomẽ datum: is enim portũ efficit, dum & anguſtiorẽ nauibus ipſe è mari prominẽs appulſum relinquit, & ſimul ab imo fluctibus obſiſtens, maris impetum & æſtus cõcitatiores frangit.* Expoſitũ *eſt in ſuperiore hiſtoriæ parte,* Lacedæmonios Nauplienſibus *in inuidiam apud alios* Græciæ *populos uocatis, et eo nomine ſuis è ſedibus eiectis, quòd partis* Laconum *eſſent,* Damocratida Argis *regnante* Mothonen *tradidiſſe, ac omnino nulla propter* Meſſeniorum *reditum noua calamitate affectos.* Fuere *autem (ſicuti ego exiſtimo)* Nauplienſes *ex ea* Aegyptiorum *claſſe, quæ*

cum Danao ad Argolicam terram appulit: ætatibus uerò tribus pòſt à Nauplio Amymones filio in coloniam deducti ſunt, & à conditore eſt ea colonia Nauplia nuncupata. At Mothonæis Traianus Cæſar conceßit, ut cum liberis populis cenſerentur, & ſuis legibus uterentur. Sed ante ea tempora, ſolis ex omnib. Meſſenijs, qui ad mare ſunt, huiuſmodi accidit infortunium. Res Theſprotidis per interregna propè euerſæ fuerant. Deidamia enim Pyrrhi filia orba liberis diem obijt ſuum. Regnum illa quidem moriens populo cõmendauit. Pater ei Pyrrhus fuerat Ptolemæi filius, Alexandri nepos, maioris Pyrrhi pronepos. De Pyrrho quidẽ Aeacidæ filio antè egimus, cùm in Atticæ terræ deſcriptione uerſaremur. Hunc Procles Carthaginienſis fortuna et rerum geſtarum ſplendore Alexandro Philippi filio inferiorem fuiſſe teſtatur: in diſponendis uerò in acie peditum equitumq́; copijs, & item capiendi conſilij quo hoſtis caperetur arte, illo multò meliorem. Accepta libertate populus & alijs in rebus indies erat inſolentior, & omnino ſe nihil magiſtratibus audientem præbebat, quare ſubito impetu ab Illyrijs Ionij maris incolis oppreßi ſunt. Neq; uerò ullam nouimus popularem rempub. magnos habuiſſe progreſſus, Atheni enſibus exceptis, qui & præcipua quadam prudentia cæteris Græcis præſtiterunt, & ſuas religioſißimè omnium leges obſeruarunt. At Illyrij, guſtata ſemel dominandi dulcedine, cùm augendi imperij cupiditate flagrarent, ædificatis nauibus, & alios aggreßi populos excurſionibus infeſtos reddidere, uti quiſq; maximè fuit iniuriæ expoſitus, & amicitiæ ſpecie ad Mothonæorum portum appulerunt, atq; inde in urbem miſère qui uinum ad naues ut deportaretur rogarent. Cumq́; ab oppidanis non ſanè multis uinum comportatum

tatum

tatum eſſet, emerunt quanti eſſet à Mothonæis æſtimatũ Illyrij, & uiciſſim de mercibus ſuis aliquid illis uendiderunt. Poſtero die cùm ad portum multò plures deſcendiſſent, & illis lucri faciendi copia facta eſt: poſtremò cùm etiam fœminæ et uiri magna utiq; manus ad naues ueniſſent, uinum ut uenderent, et de hoſpitũ rebus mercarentur, ibi Illyrij uiros multos, fœminas plures ui correptas in naues impoſuerunt, & propè ad ſolitudinem Mothonæorum oppido redacto, per Ionium mare intra ſuos ſe fines recepere. Eſt Mothonæ Mineruæ Anemotidis cognomento delubrum: à Diomede dicatum aiunt, & deæ nomen impoſitũ. Nam cùm intempeſtiuis tota regio uentis grauiter laboraret, uotis à Diomede Mineruæ nuncupatis, quaſi omnis illa uentorum ſæuitia in poſterum etiam omne tempus conquieuit. Extat etiam Dianæ ædes, ubi aquæ puteus pice permiſtæ, quæ cùm odoris ſuauitate, tum colore perſimilis eſt Cyziceno unguento. Omnium quidem, quas aſpexerim, aquarum, maximè cærulea eſt in Thermopylis, neque tamen tota, ſed ea præcipuè quæ in natationem influit, quas incolæ muliebres uocant olas. Rutila uerò propè ad ſanguinis colorẽ aqua per Hebræorum terram non longè à mari, agro Ioppe urbi finitimo, labens uiſitur. Perſeum interempto monſtro cui Cephei filia fuerat expoſita, in eo flumine cruorem abluiſſe, indigenarum ſermo uulgauit. Vidi etiam ad Aſtyra nigram aquam. Sunt Aſtyra calidarum aquarum balneæ contra Leſbum in eo uico, qui Atarnus appellatur: eam Leſbij mercedem à Perſarũ rege accepere, cùm illi Pactyã hominẽ Lydum, qui ſupplex ad ipſos cõfugerat, dedidiſſent. Oſtendunt etiam Romani non longè ab urbe trans amnem Aniẽnẽ albam aquam: in eam qui deſcenderint initiò tam frigidã ſen-

tiunt,ut exhorreſcant: at ſi paululum fuerint immorati, nihil minus incaleſcunt, quàm ſi uehementer calidum medicamentũ ebibiſſent. Atq; has ego quidem aquas, ingenio fontium planè admirabili, ipſe ſum conſpicatus. Nam uulgata prætereo aquarum miracula: neq; enim aut ſalſam, aut acerbam aquam è fontibus manare magni miraculi loco ducendum. Non omittam duos diuerſa admodum natura & loco fontes. Fluit per campos, qui Albi dicuntur, non longè à Cardia, prope pagum qui Daſcyli dicitur, aqua calida, lacte hauſtu ſuauior. Iam uerò ab Herodoto literis proditum memini, amaræ aquæ riuum in Hypanim amnem influere: quod certè nõ uideo cur à ueritate abhorere putemus, cùm ætate noſtra ad Puteolos, quod eſt Tyrrheni maris accolarum oppidum, aqua extiterit tam acuto calore efferueſcens, ut intra paucos annos plumbeos, per quos fluit, tubulos reſoluerit. A Mothone ad Coryphaſiũ promontorium, uia intereſt haud minus ſtadia centũ. In ipſo promontorio eſt Pylos, quam Cleſonis filius Pylus condidit, deductis in eam è Megaride Lelegibus: ſed ei parum diuturnum illud fuit imperium, à Neleo ſiquidem & Pelaſgis ab Iolco uenientibus pulſus eſt, quare inde abiens in proximos fines, Pylon in Elea tenuit. Eò uerò dignitatis Pylon perduxit Neleus, ut ab eo rege Neleã urbem uerſibus Homerus appellarit ſuis. Eſt Pyli Mineruæ templum, cognomento Coryphaſiæ: & domus, quæ Neſtoris dicitur: in ea Neſtor ipſe pictus cernitur: & intra oppidum, eiuſdem eſt ſepulchrum: nam quod extra eſt, id Thraſymedis fuiſſe ferũt. Oſtenditur in ipſa urbe ſpelunca, in qua Neſtoris, & ante eum Nelei boũ fuiſſe ſtabulũ dicunt: boues eas Theſſalicas fuiſſe genere de grege Iphicli, Proteſilai patris: eas Neleum à filiæ procis ſponſalitium munus

nus

nus depopoſciſſe: Melampodem itaq; Biantis fratris adductum gratia in Theſſaliam ueniſſe, & à paſtoribus quidem Iphicli in uincula primùm coniectum, deinde uerò pro reſponſis, quæ roganti Iphiclo dedit, uates cùm eſſet, mercedem boues cepiſſe. Fuit hoc præcipuum illis temporibus pecuniæ ſtudium, luculenta habere equorum & boum pecuaria. Nam præterquã quòd Iphicli boues Neleus expetiuit, Herculi etiam imperauit Euryſtheus, ut ex Hiſpania boues, quas eximia ibi ſpecie eſſe compererat, ad ſe abigeret. Sed eiuſdem pecoris mira fuiſſe incenſum cupiditate Erycen in Sicilia, ex eo conſtat, quòd cùm in luctæ certamen cum Hercule deſcendiſſet, hinc Herculis boues, illinc Erycis regnum præmia uictori propoſita fuerunt. Teſtatũ etiam in Iliade reliquit Homerus, Iphidamantem Antenoris filium boues centum ſponſalitiũ munus ſocero ſuo dediſſe. Quæ omnia ſatis perſpicuo argumento ſunt, bobus in primis priſcos illos homines delectatos. Paſcebant uerò, ut mẽa fert opinio, Neſtoris armenta extra fines: nam cùm totus fermè Pyliorum ager arenoſus ſit, alendo certè pecori minimè herboſus eſt. Hoc idem teſtatur Homerus de Neſtore loquens, cùm eum fere ubique arenoſæ Pyli regem appellet. Ante portũ Sphacteria inſula prominet, haud aliter quàm ante Deliorum naualem ſtationem, Rhenea. Eſt uerò ita plerunque comparatum, ut quæ antè loca obſcura fuerunt & ignota, ex aliquo hominum caſu & fortunæ momento, fama celebrentur. Nam & Caphareum Eubœæ promontorium, Græcorum ab Ilio cum Agamemnone redeuntium naufragium nobilitauit. Ac Pſyttalia quidem puſilla ante Salaminem inſula non aliunde nota eſt, quàm quòd in eo loco Perſæ propè deleti ſunt. Pari itaq; ratione Lacedæmo-

niorum ad Sphacteriam clades celebre ad poſteros loco nomen dedit. Porrò Athenienſes æneum in arce Victoriæ ſignum ad illuſtrandam rei ad Sphacteriam geſtæ memoriam dedicarunt. Quà à Pylo Cypariſsias iter, in ſuburbanis non procul à mari fons eſt, quem percuſſa thyrſo à Libero Patre, terra extitiſſe ferunt, eáq; de cauſa Dionyſiada fontē ipſum nominant. Extat ad Cypariſsias Apollinis templū, et Mineruæ cognomento Cypariſsiæ. Ad Aulonem delubrum eſt cum ſigno Aeſculapij Aulonij. Illinc proximè Meſſeniorum & Eleorum fines Neda amnis interfluens dirimit.

PAVSANIAE ELIACORVM PRIOR, SIVE LIBER QVINTVS.

GRæcorum quicunq; Peloponneſum in quinque duntaxat partes diuidūt, ij fateantur neceſſe eſt, in ea parte quæ eſt Arcadum, Eleos & Arcadas ipſos habitare: ſecundam uerò Achæorum, treis deinde reliquas Dorienſium eſſe. Nationes autem quæ Peloponneſum tenent, indigenæ Arcades & Achæi ſunt. Quorū Achæi à Dorienſibus patria pulſi, non tamen extra Peloponneſum abiere, ſed Ionibus eiectis, eam partem quæ Aegialus ueteri nomine dicebatur, nunc ab ipſis Achæis denominata eſt, colunt. Arcades uerò primæ originis terram in hoc uſq; tempus perpetuò incoluere. at reliqua ab inquilinis habitantur: ſiquidem huius ætatis Corinthij omnium maximè noui in Peloponneſo ſunt. Abhinc enim annos fermè ducentos decem & ſeptē, colonia hæc ab Imperatore Romano deducta eſt. Dryopes quoq; et Dorien

ſes,

ſes, ex Parnaſſo illi, hi ex Peloponneſi parte aduenerunt. Eleos etiam ſcimus ex Calydone, cæteraq; Aetolia huc traieciſſe, de quorum antiquitate quæ comperimus, hæc propemodum ſunt. Regnauit in hac terra primũ (ut ferunt) Aëthlius Iouis & Protogeniæ Deucalionis filius, qui Endymionem genuit: hunc à Luna adamatum, & ex ea filias quinquaginta ſuſcepiſſe fabulantur. Qui uerò magis ueritati conſentanea loquuntur, ipſum Endymionem aiunt tres tantùm genuiſſe filios, Pæonem ſcilicet, Epenum, & Aetolum, filiamq; unam Eurycyden, & hos ex Aſterodia uxore, ſiue ex Chromia Itoni filia, Amphictyonis nepte, ſeu ex Hyperippe Arcadis filia: uariæ enim ſunt de eius uxoribus ſententiæ. Propoſuit autem in Olympia curſus certamen de imperio filijs Endymion: ex eo uictor diſceßit Epeus, regnoq; potitus eſt, ac Epei primùm, qui ſub ditione eius tunc erant, appellati. Fratrum uerò, alterum quidem in patria cum fratre regnante permanſiſſe ferunt: Pæonē ſe ſuperatũ ægrè ferentem, longè à domo peregrè profectũ, ſuper Axio flumine, regionē ubi conſtiterat, de ſuo nomine Pæoniam appellaſſe. De Endymionis autem morte non conuenit inter Heracleotas, qui Mileſijs finitimi ſunt, & Eleos. Elei enim Endymionis monimentũ oſtendunt: Heracleotæ illũ dicunt in Latmũ montē ſeceßiſſe: & eſt quidem in eo monte Endymionis adytum. Epeus ex Anaxiroë Coroni filia, quam uxorē duxerat, filiam ſuſcepit Hyrminan, marem omnino habuit nullum. Accidit eo regnante, ut Oenomaus Alxionis, uel ut poëtæ uolũt alijq; nō pauci, Martis filius, qui Piſæis tunc imperitabat, regno expelleretur à Pelope Lydo, qui ex Aſia illuc tranſmiſerat. Occiſo Oenomao, Pelops & Piſæam obtinuit, & Olympiam huic finitimam, quæ ſub Epei ditione erat,

imperio ſuo adiecit. Hunc Pelopem dicunt Elei *primùm in* Peloponneſo *ſanũ* Mercurio *exædificaſſe, & ſacra feciſſe, quò deum ſibi ex* Myrtili *cæde infenſum placaret.* Aetolum *qui* Epeo *in regnum ſucceßit,ex* Peloponneſo *fugere oportuit,quòd eum,ob admiſſam imprudenter cædem,* Apidis *filij ad pœnam uocabãt.* Nam *cùm* Apin Iaſonis *filium à* Pallantio *Arcadiæ oppido originẽ ducentẽ, funebribus ludis, qui* Azani *fiebãt, incitatis quadrigis obuium euertiſſet* Aetolus,*ab* Aetolo Endymionis *filio* Acheloi *accolæ, quòd in eam continentis terræ partem fugerat* Aetolus, *appellati ſunt.* Epeorum *imperium ſuſcepit* Eleus *ex* Eurycyda Endymionis *filius, uel(ſi cui id credibilius uideatur)* Neptuno *genitus.* Ab *hoc* Eleo *qui prius nominabantur* Epei, *nomen acceperunt.* Ex *eo* Augeas *naſcitur. Atenim qui* Eleorum *res maximè extollunt,* Augeam *non* Elei,*ſed* Helij,*hoc eſt,* Solis *filium fuiſſe dicunt.* Et *huic quidem* Augeæ *adeò magna armenta gregesq; fuiſſe dicuntur, ut fimo obducta agri pars maxima, otioſa & inculta iaceret.* Hercules *uel agri parte, uel alia quacunque mercede ut eius ſtabulum purgaret, adductus eſt: quod ille immiſſo in campos* Minyeio *flumine perfecit.* Sed Augeas Herculi *mercedem abnegauit, quòd eum uideret arte potius,quàm ullo labore opus perfeciſſe.* Huius *filius natu maior,cui* Phyleo *nomen, eſt à patre abdicatus, quòd eius in bene de ſe meritum uirum iniuriam reprehendere ſolitus eſſet.* Augeas *ipſe aditus omnes muniuit, quà* Herculem,*ſi in* Elidem *cum exercitu ueniſſet, irrupturum ſuſpicari poterat.* Filios *etiã* Actoris, *&* Amaryncеum *ſibi in belli gerendi ſocietatem adſciuit.* Erat *ſanè* Amarynceus *rerum bellicarum uſu maximè ſolers.* Patre *hic ortus fuerat* Pyttio *homine ex* Theſſalia

lia oriundo: et ex Theſſalia ſanè primus in Eleā uenerat: acceptus uerò eſt ab Augea in partem imperij. Actor quoq;, & eius filij, qui indigenæ erant, regni fuere conſortes: ſiquidem Actor Phorbante Lapithæ filio, & Hyrmina Epei filia genitus fuerat, deq; ſuæ matris nomine urbem in Elea Hyrminen condiderat. Hercules ſuſcepto aduerſus Augeam bello, nihil memoratu dignum in ea expeditione gerere potuit: eius enim auxilia ab Actoris filijs audacia et ætate uigentibus, facilè reijciebantur. Sedenim cùm ludos Iſthmicos indixiſſent Corinthij, ueniſſentq; Actoris filij ſpectandi cauſa, eos Hercules ex inſidijs ad Cleonas occîdit. Cùm autē à quo cædes facta eſſet ignoraretur, Molione Actoris uxor à quonā filij fuiſſent interfecti magna cura inueſtigauit. Recognita, Elei ab Argiuis, quòd tunc fortè Tyrynthi Hercules domicilium habebat, autorem facinoris ad pœnam depoſcerunt: id cùm illi recuſaſſent, à Corinhtijs rurſus cōtenderūt, ut quicquid Argolici nominis eſſet pro uiolato fœdere Iſthmicorum ludorum celebritate interdicerent. Quod ipſum cùm fruſtra petiſſent, Molione ciues ſuos diris dicitur defixiſſe, quotcunque in poſterum Iſthmicis ludis non abſtinuiſſent. Illud Moliones edictum tam religioſè Elei obſeruarunt, ut hoc etiam tempore, quicunq; ex Eleis ad certaminum palmas corpora exercuerunt, eius deuotionis metu, Iſthmicum neutiquam conuentum celebrent. De hac ipſa re duplex eſt fama: ab alijs enim Cypſelum prodit um eſt Corinthiorū tyrannum aureum Ioui in Olympia ſignū dedicaſſe: eo mortuo priuſquam eius nomine donum inſcriberetur, ab Eleis Corinthios contendiſſe, ut ciuitatis ſuæ nomen inſcribi paterentur: quod cùm non impetraſſent, ira incenſos, Eleos Iſthmiorū aditu prohibuiſſe. Sed haud ſatis

conſentaneũ uideri poteſt Corinthijs Olympicorũ cõuentu nõ interdictum, ſi priores ipſi Eleis ne Iſthmicis intereſſent edixiſſent. Illud item de eadem re hominũ ſermo uulgauit. Prolao uiro inter Eleos nobili, ex Lyſippe uxore Philanthũ et Lampũ genitos: hos, cùm ad Iſthmia (ut qui Pancratiaſtæ inter adoleſcentulos erant) ueniſſent, priuſquã in certamen deſcenderent ab aduerſarijs ſtrangulatos, uel alio mortis genere confectos: Lyſippes imprecationes in cauſa fuiſſe, Elei ut Iſthmijs ultrò abſtinerent. Facilè uerò eo argumento hoc ipſum refellitur, quòd Timoni Eleo, qui de cæteris Græciæ certaminibus quinquertij palmas tulit, in Olympia ſtatua poſita eſt, cum elegis, omnes eius uiri uictorias teſtantibus. Eadem quoq; inſcriptio, quare Iſthmicæ non fuerit compos coronæ, his uerſibus indicat:

Siſyphijs iuuenem uetuit ſuccedere terris
Dira Molionidum pœna ſecuta necem.

Atenim ſatis iam hac de re dictum fuerit. Poſt hæc Hercules collecto ab Argiuis, Thebanis & Arcadibus exercitu, Elidẽ captam diripuit: quo tempore Eleis, & Pyli qui in Elea terra ſunt, et Piſæi auxilia tulerunt: & alteros quidem ultus eſt Hercules: Piſæis uerò quo minus bellum inferret, huiuſmodi oraculum prohibuit:

Piſa patri curæ, mihi celſa cacumina Pythûs.

Fuit hæc uox Piſæis ſaluti. Phyleo autem Eleã Hercules uerecundia potius, quàm bene merendi ſtudio adductus tradidit. Eidem captiuos, & Augeæ pœnã cõdonauit. Eo tempore Eleorum fœminæ orbatam uirili robore patriam miſeratæ, Palladi uota nuncuparunt, ſi grauidæ ad primos uirorũ congreſſus fierent. Eius uoti damnatæ, Mineruæ matri templum dicarunt. Et loco quidem, quo primus ille congreſſus

marium

marium & fœminarum factus, Bady nomen eſt. Flumen etiam ipſum, quod agrum præterfluit, Bady patria uoce appellant. Phileus ordinatis Elidis rebus, cùm Dulichium migraſſet, & Augeas iam ſenio cõfectus diem ſuũ obijſſet, exin Eleorum regnum Agaſthenes alter Augeæ filius, cum Amphimacho & Thalpio ſuſcepit. Nam cùm Actoris filij geminas Dexameni Oleni regis filias uxores duxiſſent, alteri quidem eorum ex Thoronice Amphimachus, Euryto uerò ex Theraphone Thalpius naſcitur. Non tamen interea aut Amaryncœus, aut Amaryncei filius Diores priuatã uitam egerunt, quod & Homerus Eleos recenſens facilè oſtendit: omnem enim eorum claſſem quadraginta nauium fuiſſe dicit: quarum dimidiæ parti Amphimachus & Thalpius imperarent: è reliquo numero decem Amaryncei filius Diores, totidẽ Agaſthenis Polyxenus duceret. Polyxeno autem à Troia reduci filius natus eſt Amphimachus: hoc nomen, opinor, indidit Polyxenus ob amicitiã quæ ei cum Amphimacho Cteati filio qui ad Ilium ceciderat, interceſſerat. Amphimacho Eleus oritur. Hoc Elidis regnum tenente, Dorienſes cum Ariſtomachi filijs comparata claſſe moliti ſunt reditũ in Peloponneſum. Claßis imperatoribus oraculo denunciatum eſt, remigrationis ducem trioculum ut facerent. Quare addubitantibus, quidnam ſibi reſponſum illud uellet, uir fortè qui mulũ altero captũ oculo agebat, occurrit. Tum nimirũ acutè cõiecit Creſphontes, oraculi uocẽ ad hũc hominem pertinere. Eum itaq; ſibi Dorienſes ducem aſciuerunt. Is in Peloponneſum nauibus tranſmittendum, non pedeſtri exercitu per Iſthmum irruptionem tentandam cenſuit. Neq; tantùm id fieri oportere monuit, ſed ipſe nauigationis à Naupacto ad Molucrium dux fuit: quamobrem

illi Dores ultro Eleum agrum deſponderunt. Fuit hic quidem uir Oxylus Hæmone Thoantis filio genitus: Thoas uerò ipſe Atrei filiorum ad Priami regnum euertendum ſocius: à quo ad Aetolū Endymionis filium ætates retro ſex numerantur. Erant autem Heraclidæ, & alio, Aetoliæ regibus ſanguine iuncti, & eo maximè nomine, quòd Thoantem Andræmon & Hyllum Herculis è germanis ſororibus genuerant. In exilium ex Aetolia abierat Oxylus, quòd diſco ludens imprudenter hominem occiderat. Fratrem eum qui ceciderit Oxyli, Thermium tradidere, Alcidocum alij Scopi filium. Proditum etiam memoriæ eſt aliud huiuſmodi de Oxylo, ueritum illum eſſe, ne Ariſtomachi liberi, cùm quàm eſſet fertilis & bene cultus omni ex parte ager Eleus cognouiſſent, eum ſibi tradere recuſarent: eiuſq; rei cauſa per Arcadum fines, non per Eleorum agrum Dorienſes deduxiſſe. Et Eleorum quidem imperium ſibi uindicanti, ſine armis Oxylo non ceſſit Dius. Cenſuit ille non eſſe uniuerſo agmine decernendum, uerùm ſingulos ex utroque exercitu deligendos, qui ſingulari certamine de rerum ſumma dimicarēt. Cuius cùm pars utraq; ſententiam comprobaſſet, obtigit hoc certamen Degmeno Eleo ſagittario, ex Aetolis uerò Pyræchmæ funditori. Superior diſceſſit Pyræchmes: quare potitus regno eſt Oxylus: & is quidem priſcos Epeos facilè priſtinas ſedes obtinere paſſus eſt: cum illis Aetolos coniunxit, agro æquabiliter aſſignato. Ioui præterea ſacra fecit, & ſancitos ueteri religione honores cum cæteris heroibus

habuit

habuit, atque Augeæ eo, qui ætate noſtra obſeruatur, more, ut parentaretur inſtituit. Eundem *aiunt è proximis uicis, inquilinis intra urbem euocatis,* Elim *cùm mœnibus ampliorem, tum multitudine frequentiorem, ac ſimul opibus auctiorem reddidiſſe.* Huic *cum* Delphici *Apollinis uoce præceptum eſſet, ut de* Pelopis *genere unum ſibi imperij ſocium aſciſceret, magno undique ſtudio conquiſitum,* Agorium *tandem* Damoſij *filium,* Penthili *nepotem,* Oreſtis *pronepotem inuenit, quem ab* Helice *Achaiæ urbe, cum non magna utique Achæorum manu in regni partem recepit.* Oxyli *uxorem* Pieriam *fuiſſe tr adunt, de qua nihil aliud quicquam memorant.* Filios *aiunt* Oxylo *genitos* Aetolum *&* Laian*: &* Aetolum *quidem immatura morte ereptum, condiderunt parentes extructo monimento in ipſa porta, qua in* Olympiam *ad* Iouis *templum iter eſt.* Hoc *ei monimentum ex oraculo poſuere, quo iuſſi ſunt, neque intra, neque extra urbem illum ſepelire.* Parentat Aetolo *hac ipſa ætate quotannis ſtato die gymnaſij præfectus.* Succeſsit Laias *in regnum patri.* Non *tamen uſpiam reperi eius poſteros regno potitos, quare eos conſultò prætereo: neque enim in præſens ad priuatos homines mea deſcendit oratio.* Secundùm *hæc* Iphitus *ab* Oxylo *quidem oriundus, æqualis uerò* Lycurgi*, à quo ſcriptæ* Lacedæmonijs *leges, ludos in* Olympia *ordinauit, nundinas indixit, & ludorũ cauſa inducias inſtituit, cùm hæc omnia intermiſſa fuiſſent aliquãdiu: eius quidẽ*

intermiſſionis cauſam tunc exponã, cùm ad ea quæ in Olym pia ſunt, acceſſero. Hic ipſe Iphitus, *iam propè deleta Græcia ſeditionibus & peſtilentia, conſulendũ de remedio carũ calamitatũ* Delphicum Apollinem *cenſuit.* Reſpondit *deus, expedire ab* Iphito & Eleis Olympicos *ludos inſtaurari. Suaſit præterea* Eleis Iphitus *ut* Herculi *immolarẽt, cùm illum antè hoſtem iudicaſſent.* Inſcriptio *quæ in* Olympia *eſt,* Iphitũ *teſtatur* Hæmonis *filiũ fuiſſe:* Græcorũ *multi nõ* Hæmonis *eum, ſed* Praxonidæ *filiũ dixere.* Priſca Eleorũ *monimenta eius patrem eodem appellant nomine.* Elei *cùm belli* Troiani, *tum uerò ſuſcepti contra* Perſas *in* Græciam *inuadentes belli participes fuere. Ac, ut miſſum faciam quoties (dum* Olympicos *ludos inſtaurãt) cum* Piſæis & Arcadibus *dimicarint, inuiti quidem cum* Lacedæmonijs *in* Athenienſium *fines irruperũt. Neq; multò pòſt aſcitis in ſocietatẽ* Athenienſibus & Argiuis, *cõtra* Lacedæmonios *ſtetere.* Agide *uerò cum exercitu intra fines per* Xenij *proditionẽ ingreſſo, ad* Olympiam *magno prælio hoſtes uicere, & in fugam uerſos extra fini ſepta eiecere: interiecto dein tempore arma poſuere ijs conditionibus, de quibus antè ſcripſi dum* Lacedæmoniorum *res cõmemorarẽ. Iam uerò* Philippo Amyntæ *filio* Græciæ *imperiũ occupante,* Elei *quidem ipſi inteſtinis diſcordijs iam penè afflicti, ſe cum* Macedonibus *coniunxerunt: non tamen ut ad* Chæroneã, *cum* Græcis *acie confligerent, adduci potuerunt:* Philippũ *tantùm* Lacedæmonios *adorientẽ, priſco in eam ciuitatẽ odio ſuo indulgentes iuuerunt. Iidem mortuo* Alexandro *cum* Antipatro *bellũ geſſere. Inſequenti poſtea tempore* Ariſtotimus Damareti *filius,* Etymonis *nepos,* Eleorum *tyrannide, miſſis ab* Antigono Demetrij *filio* Macedoniæ *rege auxilijs, potitus eſt. Hunc*

Ariſto-

Ariſtotimum, ſextum iam menſem dominantem, Chilon, Hellanicus, Lampis, & Cylon de improuiſo adorti eijciunt. Quin & eundem cùm ad Iouis Seruatoris aram ſupplex ſe recepiſſet, ſua manu Cylon is, quem antè nominauimus, occidit. Hæ fuerunt bellicæ Eleorum res geſtæ, quas modica in præſentia oratione perſtrinximus. Inter Elei agri miracula byſſus eſt: hîc enim tantùm, nec alibi uſpiam in tota Græcia naſcitur: tenuitate quidem nihil eſt inferior ei, quam fert Hebræorum terra, minus utiq; flaua. Admirationi iurè fuerit illud etiam, quòd cùm in finitimis locis equæ ex aſinis pariant, id intra ipſos Eleæ terræ fines nunquam uſu euenit. Cuius rei cauſam execrationem quandam perhibent. Ex Eleo agro uicus ad mare eſt, cui Samicon nomen. Supra hunc ad dexteram regio, quæ Triphyllia dicitur. In ea urbs Lepreos: Lepreatæ nunc ipſi inter Arcadas cenſentur, cùm liquidò conſtet antiquitus Eleis paruiſſe. Nam quotcunq; ex ea ciuitate in Olympicis uicerunt, Eleos præco è Lepreo renunciauit: & Ariſtophanes uerſibus teſtatus eſt, Lepreon Eleorum oppidum eſſe. Lepreon à Samico, relicto ad læuam Anigro amne, uia una ducit, eôdem altera ex Olympia, tertia ex Elide. Earũ quæ longiſſima, unius diei eſt. Indi tum nomen tradunt à Lepreo conditore Pyrgei filio, quem cum Hercule in edacitatis certamen deſcendiſſe aiunt: ubi cùm uterq; eodem tempore bouem epulaturus occidiſſet, ac planè ſe nihilo ad edendũ Lepreus Hercule imparatiorem oſtendiſſet, eò proceſſit certandi cupido, ut eum ad ſingularis etiam certaminis dimicationem auſus fuerit prouocare. Interfectum quidem ab Hercule in ea pugna, in Phygalenſium finibus ſepultum fuiſſe tradidere, cùm tamen non habeant Phygalenſes ipſi quo loco Leprei monimentum fuiſſe

indicent. Audiui uerò qui ad Lepream Pyrgei filiam oppidi originē referrent. Sunt qui primos urbis inquilinos lepram paſſos dicant, atq; ex eo morbo urbem nomē accepiſſe. Narrant Lepreatæ fuiſſe in urbe Leucæi Iouis ædem, & Lycurgi Alei filij ſepulchrum: Heroum etiam aliorum, & in primis Cauconis. Huius monimenti inſigne fuiſſe uirum lyram tenentem. Sed ætate hac neq; monimentum ullum extat paulò inſignius, neq; cuiuſquam dei ædes, una excepta Cereris, & ipſa è crudo latere extructa, in qua ne ſignum quidem ullum eſt. Non procul ab urbe fons eſt Arene: nomen ab Apharei uxore impoſitum ferunt. Reuerſis ad Samicum, recta per uicum eum contendentibus, Anigrus fluuius in mare exit, & exeuntem quidem ſæpe uiolentiores uentorum flatus repellunt: congeſta enim ad oſtium fluminis arena, aquam quo minus profluat coërcet: quo fit ut cùm exteriùs mare, interius amnis ipſe limum diluerit, non ſine periculo iumenta, multò etiam minus expediti homines in alueum fluminis ſe poſſint demittere. Deſcendit flumen è Lapitho Arcadiæ monte, ac ſtatim grauiter olentem aquam emittit, quæ priuſquàm flumen aliud, Acidantem nomine, accipiat, manifeſtum eſt ne piſces quidem in ea ali: quin & quos ipſe Acidas influens importat, eſculentos eſſe negant, cùm tamen antequam in Anigrum ipſum innatent, ad cibum expetantur. Fuiſſe uerò Acidanti nomen uetus Iardano, unde ipſe conijcerem non habui, ſed auditum ab Epheſio homine refero. Tetrum uerò illum aquarum odorem è terra, unde effluit, exiſtere crediderim, quemadmodum & in ijs quæ ſupra Ioniam ſunt ex eadem cauſa, aquæ tam mali ſunt odoris, ut halitu ipſo nōnullæ hominem perimant. E Græcis uerò, Chironem alij, Polenorem Centaurum alij, ab

Hercule

Hercule ſagitta percuſſum aiunt, cùm uulneratus fugeret, huius fluminis aqua uulnus abluiſſe: inde Hydræ ueneno infectum flumen, fœdũ odorẽ contraxiſſe. Sunt quid in id cauſam referunt, quòd inſaniæ morbo liberatis Prœti filiabus, Melampus Amythaonis filius piacula in hunc amnem abiecerit. In Samico non longè à flumine antrum eſt, Anigridum Nympharum incolæ appellant. Huc qui uitiata aliquo uitiliginis genere cute intrauit, ubi primùm Nymphis ritè imploratis, nũcupatisq; uotis, deinde amne nando tranſmiſſo, laborantes corporis partes defricuerit, fœditatem eam oris in aquis relinquere creditur, atq; inde nitidus ac terſus diſcedere. Anigro tranſmiſſo rectà in Olympiam contendentibus modico interuallo ad uiæ dexteram in eminentiore campi parte uicus, & Samnia oppidum ſupra ipſum Samicum. Et Samicum quidem Polyſperconti traditũ eſt aduerſus Arcadas propugnaculũ fuiſſe. Arenes uerò ueſtigia neq; Meſſeniorum, neq; Eleorum quiſquã quo loco eſſent uiſus eſt mihi compertũ habere: in diuerſas enim ſententias, qui id conijcere conati fuerint, diſtrahuntur. Veri mihi ſimillima ij dicere uidentur, qui priſcis heroicis etiam temporibus, Samicũ ipſam appellatam Arenem exiſtimant. Nituntur uerò Homeri qui in Iliade ſunt uerſuum teſtimonio:

Proximus Arene Minycius in mare currens

Eſt amnis. *Quæ ſe oſtendunt ruinæ proxime Anigrũ ſunt. Atq; ut an Samicus appellata fuerit Arene controuerſum eſt, ſic fuiſſe Minycium apud ueteres, qui nunc Anigrus eſt, mutato nomine fatentur Arcades omnes. Nedæ quidem maritimã partẽ ſub Heraclidarũ reditũ in Peloponneſum, terminũ fuiſſe inter Meſſenios et Eleos, facilè deprehendi poteſt. Iam ſecundũ Anigrũ, qui longius proceſſerit per cãpos*

maiore ex parte arena coopertos, in quibus ſunt agreſtes pinus, ad læuã Scillũtis rudera uideat: fuit enim una de Triphyliæ urbibus Scillûs, ac belli quidem eius tempore quod inter Piſæos & Eleos geſtum eſt, Piſæos Scilluntij ſecuti cum Eleis propalàm inimicitias exercuere, qua de cauſa poſtea ab Eleis deleti ſunt. Sed ereptam Eleis Scilluntem, Lacedæmonij Xenophonti Grylli filio tũc Athenis exulanti donarũt. Exagitatus uerò eſt Xenophon à ſuis ciuibus, quòd Cyro, qui fuit Athenienſi populo inimiciſsimus, cõtra Perſarũ regem quo maximè beneuolo utebantur, ſtipendia feciſſet. Cùm enim Sardis Cyrus eſſet, Lyſandrũ Ariſtocratis filiũ ad comparandum cõtra Athenienſes claſſem pecunia iuuerat. Hæc itaq; Xenophonti exilij cauſa fuit. Conſtituto autem ad Scilluntem domicilio, agri partem Epheſiæ Dianæ, & fanum dedicauit. Abundat Scillûs omnibus ferarum generibus ad uenationem, apris in primis, & ceruis. Agrum præterlabitur Scilluntiũ Selenus amnis. Ex Eleis autem ij, quibus curæ eſt antiquitatis memoriã cõſeruare, receptã à ſuis Scilluntẽ memorant: & Xenophontem, quòd illam à Lacedæmonijs accepiſſet, maieſtatis in Olympico conuentu poſtulatũ, cauſam dixiſſe, eundemq; ab Eleis abſolutum, Scillunte impunè domicilium habuiſſe. Et ſanè non longè à Dianio monumentum monſtratur cum ſtatua è Pentelico marmore, quã Xenophontis eſſe accolæ dicunt. In uia quæ Olympiam ducit cis Alpheum, Scillunte uenienti, celſa crepidine præruptus mons occurrit, Tipæũ illum appellant. Hinc de ſaxo fœminas deijcere Eleorum lex iubet, quæ ad Olympicos ludos penetraſſe deprehenſæ fuerint, uel quæ omnino Alpheũ tranſmiſerint, quibus eſt eis interdictum diebus: nõ tamen deprehenſam eſſe ullam perhibent præter unam Callipaterã, quã

alij

alij Pherenicem nominant. Hæc *uiro mortuo cum uirili ornatu exercitationum ſe magiſtrum ſimulans, Piſidorũ filiũ in certamen deduxit: iamq; eo uincente, ſcpimentum id, quo magiſtros ſecluſos habent, tranſiluit ueſte poſita: fœminã tamen agnitam omni crimine liberarunt: datum hoc ex iudicum æquitate, patris, fratrum, & filij gloriæ, qui omnes ex* Olympicis *ludis uictores abierant.* Ex *eo lege ſancitũ, ut nudati adeſſent ad ludicrũ ipſi etiam magiſtri.* Qui *iam in* O*lympiam peruenerint,* Alpheum *amnem uideant, uberrima & ſuauiſsima fluentem aqua: in quem cùm nobiles alij omnes influũt, tum in primis qui per* Megalopolim *labitur* Heliſſon *nomine:* Brentheates *etiam ex agro* Megalopolitano. At *prope* Gortynã, *ubi* Aeſculapij *fanũ, præterfluit* Gortynius. Ex Melænenſibus, *inter* Megalopolitanos & Herciti*dis terræ fines,* Phagus. E Clitoriorum *agro* Ladon. Ex Erymantho *monti cognomen fluuius. Atq; hi quidem ex* Arcadia *omnes in* Alpheum *deſcendunt.* Iam Cladeus *ab* Eleis *ueniens eidem ſe permiſcet.* Neq; *tamen* Alphei *ipſius in* Eleo *agro, ſed in* Arcadia *fontes ſunt, de quo uulgata eſt fabula, uirum illum fuiſſe uenatorem,* Arethuſam *amaſſe, & ipſam uenandi ſtudioſam, quæ cùm illius nuptias recuſaſſet, in inſulã cui* Ortygiæ *nomen fuit, prope* Syracuſas *dicitur tranſmiſiſſe, atq; ibi in fontem cõuerſam: ipſi etiã* Alpheo *accidiſſe, ut præ amore in amnem mutaretur: quæ omnia fabuloſè dicta facilè uideri poſſunt.* Meantem *uerò ſubter mare amnem fonti apud* Syracuſas *immiſceri, quid cauſæ ſit, quare nõ credam, non planè uideo, cùm* Delphici Apollinis *uoce rei fidem factam meminerim.* Is *enim* Archiam Corinthium *ad* Syracuſas *coloniã deducendam proficiſci iubens, huiuſmodi uſus eſt uerſibus:*

Trinacriam ſupra medio iacet inſula ponto,
Ortygiam dixere, ubi cana fluenta refundit
Alpheus pulchræ ſeſe immiſcens Arethuſæ.

Atq; ex eo quidem, quòd in Arethuſam fontem illabitur Alpheus, fabulæ de Alphei amore locũ datum crediderim. Et ſanè Græcorum quotcunq;, uel Aegyptiorũ qui in Aethiopiam ſupra Syenem uel ad Meroën profecti ſunt, Nilum narrant paludem quandam ingreſſum, atq; inde tanquam è continenti terra elapſum per Aethiopiam inferiorem in Aegyptum decurrere, ac poſtea in mare, quod ad Pharum eſt erumpere. In Hebræorum finibus amnem ipſe uidi Iordanem, qui ſtagnum Tyberiadem nuncupatum ſubit, ac deinde in alterum ſtagnum, cui mare Mortuum nomen eſt, ingreſſus, in ea ipſa palude conſumptus euaneſcit. Hoc ipſum mare, quod Mortuũ dicitur, diuerſa admodum à cæteris aquis natura eſt: in eo enim uiuentia, etiã ſi nihil ſe moueant, ſupernatant, inanima uerò omnia in ima deſcendunt: eo fit ut orba ſit piſcib. palus: è manifeſto enim periculo ſe piſces ad aquas recipiunt naturæ ſuæ congruentes. Alpheo perſimilis amnis eſt in Ionia, cuius cùm in Micale monte fontes ſint, quod in medio maris eſt præterlapſus, emergit rurſus in Branchidis prope portum, cui Panormo nomen. Atque hæc quidem ad hunc modum ſe habent. De Olympicorum uerò ludorum origine, inter Eleos qui maximè priſcarum rerum memoriam conſectantur, hæc cõmemorant. Saturnũ primum omnium Cœli regnum obtinuiſſe: ei in Olympia homines eos, quod Aureum genus nuncupatũ eſt, templum dedicaſſe: poſt hæc recens natum Iouem, Rheam matrem Dactylis Idæis, qui Curetes alio nomine appellati ſunt, commendaſſe: ueniſſe illos poſtea ab Ida Cretæ monte in Eli-

dem:

*dem:fratres hos fuiſſe,quorum etiam nomina produnt,*Her *culem,*Pæoneum, Epimeden, *Iaſium, &* Idam. *Herculem, ut qui natu maximus erat,curſus certamen fratribus per lu dum propoſuiſſe,uictoremq́; oleaſtri corona donaſſe. Magnam uerò illos oleaſtri copiam habuiſſe: ſiquidem ſua etiam cubilia eius arboris uiridi fronde ſubſternebant: ſtirpem quidem eam fuiſſe ex* Hyperboreis *ab* Hercule *primùm deportatam. Eſſe* Hyperboreos *ipſos gentem ſupra* Aquilones,*primus certè uerſibus mandauit* Olen Lycius *in hymno,quem in* Achæian *fecit:ueniſſe* Delum *ex* Hyperboreis *Achæiã. Poſt* Olenen *canticũ* Melanopus Cumæus *in* Opin *&* Ecargẽn *decantauit, & illas teſtatus eſt in* Achæiã *&* Delum *ab* Hyperboreis *ueniſſe.Nam* Ariſtæus Proconeſius *mentionem duntaxat* Hyperboreorum *fecit,cùm plura tamen de illis cognoſcere potuerit ab* Eſſedonibus, *ad quos ſe aliquando profectum carminibus prodidit. Autor igitur ludorum* Hercules *Idæus celebratur, à quo ſunt* Olympia *appellati:& ob eam rem quinquennales eſſe placuit, quòd fratres quinque numero fuere. Sunt qui* Iouem *cum* Saturno *de imperio hoc ipſo in loco colluctatum dicunt. Alij debellatis* Titanibus *ab eodem ludos inſtitutos, quibus & alij uiciſſe narrantur, &* Apollo Mercuriũ *curſu ſecum certantem præuertiſſe,pugillatu* Martem *ſuperaſſe: cuius rei cauſa traditum, ut* Pythij *tibiarum modi ſalientibus quinquertionibus præcinerentur, quòd ſacrum id carmen* Apollini *eſſet,et ipſe primus*Olympicas *tuliſſet palmas.*Quinquagin*ta uerò annis poſt* Deucalionis *diluuiũ* Clymenũ *aiunt* Cardis *filium ab* Idæo Hercule *oriundum, è* Creta *uenientes ludos in* Olympia *feciſſe,et cùm alijs* Curetibus,*tum uerò* Herculi *proauo ſuo aram dedicaſſe,& ipſum* Herculem *cogno-*

mento Adiutorem appellaſſe. Clymenum hunc Endymion *Aëthlij filius regno expulit,ac ſuis deinde filijs in* Olympia *curſus certamen de regno propoſuit. Verùm ætate una* Pelops Endymione *natu minor, omnium qui antè ſe fuiſſent maximè memorabiles* Olympio Ioui *ludos fecit.*Pelopis *uerò filijs ex* Elide *eiectis, et per totam* Peloponneſum *diſsipatis,* Amythaon Crethei *filius,* Endymionis *patruelis (fuiſſe enim* Aëthliū *quoq;* Aeoli,*cui* Ioui *cognomen,filiū dicunt)* Olympia *inſtaurauit. Poſt hos, eoſdem ludos nouarunt* Pelops *&* Pelias *communi conſilio.* Augeas *præterea &* Hercules Amphytrionis *filius* Elide *capta, coronam is quidem* Iolao *primū detulit, qui equas ab* Hercule *mutuatus in curſu cæteros anteierat. Et ſanè antiquitus traditum fuit alienas equas ad certamen mutuari: ſiquidem* Homerus *in funebribus* Patrocli *ludis* Menelaum *facit* Agamemnonis Oetha *uſum, altera uerò ſua ipſius.* Herculis *certè auriga fuit* Iolaus, *atque hic quidem curru,* Iaſius *uerò* Arcas *deſultorio equo uicit.*Ex Tyndarei *filijs curſu alij,*Pollux *cæſtibus. Ipſum etiam* Herculem *fama uulgatum eſt de lucta & pancratio coronatum.*Poſt Oxylum*(nam & hic ludos fecit)*Olympia *intermiſſa ſunt uſq; ad* Iphitum.*Illa uerò,inſtaurante* Iphito,*prorſus iam ueterum ludorum obſoleuerat memoria: quare ſingulos, ut in eorum fortè memoriam rediſſent, ad eos quos antè celebraſſent addebant. Id ex eo maximè perſpicuum eſt,quòd quantum continuatas* Olympiades *hominum memoria conſequi poteſt, curſus primū certamen; in quo uicit* Eleus Corœbus*, relatum eſt: neque tamen ulla* Corœbi *in*Olympia *ſtatua extat.*Permanet *eius ſepulchrū in* Eleorum *finibus.* Olympiade *uerò quartadecima additus eſt duplicati ſtadij curſus,è quo, accepta ex oleaſtro corona,*

rona, uictor diſceſsit Hypenus Piſæus: Acanthus ea quæ conſecuta eſt Olympiade. At decimaoctaua, quæ iam exoleuerant certamina quinquertij & luctæ, reſtituta ſunt: quinquertij Lampidi; luctæ præmium Eurybato utriq; Lacedæmonio obtigit. Tertia dehinc & uiceſima Olympiade cæſtuum ludicrū reuocatum: uictor extitit Onomaſtus Smyrnæus, cùm iam tum ad Ionum concilium Smyrna acceſsiſſet. Quinta ſupra uiceſimam integra ætate equorum curſus introductus, curru uicit Thebanus Pagondas. Octaua ſecundùm hanc Olympiade, qui toto corpore certaret (Pancratiaſtem uocant) et deſultorius equus in curriculum rediere. Anteuertit omnes Creuſidæ equa Crannonia. Euertit in Pancratio aduerſarios Lygdamis Syracuſanus: huius Syracuſis prope Latomias monimentum extat. Nunquid is corporis magnitudine par fuerit Herculi Thebano, compertū omnino non habeo: à Syracuſanis certè ipſis ita traditum eſt. Puerorum uerò certamina nullo ueteris memoriæ exemplo, arbitratu ſuo inſtituerunt Elei. Ac primùm quidem de curſu et lucta, ſeptima & triceſima Olympiade, pueris propoſita præmia. Luctæ Hipoſthenes Lacedæmonius, curſus palmam accepit Eleus Polynices. At prima & quadrageſima Olympiade pueros in cæſtuum pugna commiſerunt. Competitores ſuperauit Sybaritanus Philetas. Iam uerò grauioris amaturæ peditum curſus in ſtadium cum plauſu receptus eſt, quinta & ſexageſima Olympiade: idonea uiſa eſt ad res bellicas exercitatio. Qui cum ſcutis decurrerunt, eos primus uicit Demaratus Heræenſis. Bijugorum integra ætate equorum (Synoridem uocant, quaſi Bigas dixeris) curſus in curriculū receptus, Olympiade tertia et nonageſima: uicit Euagoras Eleus. Vndecenteſima uerò Olympiade

iunctis ad currum pullis certatum eſt:coronã cepit Sybaria des Lacedæmonius.*Receptæ deinde pullorum bigæ, & pul lus item deſultorius: bigarum palmam* Beliſtiche *fœmi-na è maritima* Macedoniæ *ora, deſultorij* Lycius Tlepole-mus *abſtulit: hic triceſimaprima ſupra centeſimam* Olym-piade,*illa antehac tertia. Poſt hæc* Olympiade *centeſima et quadrageſima quinta puerile inſtitutum pancratium, in quo uicit* Phœdimus Aeolenſis *ex urbe* Troade:*id ipſum ta-men ludicrum ab* Eleis *repudiatum eſt, quòd eadem referri non placuit.*Nam *& puerorum itidem quinquertium trige ſima octaua* Olympiade *uſurpatum, de quo palmam* Eute-lidas *Lacedæmonius tulerat,ita reiectum eſt,ut poſtero de-in tẽpore nullos admiſerint pueros quinquertiones. Cumq́; in curriculum recepiſſent* Olympiade *ſeptuageſima rhe-dam,carpentum uerò ea quæ conſecuta eſt quarta & octo-geſima,utrunque uehiculum in poſterum omne tempus ex-cluſum eſt.* Et *primo quidem rhedæ certamine* Therſius Theſſalus, *carpenti* Patæcus Achæus *ex urbe* Dyme *uictor extitit. Ad carpentum iungebantur equæ doſſuariæ, è qui-bus in extremo curriculo deſilientes ſeſſores prehenſis ma-nu frænis ad metam curſitabant, qui mos ætate mea ſerua-tur ab ijs qui* Anabatæ *appellantur.*Inter *rhedarum & car pentorũ aurigas tantũ intereſt, quòd his alia ſunt inſignia, & maſculos equos agitant.* Rhedam *trahebãt muli iugales bini,inuento neq; priſco,neq; eleganti: & alioqui antiqui-tus inter portenta* Eleis *muli fuerũt uſqueadeo,ut animal id intra fines ali religio eſſet.* Ludorum *ætate mea hic propè modũ ordo eſt.mactatis deo uictimis, quinquertij primùm & curſus, deinde equorum certamina committuntur: atq; ita eſt ſeptima & ſepuageſima* Olympiade *inſtitutum:nam*
antè

antè,eadem die & equi & homines inducebantur.Pancratiaſtæ tunc ſub noctẽ prodibant,neq; enim ſatis maturè poterant accerſiri, cùm dies equilijs & quinquertio cõſumeretur.De Pancratiaſtis illa Olympiade palmã tulit Atheniẽſis Callias.Sed in poſterum cautum eſt,ne aut quinquertiũ,aut equiria Pancratio impedimento eſſent. In ludorum præfectis à maiorum more ætatis noſtræ inſtitutũ uariauit: Iphitus enim ſolus à ſe editis ludis præfuit, idemq; ab omnibus Oxyli poſteris eſt obſeruatum.Quinquageſima Olympiade Duumuiris ex ipſa Eleorum ciuitate ſorte ductis Olympiorũ cura mandata eſt:atq; ille quidem binorũ deſignatorum numerus ad multos pòſt annos ſeruatus eſt. Quinta pòſt & uiceſima Olympiade iudices nouem (Hellanodicas uocabant)creati. Eorum tres de equorũ curſu, totidem de quinquertio, de cæteris reliqui certaminibus cognoſcebãt. Secunda deinceps Olympiade deſignator decimus additus. At certè ſupra centeſimã in tribus duodecim Elei deſcripti ſunt, ac deinde tribus ſingulum ſuũ dedere ludorum cognitorem. Afflicti poſt hæc Arcadum bello, & agri parte mulctati, curijs omnibus amiſſis quæ finibus ijs continebantur qui in hoſtium deditionem uenerant,in tribus octo cõtracti ſunt,quarta et centeſima Olympiade.Eo factũ,ut Hellanodicæ totidẽ legerẽtur.Octaua poſtremò quæ ſupra centeſimã fuit,priſtinus eſt Aediliũ decem numerus uſurpatus,idemq; ad noſtram ætatem permanſit. Multa ſanè habet Græcia, quæ uel ſpectentur uel audiantur cum admiratione: ſed omnium accuratiſſimè,diuinitus religione imbutis animis,Eleuſinia initia,et Olympici ludi celebrantur.Iouis lucũ mutato nomine Altin antiquitus uocitãt. Et ſanè Pindarus,qui in ijs uerſibus quos in quendam fecit Olympiorũ uictorem,Altin

appellauit. Templum, & ſignum Ioui *de manubijs* Elei *dicarunt,* Piſæis, *alijſq; finitimis populis qui cum illis defecerant, bello ſuperatis, ac* Piſa *ipſa direpta. Simulachrũ à* Phidia *factum, inſcriptio ad* Iouis *pedes poſita teſtatur:* Phidias Charmidæ *filius* Athenienſis *me fecit.* Templi *ipſius* Dorica *exædificatio eſt. Ambitus exterior diſpoſitas in orbẽ colum nas oſtentat.* Parietes *è uernaculo lapide ſtructi ſunt. Surgit in altitudinem ab ima arca ad aquilas, quæ tecti faſtigium ſuſtineat, pedes octo et ſexaginta: patet in latitudinem nona gintaquinq;. Excurrit longitudo ad ducenteſimum ac trige ſimum.* Architectis *operi præfuit* Libon *homo indigena.* Te*ctum eſt non coctili imbrice, ſed cæſo ad tegulæ formã è lapi dicinis* Pentelicis *marmore. Inuentũ hoc* Byzæ Naxio *tribu unt, cuius ſtatuas* Naxi *eſſe dicunt cum hac inſcriptione:*

Naxi hæc Latoidæ *fecit ſolertia* Byzæ,
Cui primùm ſecta eſt tegula de lapide.

Viguiſſe Byzen *hunc illis temporibus proditum eſt, quibus in* Lydia Alyattes Aſtyagis Cyaxaræ *filius regnauit in* Medis. *Eminẽt in extremis tecti finibus inaurati lebetes. In medio faſtigij apice inaurata item* Victoria. *Infra* Victoriæ *ſignũ fixus eſt aureus clypeus, in quo* Meduſa Gorgon *cælata eſt. Clypei inſcriptio, & qui dedicarint, & qua de cauſa, declarat his uerſibus:*

Ex auro phialam capta poſuere Tanagra,
Iuuerat hæc bello quòd Lacedæmonios,
Cecropidæ Argiuiq; *duces, &* Ionica *proles*
Victores partis de ſpolijs decimam.

Huius ego pugnæ mentionem feci in hiſtoria de rebus Atticis, Athenienſiũ *perſequens monimenta. In exteriore templi parte ad zonam quæ ſupra columnas ædem incingit,*

clypei

clypei affixi ſunt inaurati uiginti & unus, à Romano *exercitu,imperatore* Mummio *dedicati,confecto* Achaico *bello, & pulſis extra ſuos fines* Corinthijs,*qui* Dorici *nominis fuere.Sub ipſis templi lacunarib. in antica parte ſigna ſunt, apparatum curulis certaminis inter* Pelopem & Oenomaū *teſtantia.* Signo Iouis *medius imminet lacunaris uertex:ad eius dexterā galea armatus* Oenomaus *poſitus eſt. Adſiſtit ei uxor* Sterope,*una de* Atlantis *filiarū numero. Sedet ante currum & equos* Myrtilus Oenomai *auriga. Ipſi quidem equi quatuor ſunt.* Myrtilo *proximi uiri duo,quib. nō ſunt adſcripta nomina,ſed & illis uideri poteſt ab* Oenomao *demandata equorum curatio. In extremo lacunari* Cladei *amnis effigies cernitur:huic* Elei *ſecundùm* Alpheū *præcipuos habent honores.Ad* Iouis *læuā expreſſi ſunt* Pelops,& Hippodamia Pelopis *auriga, equi, ac uiri duo, & ipſi* Pelopis *equiſones.Hic ſe laquear in anguſtum faſtigium cōtrahit: ea in parte* Alphei *ſignum eſt. Hominem eum,quo auriga uſus eſt* Pelops,Troëzenij Sphærū *nomine prodidere. Interpres* Olympicarum *rerum* Cillam *appellatū aiebat. Habet lacunaris antica pars,* Pæonij *prolem è* Menda *ciuitate* Thraciæ:*poſtica* Alcamenem, *ætate ſua ſignorū opificio uno tantùm inferiorem.In ipſa teſtudine* Lapithæ *cum* Centauris *in* Pirithoi *nuptijs pugnant.In media lacunaris parte eſt* Pirithous.*Propè* Eurytion Pirithoi *ſponſam rapiens contrà pugnante* Cæneo. *Altera ex parte* Theſeus *bipenni* Centauros *obtruncans.* E Centauris *uerò uirginem alius pubeſcentem,alius puerū rapit.Fecit hæc, opinor,* Alcamenes, *quòd ex* Homeri *uerſibus didicerat* Iouis Pirithoum *filium fuiſſe: ac* Theſeum *ſciebat generis ordine quartū eſſe à* Pelope. *In eodem templo nonnullæ ex* Herculis *ærumnis elaboratæ*

ſunt. Supra fores enim Erymanthij apri uenatio eſt, & quæ de Thrace Diomede tradita ſunt. Ad hæc Herculis eiuſdẽ in Erythean inſulam cõtra Geryonẽ expeditio. Idem etiã Hercules Atlantis onus uicaria opera ſubiturus cernitur. Præterea & Eleorũ agrũ, fimo amoto de Augeæ ſtabulo, purgat. At ſupra poſtici fores Amazoni baltheum eripit. Iam uerò quæ de ceruo & Gnoßio tauro cõmemorantur, quæ item de hydra Lernæa, deq; Stymphalijs uolucribus, & Nemeo leone, ibidẽ expreſſa ſunt. Iam per æneas fores ingreßis, eſt ad dexterã ante columnã Iphitus ab uxore Ecechiria coronã accipiens: nomina elegi indicãt. Erectæ ſunt in templi parte interiore columnæ, quæ ſublimes à terra ſuſtinent porticus, per quas ad Iouis ſignum aditus patet. Attollit & inde ſe cochlea, per quã ad tẽpli culmen ſcanditur. Sedet in ſolio deus ex auro et ebore factus. Corona capiti impoſita eſt, ad oleaginæ frondis imaginem. Dextera Victoriã, & ipſam ex ebore & auro præfert, cum tænia, & corona. Læua ſceptrũ tenet affabrè expolitũ, & omnium metallorũ uarietate diſtinctum. Quæ auis ſceptro incumbit aquila eſt. Aurei ſunt deo calcei, pallium item aureũ. In eo cùm diuerſa animalia, tum ex omnibus florum generibus lilia in primis cælata ſunt. Solium ipſum auro et precioſis præfulget lapidibus: neq; in eo uel ebenũ, uel ebur deſideratur: animaliũ uerò formis intercurrẽte pictura exornatur. Signa etiã in eo eminẽt, Victoriæ quatuor ſaltantiũ ſpecie ad ſingulos ſellæ pedes. Duæ itidem ad pedũ calcem ſunt, ac prioribus quidem pedibus inſiſtunt Thebanorũ pueri à Sphingibus rapti. Infra Sphingas Nioben cum filijs Apollo et Diana ſagittis configũt. Inter pedes diſcurrũt regulæ, mutua illos compage iungentes. In ea quæ in fronte regula eſt, ſeptẽ ſe adhuc oſtendunt ſigilla: nam eorum

rum octauũ quæ cauſa aboleuerit, ignoratur. Sunt aũt illa, priſcorum inter uiros certaminũ ſimulachra: nondum enim qua Phidias uiguit ætate, puerorũ inſtituta fuerant ludicra. Quẽ uerò tænia redimitũ uideas, eum ex ipſa corporis ſpecie Pantarcem eſſe ſuſpicantur, Eleum puerum, amore Phidiæ deuinctũ. Eodem fuit nomine qui in lucta puerorũ palmam eſt adeptus, Olympiade ſexta ſupra octogeſimã. In alijs regulis extat Herculis comitatus aduerſus Amazonas: in eo eſt etiã Theſeus. Non ſoli autem pedes ſolium fulciunt, ſed mediæ etiam, inter binos pedes, pedibus magnitudine pares, columnæ. Quòd ſi penetrari ſubter poſſet, ut Amyclis intra Apollinis ſoliũ, interiora item opera perſequi nõ eſſemus grauati. Sed quo minus propius accedant ſpectatores, ſepimentis quibuſdam in parietũ modum extructis ſolium intercluditur. Eorum ſepimentorũ pars, quæ ex aduerſo ianuæ eſt, cæruleo tantùm oblita eſt, latera reliqua Panæni picturas habent. Inter eas Atlas eſt, cœlum ac terram ſuſtinens: adſiſtit Hercules iam propè, illũ onere leuaturus: cernitur etiam Theſeus cum Pirithoo. Veteris præterea Græciæ & Salaminis imagines: hæc nauium roſtra manibus præ ſe fert. Herculis cum Leone Nemeo certamen. Aiacis in Caſſandram contumelia. Tum Hippodamea Oenomai filia, cum matre. Vinculis diſtrictus Prometheus, & eum intuens Hercules. Traditũ enim eſt hoc etiã negotij Herculem habuiſſe, quòd Prometheũ aquila, quæ illũ male mulctabat, interempta, è uinculis exemerit. Poſtrema in pictura ſunt Pentheſilea animã agens, eam ſuſtinente Achille. Et Heſperides duæ mala ferunt, quæ ipſarũ dicuntur fuiſſe cõmiſſa cuſtodiæ. Panænus quidem hic Phidiæ frater fuit, qui Athenienſibus etiam in Pœcile Marathoniã pugnam pinxit. In ſolij puteali,

ſupra ſimulacri caput, fecit Phidias Gratias una ex parte tris, totidem Horas ex altera: nam et has Iouis eſſe filias poëtarum carminibus proditum. Horas certè Homerus in Iliade nominauit, cœliq; illis dixit, quaſi regiæ domus excubijs, cuſtodiam attributã. In baſi ea quæ pedibus ſubeſt, θράνιον Attici appellant, pedum quaſi fulcra dixeris, leones aurei, & cõtra Amazones Theſei pugna cælata eſt. Fuit hæc nempe prima pugna contra exteras gentes ſuſcepta, quæ Athenienſium nomen nobilitauit. In eo uerò ſcamillo, qui uniuerſam ſigni molem ſuſtinet, alia quædam ſunt ſuperuacanei operis quaſi emblemata ex auro. In currum aſcendunt Sol, Iupiter, & Iuno: præſtò eſt Gratia: eam Mercurius amplectitur: Mercurium Veſta. Continenti ferè ſpatio Cupido Venerem è mari emergentem excipit, cui Suada coronam defert. Adſunt Apollo, Diana, Minerua, Hercules. In ima baſi cernuntur Amphitrite, & Neptunus. Equum Diana, ut mihi uidetur, ad curſum incitat: etſi iumentis ferunt, nõ equis, deam uehi, futili quadã de mulo fabula uulgata. Et Olympij quidẽ Iouis ſignum, quàm alte lateq; pateat, linearũ deſcriptionibus qui demonſtrare conati fuerint, cùm ſciam nõ defuiſſe, eorũ mihi certè parum eſt in metiendo probata ſolertia: eſt enim ea tota dimenſio inferior multò propè aſpicientiũ opinione. Tradunt certè ipſius dei autoritate Phidiæ artem comprobatã. Nam cùm expolito iam opere Iouem oraſſet, ſignificationẽ ut ſibi aliquam daret, nunquid illud ipſi acceptum eſſet, & gratum opus, eam pauimenti partem de cœlo tactam memorãt, quo loco urna ætate mea ex ære (quod loci eſſet inſigne) poſita eſt. Et à ſigni quidem fronte pauimentũ nigro marmore conſtratũ eſt, prominente in orbem è Pario lapide puluinato quaſi limbo ad oleum ſcilicet ſiſtendum,

dum, quo perfuſum ab aquoſi iniuria ſoli ebur defenditur. Eſt enim Altis in Olympia maximè paluſtris locus. At contrà in Athenienſium arce, eminenti ſcilicet & ſaxoſo loco, ebur, è qua materia factum eſt Mineruæ ſignū, quā ipſi Virginem uocant, nō oleo, ſed aquæ aſperſu à ſiccioris loci incō modis uindicatur. Epidauri certè cùm percontarer, cur neque oleum, neq; aqua eſſet adhibita ad arcendam ab Aeſculapij ſigno noxam, docuerunt me editui, ſolium, cui ſignum inſideret, puteo imminere. Quod ad ebur uerò pertinet, ſi qui hominum ſannas illas eſſe è belluarum ore exertas, non cornua exiſtimant, ab Alce illi Gallica fera, & tauris Aethiopicis ſpecimen capiant. Alce enim, qui mares ſunt (nam fœminis nulla omnino prodeunt cornua) è ſupercilijs, Aethiopici tauri è narib. cornua extrudunt. Quis igitur in magno ponat miraculo, eſſe animal, cuius ex ore erumpāt cornua? Argumento & illud eſſe facilè poteſt illam eboris molem cornua eſſe, quòd beſtiæ ſunt quæ certo ratoq; temporis ambitu cornua abijciant, rurſusq; illa quoties amiſerint reponant. Hoc ceruis, capreis, & item elephantis accidit. Dens certè animaliū nulli iam adulto, cùm ſemel decidit, renaſcitur. Quare ſi dentes eſſent, & nō cornua, quæ naturæ uis, ut renaſcerentur, efficere potuiſſet? Ad hæc, dentes igni domari nequeunt: at boum & elephantorū cornua ſic igni emolliuntur, ut uel ex tereti planam uel aliam quamuis accipiant figurā. Quid, quòd ex inferiore mandibula fluuiales equi, & apri ſannas exerunt? In elephantis uerò cùm à ſuperiore id, quod dentes multi eſſe putarunt, deſcendat maxilla, me autore dubitarit nemo cornua illa eſſe, quæ à tēporibus orta per os extrorſum reſupinata ſeſe efferant. Hæc ego non auribus, ſed ipſis accepta oculis ſcribo, Elephanti caluā

conſpicatus,in Dianæ,quod templum in Campania nobile, à Capua, quæ regionis totius caput eſt, abeſt ſtadia ferinè triginta. Eſt igitur longè alia quàm cæteris quadrupedibus Elephanto *cornuũ eruptio, ſicuti ei & corporis uaſtitas,& reliqua forma ualde eſt à reliquo belluarum genere diuerſa. Quàm uerò* Græci *ſplendidi et magnifici,ac minimè omniũ parci in colendis* Dis *fuerint, magno illud documento eſt, quòd ex* India *& ab* Aethiopibus *ebur ad ſigna deorum faciendà aduehendũ curarint. Et in* Olympij *quidem templo laneum uelum cùm textili* Aſſyriorũ *opere,tum* Phœnicum *purpura luculentum dedicauit rex* Antiochus.*Eiuſdem donum fuit ægis aurea,quæ* Athenis *in theatri faſtigio inter cætera dona locata eſt. Velum nõ quo more fit in* Dianæ Epheſiæ *tẽplo ſubter lacunar ſurſum attollitur,ſed ad pauimentũ uſq; funib. ſuſpenſum demittitur. Inter ea uerò donaria quæ in atrio templi poſita ſunt, extat ſoliũ* Arimni Hetruſcorũ *regis,qui primus exterorũ donum* Olympio Ioui *miſit:tum æneí equi, quos* Cyniſca *dicauit* Olympicæ *uictoriæ monimentum,ueris illos quidem equis magnitudine inferiores:locati ſunt in primo aditu ingredientibus ad dexterã. Aeneus item tripos ibidem eſt,ſuper quo uictoribus,priuſquã menſa erigeretur,coronæ proponebantur.* Romanis *uerò* Imperatoribus *ſtatuas è* Pario *lapide,* Adriano *urbes* Achaici *conuentus,* Traiano *uniuerſi* Græci *erexerũt.Hic imperio* P.R. Getas,*qui ſupra* Thracas *ſunt adiunxit,& cum* Oſroë Arſacis *nepote* Parthorũ *rege bellum geſſit. Operibus præterea quamplurimis urbem exornauit, quorum cæteris magnificentia præſtant thermæ,quæ ab ipſo nomen acceperunt:& magno extructum ambitu amphitheatrum: ad hæc* Hippodromus *non breuiore ſtadiũm duũm ſpatio: tum forum &*

reliquo

reliquo ornatu inſigne, & maximè ære exornato lacunari. Inter cætera uerò eius fori inſignia teretibus inſiſtunt ſcamillis ſtatuæ duæ, ex electro una Auguſti Cæſaris, altera ex ebore Nicomedis Bithyniæ regis, de cuius nomine urbs Bithyniæ maxima appellata eſt, cùm antè Aſtacò nuncuparetur. Condita ea quidem dicitur à Zypœte homine Thrace, quantũ ex ipſa nominis uoce conijci poßit. Electrũ quidem, ex qua materia ſtatuam Auguſto fecerunt, in Padi fluminis arenis rarum omnino repertu eſt: id qui nacti fuerint, non temerè magni æſtimãt. Eſt alioqui electrũ aliud nihil quàm argento permiſtum in metallis aurũ. Sed ad ea unde huc excurrimus reuertamur. Sunt in Olympij fano quas Nero donauit coronæ: earum quæ eſt ordine tertia oleaſtri, quarta quercus frondem imitatur. Poſiti item clypei ſunt XXV. *ænei, cum quibus decurrunt qui armati in curriculum deſcendunt. Erectæ uerò ſunt & aliæ pilæ, & ea inter cæteras, in qua fœdus teſtatũ eſt, quod in annos centũ Athenienſes, Argiui & Mantinenſes fecere. Intra Altin eſt Pelopi multa religione cõſecrata area, Pelopion appellant. Præ cæteris enim heroibus tam colitur apud Eleos Pelops, q̃ Iupiter præ cunctis Dis. Eſt igitur ad dexterã quà patet ad templum aditus ab Aquilone, Pelopium, eo ſpatio interiecto, ut in eo & ſtatuæ, & alia ornamenta poni potuerint: porrigitur autem à media ad poſticã templi partẽ, circũuallante maceria. Tota area, & arboribus cõueſtita, & ſignis paßim eſt conſpicua. Ingreſſus ad eam eſt à Solis occaſu. Eum Soli campum dedicaſſe Pelopi Herculem Amphitryonis filium ferunt: quartum enim à Pelope poſteritatis gradũ tenuit. Idem etiã Hercules Pelopi dicitur ad eam ſcrobem ſacrũ feciſſe, ad quam ætate etiam noſtra magiſtratus nigro ariete faciunt. Ac de*

ea quidem uictima uati portio nulla tribuitur: collum tantum, more maiorum, lignatori datur, ſic enim appellatur unus de Iouis famulatu, cui negocium mandatum eſt, ut certo precio ligna ad ſacrorum uſum, uel publicè ciuitatibus, uel priuatim cuiuis homini ſuppeditet. Sunt autem non ex alia arbore ligna ea, quàm de alba populo. Quòd ſi quis ſiue Eleus, ſiue hoſpes fuerit, carnes ex ea uictima comederit, ei templum Iouis introire nefas eſt. Idem obſeruatur ad Pergamum quod ſupra Caicum eſt: nam qui Telepho immolarũt, religio eſt illis antè in Aeſculapij aſcendere, quàm corpus abluerint. Sed quod ad Pelopem attinet, memoriæ proditũ eſt, cùm Troianũ bellum duceretur, monuiſſe uates non antè expugnari Ilium poſſe, quàm Græci Herculis ſagittas, & de Pelopis oßibus unum comportari curaſſent. Quare & Philoctetẽ tunc in caſtra accerſitũ, & Piſa ſcoptulum opertum Pelopis deportatum. Redeuntibus uerò Græcis ad Eubœan, nauim eam, in quam Pelopis illud os fuerat impoſitũ, naufragio perijſſe. Multis deinde annis poſt Ilium exciſum, Eretrienſem piſcatorem Demarmenũ iacto euerriculo è mari os extraxiſſe: miratũ magnitudinem in arenis id adnotato loco abdidiſſe. Veniſſe eundem Delphos ſcitatum cuiuſnam eſſet os, et ad quẽ uſum illud à ſe conſeruari oporteret. Tunc etiam fato quodam aderant quos Elei conſultum miſerant, quæ foret depellendæ peſtilentiæ ratio. Atq; his quidem reſponſum eſt, ut Pelopis oſſa requirerent: Demarmeno uerò, ut quæ reperiſſet Eleis reſtitueret. Hoc ille cùm feciſſet, & alia accepit ab Eleis munera, & ei, eiuſq; poſteris cuſtodia oßis demandata eſt. Scoptulum opertum Pelopis ætate mea iam euanuerat. Id eò accidiſſe opinor, quòd cùm altè defoſſum fuiſſet, cùm uetuſtate, tum aquæ marinæ illuuie extabuit.

buit. Et in *Græciam quidem* Tantalum *&* Pelopem *coloniam deduxiſſe, certa adhuc extant indicia, portus qui* Tantali *dicitur, & eiuſdem ſepulchrum.* Pelopis *in* Sipyli *montis uertice uiſitur ſoliũ, ſupra eum locũ ubi* Plaſtenes *matris fanum eſt.* Iam *uerò ultra* Hermum *fluuium, ad* Temnũ *oppidum,* Veneris *ſignum ſpectatur è uirente à radice ſua myrto, quod faciendum curaſſe* Pelopem *ferunt, cùm ut deã coleret, tum uerò ut* Hippodameæ *nuptiarũ ſe compotem faceret.* Olympij *quidem* Iouis *ara pari interuallo à* Pelopio *&* Iunonis *æde diſtat, ante utriuſq; frontem ſita.* Erectam *multi tradiderunt ab ipſo* Hercule, *alij ab indigenis heroibus duabus ipſis ætatibus poſt* Herculem. *Cõgeſta illa eſt è cinere collecto ex aduſtis uictimarum femoribus.* Talis *&* Pergami *ara eſt, talis* Samiæ Iunonis, *nihilo illa quidem ornatior quàm in* Attica, *quos* Rudes *appellant focos.* Aræ Olympicæ *ima crepido, quam* πρόθυσιν *appellant, quaſi primam ſacrorũ ſtationem dicas, ambitum peragit pedum centum, & amplius quinq; & uiginti: graduum ſingulorum ſupra crepidinem ambitus pedes explet binos ac tricenos: uniuerſa aræ altitudo pedes conficit duos propè & uiginti.* Ducuntur *hoſtiæ ad imæ crepidinis ſtationẽ, ibi eas patrio more mactant: femora in ſumma ara adolent.* Et *ad ſtationẽ quidem ab utroq; latere per lapideos, ad aræ altiſsimam ſedem per cineritios gradus ſcanditur.* Et *ad ſtationẽ quidem uſq;, tam uirgines, quàm mulieres, quas in* Olympiã *uenire nulla prohibeat religio, poſſunt aſcendere, longius progredi ſolis uiris fas eſt.* Ioui *ſanè re diuinã uulgò faciunt exteri homines qui uolunt, ad eam arã, etiã alijs quàm nundinarũ temporibus.* Elei *ſacrorum diem nullum intermittunt. Stato autem die quotannis* Februarij *menſis nono ſupra deci-*

mum aruſpices cinerem ex Prytaneo deportant, eoq; aqua ex Alpheo amne diluto, aram Iouis oblinunt. Religione ſancitum eſt cinerem ſola Alphei aqua dilui, atq; ex eo tantùm luto aræ tectorium ſuperinduci: eam ob rem Alpheus fluuiorum omniũ Ioui maximè amicus creditur. Eſt Dydimis (Mileſiorum ea ciuitas eſt) ara, quam à Thebano Hercule luto ſubacto uictimarum ſanguine extructam Mileſij tradunt. Nõ fuit ea tamen uictimarum inſequentibus temporibus copia, ut ara magnopere potuerit eminere. Sed quod ad Olympicã arã attinet, illud magno miraculo ducitur, quòd miluij, etſi auium hoc genus inſigni eſt rapacitate, ſacra tamen in Olympia facientibus infenſi non ſunt. Quòd ſi fortè exta uel uiſcerum partem ullam appetierint, dira portendi immolanti creditur. Proditum etiam eſt Herculem Alcmenæ filium Ioui porricientem cùm muſcas abigere non poſſet, uel quòd ei tunc primùm in mentẽ uenerit, uel quòd tra latitium fuerit, Abactori muſcarum, ἀπομυῖον Elei appellãt, hoſtiam mactaſſe: cùm perlitatum eſſet, omnes repentè muſcas trans Alpheum euolaſſe. Inde ſeruatum ab Eleis, ut ad abigendas ex Olympia muſcas idem ſacrum uſurparetur. Ex alba uerò dũtaxat populo, neq; ex alia arbore, ad uſum ſacrorum ligna cædi patrius eſt Eleis ritus. Credo hunc honorem huic arbori præcipuè habitum, quòd eam Hercules è Theſprotide primus in Græciam attulit. Sed ipſum etiam arbitror Herculem, Ioui cùm ſacra fecit, non alijs quàm ex alba populo lignis uictimarũ femora cremaſſe. Eam uerò arborem Hercules in Theſprotide propter amnem Acherontem reperit. Huc reſpexiſſe Homerũ putãt, cùm Acheroidẽ populum appellauit. Varia autem ſemper natura fuerunt, & nunc ſunt amnes diuerſi, ad gignenda herbarum & ſtirpium

pium uaria genera. Mæandri ripæ myricas fœliciter alunt. Aſopus in Bœotia inſigni magnitudine iuncum educat. Arbor Perſea ſola gaudet Nili aqua. Nihil igitur mirum, ſi ad Acherontem enata primùm eſt alba populus: ad Alpheum oleaſter. Populus uerò nigra Padi & Galliæ alumna eſt. Agè uerò cùm circa aram maximã iam ſatis immorati ſimus, alias item aras oratione perſequamur, ut ſimul doceamus, quibus Dis, & quo ordine more maiorum illic ſacra fiant. Veſtæ primùm diuinam rem peragunt: ſecundo loco ipſi Olympio Ioui: intimæ hæ ſunt fani aræ: tum ad arã eandem tertium in ſacris locum habet Mercurius, quartũ ad aram ſuam Minerua, Diana quintum, ſextum Ergane. Huic deæ Phidiæ poſteri, quibus publicè negotium datum eſt, ut Iouis ſignum ab aduentitijs purgatum ſordibus & deterſum præſtent (Phædryntæ ex eo, quaſi purgatores, aut illuminatores nuncupati) priuſquã ad opus aggrediantur, ſacra faciunt. Eſt alia Mineruæ prope templũ, Dianæ etiã quadrangula forma in ſublime ſenſim faſtigium aſcendens. Sed præter eas aras quas recenſuimus, Alpheo & Dianæ ad eandem aram faciunt. Eius rei cauſam Pindarus in cantico quodam, & nos in Lætrimæorum hiſtoria expoſuimus. Ab hac non longè, alia erecta eſt Alpheo ara, prope quam Vulcano ſua item ara poſita eſt. Sed hanc multi ex Eleis Arei, id eſt, Martij Iouis nominant. Aiunt autem Oenomaum quoties filiæ procis curule certamen proponeret, Areo Ioui rem diuinã facere ſolitum. Poſt has Herculi ara dicata eſt cognomine Paraſtatæ, hoc perinde eſt, quaſi Statori dicas: eius etiam fratribus, Epimedi, Idæ, Pæonæo, & Iaſo. Idæ aram ab alijs non ignoro Aceſidæ appellatam. Quo uerò loco area eſt Oenomai domus, duæ extant Iouis aræ, quarum unam Her

ceo ipſe Oenomaus dedicauit: Ceraunio alteram poſt Oenomaum poſitam conijcio, cùm eius domus de cœlo tacta conflagraſſet. Ac de maxima quidem ara, quæ dici opus fuit, paulò ſuperius à me dicta ſunt. Vocatur ea ſanè Iouis Olympij. Adiacet ei Ignotorum deorũ ara. Poſt eam Catharſij, id eſt, Piacularis Iouis, et Victoriæ: exinde Iouis, cui cognomen Terreſtri: tum uerò Deorum omnium, & Iunonis cognomento Olympiæ: hæc itidem è cineris cõgeſtu extructa eſt, à Clymeno dedicatam tradunt. Succedit communis Apollinis & Mercurij, ob eam præcipuè cauſam, quòd lyræ inuentum Mercurio, citharæ Apollini Græcorum ſermo attribuit. Conſequuntur Concordiæ, Mineruæ, Matris deûm aræ. Proximè ad eum aditum, quà eſt ad ſtadiũ acceſſus, aræ duæ ſunt: earum alteram Mercurij Enagonij, quod eſt quaſi Athletici dicas: Opportuni alteram, qui καιρὸς *græco nomine eſt, nuncupãt. In hunc ab Ione Chio factũ hymnũ ſcio, in quo illius natales memorans, Saturni filiorum natu minimum eſſe dicit. Non procul à Sicyoniorum theſauro Curetum, ſiue Alcmenæ Herculis matris, nam utrunq; anceps fama celebrat, ara eſt. Et qua parte Terræ ædes eſt, Gæon ipſi uocãt, Telluris ara è cineris ipſa etiam aggere. Iam tum priſcis temporibus fuiſſe illud Telluris oraculum fama prodidit. Ante locum uerò eum, quod nominant Stomium, ac ſi oſtium dicant, aram Themis habet. Ac Ioui Catæbatæ, quem nos non alieno fortaſſe nomine Elicium dicere poſſimus, quæ dicata ara eſt, maceria ambitur. Et modico à maxima ara cineritia interuallo diſtat. Illud monendi ſunt quicunq; hæc legerint, aras me non quo ſitæ ſunt ordine enumeraſſe, ſed per eas ita me ſtylo uagatũ, uti ad earũ quanq; uel prius uel poſterius Elei ſacra faciunt. Pelopis aræ adiuncta eſt*

cta eſt Liberi Patris & Gratiarum cõmunis. Dehinc duæ, Muſis una, altera Nymphis poſitæ. Extra Altin ædes quædam ſunt quæ Phidiæ officina nũcupatur: in illis ædibus Phidias operis partes eſt fabricatus: & in iiſdem ara eſt dijs omnibus cõmunis, in cõſpectu redeuntibus intra Altin è regione Leonidæi. Eſt autẽ Leonidæũ, ædes à Leonida indigena homine dicata extra fani ambitũ, prope eum ad Altin aditũ per quẽ unũ è multis pompa ſacrorũ traducitur, et ex eo Sacra uia eſt appellata: ætate uerò mea diuerſoriũ fuit Romanorum magiſtratuum. Inter Sacram uiam & Leonidæum, unica media eſt Agyia: hoc enim nomine angiportũ, quem Attici Stenopon, uocant. Vltra Leonidæum cùm ad læuam flexeris, ad Veneris arã primùm, deinde ad Horarũ accedes. Vbi poſticum templi eſt, ad dexteram oleaſter ſe oſtendit, quem Calliſtephanum appellant, quaſi Coronarium dicas: ex ea enim arbore ſolenne eſt uictoribus coronam decerpere. Proxima oleaſtro eſt Nymphis ſacra ara, eas Nymphas Calliſtephanos & ipſas nuncupant. Eſt ſanè intra Altin ara Forenſis Dianæ ad Leonidæi dexterã. Habent et deæ, quas Dominas uocant, aram ſuam. Dominam certè quã dearum nominent Græci, in rerum Arcadicarum cõmentario docebimus. Adiuncta eſt Iouis Forenſis, & ante locũ eum, quam Proëdrian, hoc eſt, Seßionem honoratiorem appellant, Pythij Apollinis, & ab eo non longè Liberi Patris ara: hanc neq; multis antè ætatibus poſitam, & à plebeis hominibus dedicatam ferunt. In ea quà ad equorum carceres uia ducit, ara eſt cum inſcriptione Mœragetæ, quod eſt, Parcarum ducis: eſſe illud Iouis cognomen dubitari non debet: unus enim ipſe Parcas in poteſtate habet, ſolusq; quid ſit, uel nõ ſit homini fato præſcriptum nouit. Adiuncta eſt Parcarũ ara ob-

longa figura: & poſt eam Mercurij, & deinde Iouis, cui cognomen Altiſſimo, aræ duæ. Intra ipſos carceres ſub diuo aræ ſe oſtendunt equeſtris Neptuni, & equeſtris Iuno. Adhæret pilæ Caſtorũ ara, & in primo aditus ingreſſu, quod roſtrũ uocant, Martis equeſtris, & equeſtris Mineruæ. Iam uerò intra roſtrũ ingreſſis, eſt Bonæ Fortunæ ara, Panos deinde, et Veneris. In receſſu, Nympharũ, quas Acmenas, id eſt, Vegetas nũcupãt. A porticu uerò ea, quã Elei de nomine architecti uocãt Agapiti porticũ, inde redeuntibus ad dexterã Dianæ ſe ara monſtrat. Et Altin per Sacrã uiã intrantibus ſecundũ Iunonium ſunt Cladæi amnis & Dianæ aræ, tum Apollinis poſt eas, quarta Dianæ Coccocæ (hoc enim eſt deæ cognomen) quinta Apollinis Thermij. Quid hoc ſibi cognominis uelit, non eſt difficile cõiectura conſequi, cùm eandem uocem Attica etiã lingua uſurpat. Quamobrem uerò Coccocã Dianã appellent, nunquã adhuc ut diſcerẽ uſu mihi euenit. Hoc loco ædes eſt ante ædificium illud, quod Theecaleonem nominant. In eius ædis angulo Panos ara dicata. Prytaneũ, curiam ſcilicet ſuam habent Elei intra Altin, prope ipſum exitum, qui eſt ultra gymnaſium illud, in quo ſunt Athletarum curricula et palæſtræ. In Prytanei ueſtibulo eſt agreſtis Dianæ ara. At in ipſo Prytaneo, cùm cellam præterieris ubi focum habent, ad primi ingreſſus dexterã Panos arã uideas. Focus ille è cinere ſubſtructus perpetuo igni tam interdiu quàm nocte adoletur. Solenne eſt tranſportari ab hoc foco cinerem ad Olympij aram, quam ſuo loco è cinere congeſtam diximus, neq; illa aliunde magis in altitudinem proficit. Et ad earũm, quas antè enumerauimus, ararũ ſingulas quolibet menſe Elei ſacra faciũt, priſco parentũ ritu, thura & melle ſubactũ triticũ adolentes: & aras quidem olea-

gina

gina fronde uelant: uino in libãdo utuntur. Solis enim Nymphis, & ex omni dearum numero iis, quas Dominas appellant, ad cõmunem etiam Deorum omnium aram, uino libare religione prohibentur. Sacrorum cæremoniis ut quæq; in ſingulorum menſium ſtatos inciderint dies ritè peragendis præſunt, æditiuus, augures, feciales, interpres, tibicen præterea, et lignator. Quæ uerò in Prytaneo inter libandũ effari cõſueuerint, aut quos decantent hymnos, neutiquã his cenſeo commentariis prodendum. Neq; illi quidem Græcorum tantùm dis libant, uerumetiam ex omni Libycorum deorũ numero Ammoniam Iunonem, & Parammonem (Mercurii id cognomen eſt) uenerantur. Satis enim cõſtat uſos olim Græcos Libycis oraculis: nam aræ adhuc in Ammonis extant ab Eleis dedicatæ, & in illis, de quo cõſuluerint, et quid reſponſi acceperint, & qui ab Elide publicè miſſi fuerint, inciſis literis teſtatum eſt. Hæc in Ammonis. At Elei, ad eos ut noſtra redeat oratio, heroibus, & eorum uxoribus libant, tum iis qui paſſim in Elea terra, tum & illis qui apud Aetolos in honore ſunt. Et carminũ quidem effata Dorica enunciant lingua, ſed quis eorũ fuerit autor nõ traditur. In Prytanei ædicula cõtra focum cœnatio eſt. Poſtulat iam hic locus, ut ad Iunonis templum accedam, & quæ in eo memoratu digna ſunt, ſtylo perſequar. Primùm omnium Elei tradunt Scilluntios, quæ Triphyliæ ciuitas eſt, fanum erexiſſe annis fermè VIII. poſteaquàm Elidis regnũ Oxylus iniit. Totius quidem operis figura Dorica eſt, columnis circunquaq; ambientibus: & carũ quidem quæ in poſtico templi ſunt, altera è quercu eſt: porrigit ſe in longitudinẽ pedes tres & LX. Architectus qui operi præfuerit certus nemo proditur. Ac Iunoni ſanè quinto quoq; anno peplum matronæ ſedecim

prætexunt, eædemq; ludos faciunt Iunonia: in his curſus certamen uirginibus proponitur, in claſſes ex ætate deſcriptis. Primæ enim currunt impuberes puellæ, tum grandiores, poſtremò natu maximæ. Ornatus idẽ *eſt omnibus: paſſus capillus, demiſſa tunica ad genua, exertus uſque ad pectus dexter humerus. Deſcendunt & ipſæ in Olympicũ ſtadium, ſed curriculũ parte ferè ſexta detracta minuitur. Accipiunt uictrices ex olea coronam.* E *boue etiam qua* Iunoni *litatum fuerit partem capiunt.* Et *pictas quidem earum imagines dedicare fas eſt.* Matronæ *ſedecim ludis præſunt, totidem ijs miniſtræ attributæ ſunt.* Hoc *ipſum etiam uirginum ludicrũ ad res priſcas referunt.* Hippodamian *enim* Iunoni *de* Pelopis *nuptijs ut gratiã referret, primã omniũ illud inſtituiſſe perhibent, eandemq;* XVI. *fœminarũ delectum habuiſſe.* Memoriæ *etiam proditum eſt,* Chloridem Amphionis *filiam ſolam cum unico de marium fratrum numero ſuperſtitem è tota ſobole, de uirginum curſu palmam tuliſſe.* De Niobes *equidem prole quicquid compertũ habui, dum* Argiuorum *res perſequerer expoſui.* Quod *attinet autẽ ad* XVI. *matronarum collegium, præter ea quæ paulò ſuperius ſcripta ſunt, hoc etiam amplius memorant:* Demophontem Piſæ *tyrannum, multis ac grauibus incommodis* Eleos *affeciſſe: eo mortuo, quòd ille nihil egerat de publico ciuitatis cõſilio, facilè* Elei *adducti ſunt, ut de ijs quas acceperant iniurijs æquo iure cũ* Piſæis *diſceptarent.* Ac *tunc ſanè inter ipſos conuenit, ut cùm ciuitates id temporis in* Elea *ſedecim uigerent, ſingulas matronam unam edere, quæ cùm ætate, tum uitæ ac generis dignitate cæteras anteire uideretur, atq; his omnium controuerſiarum arbitrium permitti.* Sedecim *itaq; fœminæ è totidem* Elidis *urbibus utriq; populo pacis*

conditiones tulere. Eiſdem uerò poſtea & ludos, quæ Iunonia ſunt appellata, faciendi, & peplum Iunoni pertexendi cura mandata eſt. Duos uerò choros celebrãt, Phyſcoæ unũ, alterum Hippodameæ uocitant. Fuiſſe Phyſcoan tradunt ex Elide, cui Cœle, quod eſt concauæ, cognomen: domiciliũ in curia Elidis habuiſſe, quæ Orthia dicta eſt: à Libero Patre adamatã, ei filium, cui Narcæi nomen, peperiſſe: Narcæum ipſum iam adultũ, cum finitimis bellaſſe: magnas inde opes conſecutum, & Mineruæ, quam de ſe Narcæam appellauit, ædem dedicaſſe, primũq; omniũ Libero Patri honores decreuiſſe. Phyſcoæ & alij honores habiti, & chorus alter ab ea nomen ſumpſit. Seruãt Elei priſtinũ illum ſedecim mulierum numerũ, ſed ex alia, q̃ totidem urbiũ deſcriptione: in tribus enim octo diſtributi, è ſingulis binas deligunt. Neq; uerò aut XVI. fœminæ, aut ædiles Eleorũ ullum attingunt munerum ſuorum partem, priuſquàm ſe piaculari ſue & aqua luſtrarint. Eam luſtrationem ad Pieran fontem ſuſcipiunt. Eſt fons ille in campis, per quos iter eſt ex Olympia Elidem contendentibus. Hæc ſanè ita ſe habent, uti expoſita ſunt. In Iunonis templo Iouis eſt ſimulachrũ, tum Iunonis ipſius in ſolio ſedens: aſsiſtit barbatulus quidam galea armatus. Priſca hæc & rudis cuiuſdam opificij opera ſunt. Sedentes uerò deinceps in ſolijs Horas fecit Emilus Aegineta. Quod proximo loco Themidis (mater enim ea Horarum eſt) ſignum poſitum eſt, fecit Doryclidas Lacedæmonius Dipœni & Scyllidis diſcipulus. Heſperides uerò quinq;, opus fuere Theoclis item Lacedæmonij, quem Hegyli filium fuiſſe, & ab ijſdem magiſtris Dipœno & Scyllide artem didiciſſe ferunt. At Mineruã caßide armatã, haſta & ſcuto, Lacedæmonij Medontis eſſe opus memorant: fratrem hunc Doryclidæ fuiſſe, &

eoſdem magiſtros habuiſſe. Sedent è regione Ceres & Proſerpina: aduerſi ſtant Apollo & Diana. *Poſita ſunt ibidem* Latonæ, Fortunæ, Liberi Patris, et uolucris Victoriæ *ſigna. Atq; hæc quidem cuius artificis opera ſint, compertum non habeo, ualde omnino mihi priſca uidentur. Et ſunt quæ hac in parte recenſui omnia, ex ebore & auro. Poſteriorū ætatum & alia ſunt dona in Iunonis templo. E marmore Mercurius infantem* Bacchum *portans, Praxitelis opus, &* Cleonis *Sicyonij ex ære Venus. Fuit Cleonis doctor* Antiphanes. *Hic à Pericleto didicerat Argiui Polycleti diſcipulo. Sedet ad Veneris pedes inauratus puſio nudus, quē Carthaginienſis elaborauit* Boëthus: *atq; huc tranſpoſitus quidem eſt ex æde, quod Philippeum uocatur. Sunt hæc itidem ex ebore inaurata, & inter ea* Eurydice Philippi. *Arca etiā in eo templo poſita eſt è cedro cū aureis & eboreis emblematis, partim uerò ex eadem cedro cælatis. In arcam hanc Cypſelum, qui Corinthi poſtea tyrannidem eſt adeptus, mater ſua abdidit, cùm recens natum* Bacchidæ *ad necem magna cum ſolicitudine depoſcerent. Arcam deinde in* Olympia *dedicarunt ipſius poſteri, qui Cypſelidæ ſunt appellati, ob ſeruatū gentis ſuæ principem, & parentem. Fuiſſe uerò hoc nominis Cypſelo traditur, quòd Corinthij arcas Cypſelas nuncupant. In arca inciſæ ſunt priſcis literis inſcriptiones recto ordine & uſitato ſcribentibus quædam, aliæ in gyros reuolutæ, βουστροφηδὸν à boū opinor repetitis actibus in ſulco, Græci dicunt. A ſuperioris enim uerſus fine cōtinenter ſinuatur ad ſequentis initium uerborum ſeries, ea nempe forma quæ eſt iterati curriculi, quem diaulum appellant. Adſcriptū eſt, alios etiam eſſe perplexos & inexplicabiles inſcriptionum nexus. Quòd ſi ab ima arca exorſus omnia oculis perſequare, in*

re, in prima fronte Oenomaū *primùm uideas, qui* Pelopem *cum* Hippodamea *fugientem urget. Bigis uterq; inuehitur, ſed pinnati ſunt* Pelopis *equi.* Tum Amphiarai *domus eſt, et* Amphilochum *portans anus neſcio quæ.* Pro *foribus monile præferens* Eriphyle *ſtat. Aßiſtunt filiæ* Eurydice, Demonaſſa, *&* nudus Alcmæon. Aeſius *certè poëta ſuis carminibus* Alcmenā *etiam ex* Amphiarao *&* Eriphyle *genitā memorat.* Baton Amphiarai *auriga equorum habenas una, altra manu haſtam tenet.* Amphiaraus *ipſe in currum alterum iam pedem imponit, enſem uerò ſtringit in uxorē cōuerſus, ac uix quin ira incenſus in eam irruat, ſatis animū in poteſtate continens. Supra* Amphiarai *domū ludi fiunt* Peliæ *funebres: circunſtant ſpectatores, & inter eos in ſolio ſedens* Hercules: *à tergo ſtat uxor eius, quod indicat inſcriptio: tibias illa non* Græcas, *ſed* Phrygias *inflat.* Bigas *agitant* Piſus Pericris, Aſterion Cometæ *filius, nam et hic in numero fuiſſe* Argonautarum *dicitur.* Pollux *præterea &* Admetus: *dehinc* Euphemus, *quem* Neptuni *ſatu ortū poëtæ uulgarunt, eundemq;* Iaſonis *in expeditione* Colchica *comitē fuiſſe.* Hic *è bigarum curriculo uictor diſcedit.* Deſcendunt *in cæſtuum certamē* Admetus *&* Mopſus Ampycis *filius. Stat inter eos tibicen eo ritu tibijs canens, quo ſolent ætate noſtra qui modos ſaltantibus præcinūt quinquertionibus.* Luctantur *ibidem* Iaſon *&* Peleus *æquo certamine:* Eurybotas *diſcum iaculatur.* Incertum *quis nam hic ſit* Eurybotas, *qui ludicri eius arte ſe iactat.* Curſum *ineunt* Melanion, Neotheus, Phalareus, *quartus in eo numero eſt* Argius, *quintus* Iphiclus: *huic iam uictoriā adepto coronam offert* Acaſtus. Is *eſt* Iphiclus Proteſilai *pater, qui unus fuit de ijs ducibus qui* Iliū *oppugnatū iere.* Expoſiti *ſunt uictoribus tripodes.* Adſtant Pe-

liæ filiæ: ex illis uni adſcriptum eſt nomen Alceſtidi. *Iam uerò* Herculis *laborum uoluntarius comes* Iolaus *de quadrigis palmā aufert. Atq; hic extremus eſt actus eorum, qui in honorem* Peliæ *facti ſunt ludorum. Poſt hæc* Herculi *adſiſtit* Minerua, *dum ille hydram ad* Amymones *flumen ſagittis configit. Et ipſi quidem* Herculi, *quod nempe facile ex operis argumento, et corporis habitu ac figura agnoſci poteſt, nomen non eſt appoſitum. Adeſt* Phineus Thracum *rex, et abigentes* Harpyias Boreæ *filij. In altero uerò arcæ latere quod eſt à læua, ordinē operis in orbem oculis perſequenti, fœmina expreſſa eſt puerum conſopitum læua album ſuſtinens, nigrum dextera, & hunc dormiens effigie, diſtortis utrinq; pedibus. Indicant inſcriptiones, quod facilè tamen, ut nihil ſcriptū ſit, cōijcere poßis, eorum puerorū unum mortem eſſe, alterum ſomnum, mulierem illam noctem utriuſq; nutricem. At formoſa illa mulier, quæ fœda facie alteram, ſiniſtra obſtricto collo trahit, dextera fuſte cædit,* Iuſtitiam *ſignificat, qua iniuriam male mulctat. At quæ fœminæ cum piſtillis pilas præferunt, eas medicamentorū artem calluiſſe arbitrantur, ſed nulla quæ illæ fuerint inſcriptio indicat. Nam quæ illa ſit quæ uirum ſequitur, ex adſcriptis uerſibus facilè colligas:*

Idas Marpeſam *formoſam, quam ſibi* Apollo
Eripuit, *ſacraq́; eduxit ſede uolentem.*

Propè eſt tunica amictus uir, dextera pateram, altera torquem tenens: & Alcmena *quidem ea eſt, quæ de eius manibus illa ſumit. Illud ſanè inter* Græcos *poëtarū carminibus celebratum eſt,* Iouem *ſimulata* Amphitryonis *forma cum* Alcmena *cōgreſſum. Iam* Menelaus *loricam indutus ſtricto gladio* Helenam *inuadit, capto ſcilicet* Ilio *eam interempturus.*

rus. Sedenti in ſolio Medeæ à dextera Iaſon, à læua aßiſtit Venus. Adſcriptum eſt,

Cypridos imperio Medeam ducit Iaſon.

Sunt & Camœnæ canentes, modos dictante Apolline. Appoſiti uerſus duo ſunt huiuſmodi:

En pater hic uatum proles Latonia Apollo,
Muſarumq́; chori circùm, quibus imperat ille.

Atlas (uti fabulis uulgatū eſt) humeris cœlum & terram ſuſtinet: idemq́; Heſperidum mala præfert. Ecquis nam uerò ille ſit, qui enſe accinctus ad Atlantem contendit, nulla indicat inſcriptio: ſatis uerò per ſe quiſq; conijcere poßit Herculem eum eſſe. Id unum adſcriptum eſt:

Suſtinet Axem Atlas, idemq́; hic mala relinquet.

Mars armatus Venerem abducit. Inſcriptio eſt ἐνυάλιος. *Thetis uirgo adhuc ibidem expreſſa eſt: eam Peleus prenſat: at illa manu altera anguem in Peleum immittit. Meduſæ ſorores pinnatæ Perſeum uolantes inſectantur: uni Perſeo eſt nomen adſcriptū. In arcæ tergo militaris expeditionis imaginem uideas. Maior exercitus pars pedeſtre agmen eſt, equeſtrium etiam copiarum aliquid in bigis. Ac partim quidem manum iam conſerturi uidentur, partim uerò ſe conſalutatione facta mutuò agnituri. Variat interpretum ſermo: ſunt enim qui dicunt, Aetolos Oxylo duce, contra priſcos Eleos inſtructos, utroſq; conſanguinitatis recordatione poſitis inimicitijs ad concordiam ſpectare. At alij, in prælium deſcendere Pylios & Arcadas ad Phygalean urbem, & amnem Iardanum. Illud certè nemini probari poßit, quod ab alijs proditū eſt, Cypſeli proauum, cùm eſſet Corinthius, in arca, quam in ſuo eſſet inſtrumento habiturus, conſultò inſcalpi noluiſſe res patrias Corinthiorum: exterorū uerò res*

geſtas, neq; illas ualde inſignes, celebrandas curaſſe. Equidem quantũ ipſe poſſum cõiectura aſſequi, illud uideri probabilius poßit, quòd cùm Cypſelo, eiusq; maioribus ſexto poſteritatis, ut longißimè, gradu origo fuerit à Gonuſa Sicyonis filia, & inter abauos eorũ numeretur Melas Antaßi filius, hunc Melana cum agmine ſuo (uti antè in cõmentario de Corinthiorũ rebus expoſui) recipere in ciuitatis eiuſdem cõmunionem recuſabat Aletes, quòd ex Delphici Apollinis quodam reſponſo fidem ei minus habebat. Atenim cùm ille multis Aletẽ modis ſibi conciliare ſtuduiſſet, & reiectus multis cum precibus redire nõ dubitaſſet, ab inuito quidem receptus tamẽ eſt. Quare Melanis illas eſſe copias, quæ in ea parte arcæ ſpectantur, facilè exiſtimari poßit. Quod quartum arcæ latus eſt, ſi à læua ambire eam cœperis, Borean habet Orithian rapientem: anguiũ illi caudæ pro pedibus ſunt. Pugnat cum Geryone Hercules: trini quidem ex unico exiſtunt Geryones corpore. Agnoſcitur & Theſeus lyram tenens, cui adſtat Ariadna coronam præferens. Iam uerò Achilli & Memnoni pugnantibus ſua eorum utriq; adeſt mater. Sunt ibidem Melanion, & cum eo Atalanta hinnulum portans. Aiaci præterea ex prouocatione & Hectori congreßis, adſtit Diſcordia, facie illa quidem fœdißima. Ad huius exemplar pinxit Calyphon Samius Diſcordiam in templo Dianæ Epheſiæ, cùm ad Græcorum naues pugnã faceret. In eadem arcæ regione & Caſtores ſunt: eorũ alter impuber, & media inter eos Helena, abiectaq; humi ad Helenæ pedes cũ obſoleta ueſte Aethra Pitthei filia. Appoſita eſt inſcriptio uerſu heroico una uoce longiore:

Tyndaridæ fratres Helenen atq; Aethran Athenis
Aſportant. Iphidamas præterea Antenoris filius humi

ſtratus.Pro eo contra Agamemnonẽ pugnat Coon. In Agamemnonis clypeo Terror expreſſus eſt leonis capite.Inſcriptio eſt huiuſmodi ad Iphidamantis corpus:

Iphidamas,pro illoq; Coon fera prælia miſcet.

In Agamemnonis uerò ſcuto:

Hic pauor eſt hominũ, manibus gerit hũc Agamemnon.

Exin adducit ad Alexandrũ Priami filium Mercurius in iudicium de forma deas tris.Rem indicat inſcriptio:

Mercurius Paridi oſtentat ſpectanda dearum
Corpora,Iunonis,Tritonidis,atq; Diones.

Iam uerò Dianam quamobrem uolucrem fecerint,non facilè dixerim. Humeris certè alæ applicatæ ſunt,dextera pardum præfert,leonem altera. Ad hæc Aiax Caſſandrã à Mineruæ ſigno diuellit.Inſcriptio rem prodit:

Aiax Caſſandram Locrus deducit ab ara
Pallados. *Iam uerò Polynicem Oedipi filiũ in genu collapſum frater Eteocles urget. A tergo adſiſtit fœmina dentibus & aduncis unguibus quauis fera immanior:teſtatur inſcriptio Mortem illam Parcarum unam eſſe: & fati quidem ui Polynicẽ ſuccubuiſſe, Eteoclen uerò merito ſuo cecidiſſe. In antro Liber Pater iacet barbatulus aurẽam præferens pateram,talari amictus tunica: arbores antrum ueſtiunt,uites aliæ, mali & punicæ. Arcæ abacus nullã omnino inſcriptionem habet,ex ipſa uerò emblematum facie argumenta conijcias. Intra ſpeluncam mulier cum uiro in lectulo decumbit: Circen & Vlyſſen eos eſſe facilè ut credamus adducimur, cùm ad ancillarum numerum, tum uerò ad earum opificia reſpicientes: nam & quatuor ſunt,& ijs intentæ operibus, quæ uerſibus de illis loquens Homerus perſequitur. Adſtat Centaurus:pedes ei poſteriores equini ſunt,priores humani.*

tur: Paſitclen ipſum artem didiciſſe à * *Iuno exin de, Iupiter, Deûm Mater, Mercurius, cum Diana Apollo. In tergo, tota ludorum deſcriptio. In uno laterum Aeſculapius, & filiarum Aeſculapij una Hygea, Mars præterea, & prope ipſum prælij ſimulachrũ. At in altero Pluton eſt, & Liber Pater, tum Proſerpina, et Nymphæ duæ, quarũ altera pilã, clauẽ altera tenet. Eſt enim clauis Plutonis inſigne: ea proditum eſt ratione, quòd à Dite patre inferorum ſedes ita clauſa eſt, ut nemini inde reditus pateat. Iam uerò quod Ariſtarchus rerum Olympicarũ autor locuples, memoriæ prodidit, id nequaquam præterierim. Sua igitur ille ætate, cùm Elei Iunonis ſarta tecta, quòd uitiũ templi lacunar feciſſet, locaſſent, inter tabulatũ quod ad ſpeciẽ expolitũ eſt, et ſcandulare tectũ, cadauer cum graui armatura ſaucij hominis repertũ memorat. Hunc ego uirũ exiſtimo pugna intra Altin contra Lacedæmonios cõmiſſa, cùm ſe propugnatores in templa deûm recepiſſent, & inde de ſuperiore loco hoſtem repellerent, uulneribus confectum, iam moribundũ illuc perreptaſſe: cadauer eius tandiu integrũ permanſiſſe, quod neq; per æſtatem uaporum, neq; per hyemem, in illis latebris abditum, frigoris noxam contrahere potuerit. Addidit Ariſtarchus, elatum extra Altin, & cum iiſdem armis humatum fuiſſe. Oenomai quam appellant ipſi etiam Elei columnam, ea extat ab ara maxima ad Iouis ædem contendentibus. Quatuor ſanè erectæ ſunt ad læuã columnæ, quibus lacunar ſuſtinetur. Fulciunt eædem ligneã columnã iam uetuſtate ruentem, ferreiſq; incinctam uinculis. Columnam eam fama peruulgauit, in Oenomai domo fuiſſe, ſolamq; ſtetiſſe, cùm domus reliqua fulmine conflagraſſet. Id elegi teſtantur in ænea tabella ante ipſam columnam inciſi:*

Vna columna ex his hoſpes ſum ſola relicta,
In celſis ſteterunt quæ ædibus Oenomai.
Nunc exto Iouis *in templo circundata uinclis*
Nobilior,nec me flamma uorauit edax.

Accidit uerò ætate mea quiddã huiuſmodi. Cùm Romanus *quidam ſenatorius uir palmam in* Olympicis *adeptus,uictoriæ ſuæ relinquere uellet monimentum, cum inſcriptione ſtatuam ex ære, ſcrobem altius effodiendam curauit prope* Oenomai *columnam: repererunt qui opus conduxerãt, ſcutorum, frænorum, & armillarum fragmenta, quæ ipſe dum eruerentur uidi. Aedem quandam inſigni magnitudine,*Dorico *opere,*Matroũ *priſcum retinentes nomẽ appellant:neq; uerò in ea ullum extat* Deûm *matris ſignũ,ſtatuæ tantùm* Romanorum Imperatorum *ibi erectæ ſunt. Eſt hoc ipſum* Matroum *intra* Altin:*& eodem in loco rotunda figura cella,quod* Philippeum *uocant. In eius ſumma teſtudine æneum papauer eminet,fibularum id caput eſt cellæ trabibus.Situm eſt ædificiũ hoc circa* Altis *exitum ad læuam* Prytanei,*è coctili laterculo extructum,tectum columnis circunquaq; ſuſtinentibus.*Hoc *opus erigendum curauit* Philippus *cùm ad* Chæroneam *grauiter* Græcorum *fortunas attriuiſſet.* Et *dicatæ quidem illic ſtatuæ ſunt* Philippo & Alexandro, Amyntæ *etiam* Philippi *patri: eas, necnon &* Olympiadis,*&* Eurydices,*fecit ex auro & ebore* Leochares.*Venio iam ad ſtatuarum & donariorum expoſitionem, & eam quidem bipartitam, quòd ſcilicet ea de re conturbatè agendum non putaui.* Nam *alia longè ratio eſt eorum omnium donorũ quæ* Athenis *in arce poſita ſunt:illa enim ſiue ſtatuæ, ſiue aliud quoduis genus ſint,* Dis *omnia dicata ſunt: at in* Alti *partim deorum nominibus cenſentur, partim uerò ui-*

rò uictoribus, quò eis hoc etiam ueluti quodã corollario ho nos haberetur, ſuæ ſunt poſitæ ſtatuæ. Sed harum quidem poſterius fiet à nobis mentio: in præſentia, ad ea quæ præci pua ſunt deorũ inſignia, ſe conuertet oratio. A Matroo ad ſtadium rectà contendentibus, ad Leuam circa Cronij montis finem, crepido eſt lapidea monti ſubiecta: ex ea gradus in cliuum aſſurgunt. In crepidine locata ſunt aliquot ænea Iouis ſimulachra, cõflata illa quidem de multatitia pecunia, Athletis qui fraudẽ ludis feciſſent irrogata. Appellantur ea ſimulachra patria uoce Zanes, quod eſt, opinor, Ioues. Eorũ ſex erecti ſunt octaua et nonageſima Olympiade. Nam cùm Eupolus Theſſalus ex iis qui ad pugilum certamen conuenerant, Agetorem Arcadem & Cyzicenum Prytanin pecunia corrupiſſet, & præter eos Phormionem etiam Halicarnaſſenſem, qui in Olympiade ſuperiore de pugilatu uictoriam adeptus fuerat, cùm ipſum Eupolum, tum eos qui pecuniam cepiſſent, quòd primi ea corruptela ludorũ religionem polluiſſent, Elei in ærarios retulerunt. Ex eo ſignorum numero duo fecit Cleon Sicyonius: quatuor qui reliqua finxerint nõ habeo dicere. Tertium aut quartum ſignum ubi præterieris, elogia cæteris adſcripta uideas elegiacis uerſibus. Monet eorum primum, pedum pernicitate, & reliqui corporis robore Olympicã palmam acquiri. Altera inſcriptio ſignũ erectum deo teſtatur, ut ſimul & honos Ioui haberetur, & cum Eleorum religione ad Athletarum fraudem coërcendam terror coniungeretur. E duabus reliquis altera Eleos ornat, atq; illis magnæ in primis laudi, quòd pugiles notarint, tribuit: altera edicit ſigna illa documento Græcis cunctis eſſe, non debere cuiquã Olympicæ uictoriæ ſpem in pecunia eſſe repoſitam. Poſt Eupolum memoriæ proditum eſt,

runt, memoria commendata eſt, diuerſa propemodum com peri: Stratonem ſcilicet Alexandrinum centeſima ſeptuageſima octaua Olympiade, eodem die de pancratio et lucta co ronatum. Alexandreā quidem in Canopico Nili oſtio Alexander Philippi filius condidit. Fuiſſe tamen & antè nō magnum eodem in loco Aegyptiorū oppidū Rhacotin, memoriæ proditum eſt. Ante Stratonem hunc, oleaſtri coronā de pancratio unā, de lucta uerò tres, uiri cepiſſe perhibentur totidem poſt eum. De ſuperioribus unus Eleus fuit, ex ea Græcia quæ trans Aenum eſt: Rhodius Ariſtomenes alter: è Magnetibus qui ſunt ad Lethæū Protophanes tertius: è poſterioribus Marion Protophanis ciuis, et Stratonicenſis Ariſteas. Stratonice ipſa eodem nomine urbs & regio, Chryſaoris appellata eſt. Poſtremus Nicoſtratus fuit è maritima Cilicia, etſi nihil ei cum Cilicibus præter nomē cōmune fuit. Hunc enim Nicoſtratū adhuc penè infantem, neq; obſcuro loco natum, è Prymneſſo, quæ Phrygiæ urbs eſt, prædones abduxerunt, eumq; ad Aegeas, incertum cui, uendiderunt. Cùm iam adoleuiſſet, uiſus eſt per ſomnium uidere ante fulcra lecti in quo cubabat, humi ſtratū leonem. Poſt id uiſum multas de pancratio & lucta palmas ex Olympia abſtulit. In ærarios certè et alios poſtea, & Alexandrinum pugilem, Elei retulerunt Olympiade ducenteſima ac duodeuiceſima: nomen ei fuit Apollonio, cognomen (patriū enim Aegyptijs fuit cognomina habere) Rhanti. Damnatus hic primus Aegyptiorum eſt ab Eleis, non ob datam aut captam pecuniā, ſed ob aliam huiuſmodi noxam. Ludorum ſtatos dies non obijt, neque multam deprecantem ſubleuauit, quòd ad Cycladas uento ſe detentum fuiſſe cauſatus eſt. Arguit enim eam purgationem Heraclides, & ipſe Alexandrinus, cùm

cùm docuiſſet hominem in cogenda ex Ioniæ ludis pecunia occupatum fuiſſe. Apollonium igitur Elei, & alios, ſi qui fortè ad condictam diem non adfuiſſent, exegerunt, Heraclidi coronam intacto partam puluere decreuerunt. Id cùm grauiter tuliſſet Apollonius, ut fortè ad pugilatum erat loris illigatus, in Heraclidem iam coronam capientem inuaſit, & hominem ad ludorũ præſides confugientem eſt perſecutus: quæ illi uecordia magno utiq; ſtetit. Iam duo alia ſigna, noſtræ ætatis opera ſunt. Sexta enim & uiceſima ſupra ducenteſimam Olympiade, pugiles deprehenſi ſunt de una & eadem palma inter ſe pacta pecunia ſocietatem coiſſe: ob eam rem multa illis impoſita. Horũ ſimulachrorũ ad læuã alterũ eſt, alterũ ad dexterã, quà aditus ad ſtadiũ patet. Pugilibus nomen altero Didas fuit, et ei qui pecuniam dedit Garapammon, ex eadem ſanè tribu Aegypti Arſinoite. Per hercule mirum fuit, exteros homines nihil Iouis numen ueritos, affines huiuſmodi corruptelis fuiſſe. Sed in miraculo poſuerim maiore, Eleos ipſos in eandem prolapſos fraudem. Secunda enim & nonageſima ſupra centeſimam Olympiade, cùm iniſſet luctæ certamen Damonici Elei filius Polyctor, & Soſandri Smyrnæi filius patri cognomen, cuperet uerò impenſius Damonicus filium ſuum uictorem diſcedere, Soſandrum dicitur pecunia data adduxiſſe ut facilè ſe uinci pateretur. Eius rei indignitate commoti iudices, multam ipſis parentibus irrogarunt: ab illis enim noxa cõmiſſa fuerat. Ex ea pecunia ſigna duo erecta ſunt, alterũ in Eleorum gymnaſio, in porticu quæ in Alti eſt alterũ. Appellatur ea porticus Pœcile, id eſt, Varia, à picturæ ſcilicet uarietate, qua olim parietes exornati fuerant. Eandem multi Echûs nominant, quòd uocis emiſſæ imago ſepties & ſæpius reciprocat. Signum etiam

Ioui de Sarapionis Pancratiaſtæ multa dicatum eſt. Damnatum *timiditatis tradunt, quòd prima poſt ducenteſimam* Olympiade, *pridie quàm pancratium committeretur, aduerſariorum metu ſolum uerterit: id uni illi accidiſſe, et nemini præter eum, ſiue Aegyptius, ſiue è quauis terra fuerit, affirmant. Atq; ea quidẽ quæ iam enumeraui ſigna, quibus antè dictũ eſt nominibus dicata fuere. Sunt & alia partim publico, partim uerò priuato ære dedicata. Ad aram uerò quæ in* Alti *eſt, prope aditũ eum qui ad ſtadiũ ducit, nihil immolãt* Elei: *tubicines tantùm & præcones priſco ritu de palma certant.* In *proximo ſuggeſtu ſignum* Iouis *ex ære poſitũ eſt altitudine cubitûm ſex: utraq; manu fulmen tenet: dedicarunt* Cynætahenſes. *Torquatum uerò* Iouem *impuberem* Phliaſius Cleolas *dicauit.* Iam *uerò iuxta ædem quod uocãt* Hippodamidum, *è lapide ſuggeſtus eſt, hemicycli forma: in medio* Iupiter, *et* Ioui *pro liberûm ſalute ſupplicãtes* Thetis *et* Aurora. *Qui uerò in utroq; ſemicirculi extremo quaſi cornu accincti ad pugnam ſunt, alter* Achilles, Memnon *alter eſt. Contrà exin è regione ſtant* Barbari Græcis, *iam ſingulari cõgreſſuri certamine,* Vlyſſes Heleno, *quòd hi ſapientiæ laude in ſuo uterq; exercitu præſtitere.* Iam *propter uetus odium* Agamemnoni Paris, Diomedi Aeneas, Aiaci Telamonis *filio* Deiphobus: *opera hæc fuere* Lycij Myronis *filij. Dedicarunt* Ionij *maris accolæ,* Apolloniatæ, *ſicuti priſcis literis inciſi elegi ad* Iouis *pedes indicant:*

Vrbis Apollineæ ſunt hæc monumenta, comatus
Phœbus quam ad pontum condidit Ionium.
Illa manus ueteris quæ cepit Abantidos oras,
E Thronio uotam pertulit huc decimam.

Abantis *quidem regio, & in ea* Thronium *oppidũ in* Tho-

ſprotide Epiri fuere, ad montes Ceraunios. Diſtecta enim tempeſtate, cùm Græci ab Ilio redirent, claſſe Locri Boagrij fluminis accolæ, è Thronio, & Abantes ex Eubœa, octonis utrique nauibus ad Ceraunios montes delati ſunt: ibi cùm conſediſſent, & oppidum Thronium condidere, & agrum intra certos fines cõmunem utriq; genti, uno nomine Abantidem regionem appellarunt. Pulſi deinde ſunt finitimorum Apolloniatarum bello: ſucceſsiſſe in eorum locum Apolloniam è Corcyra deductã aiunt: eius nonnulli prædæ participes fuiſſe dicunt Corinthios. Paululum hinc progreſsis, in conſpectu Iupiter eſt ad orientem Solem conuerſus, altera manu auem, fulmen altera tenens: impoſita eſt corona capiti è uernis floribus. Fuit hoc Metapontinorũ donum, Ariſtomi uerò Aeginetæ opus: incertum ſanè mihi quis Ariſtomi magiſter fuerit. Dedicarunt autem Phliaſij Iouem, & Aſopi filias, Aſopum etiam ipſum. Ea ſigna ita diſpoſita ſunt: prima omnium eſt Nemea ſororũ natu maxima: poſt eam Iupiter Aeginã prenſans: aſsiſtit Aeginæ Harpinna, cum qua Mars, uti Eliorum & Phliaſiorum ſermone proditum eſt, conſuetudinem habuit, & ex ea genuit Oenomaum, qui Piſæ regnauit: proxima illi eſt Corcyra, & deinceps Thebe, omniũ poſtremus Aſopus. Corcyram quidem à Neptuno cognitam tradunt. Verſibus Pindarus quædam mandauit de Thebe & Ioue. Leontini quidam priuata pecunia Iouem erexerũt ſeptem cubitûm magnitudine: læua aquilam, dextera iaculum præfert, ex Poëtarum ſcilicet deſcriptione. Fuere Leontini illi, Hippagoras, Phrynon, et Aeneſidemus: & hunc quidem Aeneſidemum alium ab eo arbitror fuiſſe, qui tyrannidem in Leontinis adeptus eſt. Vbi uiam prætererieris quæ in curiã ducit, Iupiter ſtat ſine ulla inſcriptione. Ad ſeptentriones

nes

nes uerò cùm flexeris, Iouis item ſignũ uideas ad ortum Solis conuerſum: dedicarũt quicunq; ad Platæas è Græciæ populis contra Mardonium Perſarum ducem ſteterunt. Inciſa uerò ſunt in ima pila earum ciuitatum nomina, quarum forti opera eo prælio proſperè pugnatum eſt. Primi omnium Lacedæmonij, poſt eos Athenienſes: adſcripti his ordine ſunt, Corinthij, Sicyonij, Aeginetæ: tum uerò Megarenſes, & Epidaurij: ex Arcadũ cõcilio Tegeatæ, & Orchomenij: ad eos Phliaſij, Troezenij, Hermionenſes: ex Argiuorum finibus Tirynthij: ſoliq; è Bœotis Platæenſes: ex Argiuorum urbibus Mycenæi: ex inſulis Chij, Mileſij, Ambraciotæ: è Theſprotide continente Tenij, & Lepreatæ: & hi quidem poſtremi ſoli è Triphylia. Ex Aegio autem & Cycladibus non Tenij ſoli, ſed Naxij etiam, & Cythnij. Ab Eubœa Styrenſes: his additi ſunt Elei, Potideatæ, Anactorij: extremi omnium Chalcidenſes Euripi accolæ. Ex his omnibus urbibus hæ propémodum ita deletæ ſunt, ut earum nullã extet. Nam Mycenas exciderũt Argiui poſt eiectos è Græcia Perſas. Ambraciotas & Anactorios Corinthiorũ colonias, Cæſar Auguſtus Nicopolin ad Actium promontorium deduxit: nam Potidæatas bis domo ſua pulſos, à Philippo Amyntæ filio ſemel, & antè ab Athenienſibus, reſtituit quidem Caſſander, ſed quæ Potidæa fuit, amiſſo uetere nomine, Caſſandrea nuncupata eſt. Signum hoc cõmuni impenſa harum ciuitatum in Olympia erectum, fecit Anaxagoras Aegineta, cuius tamen ab ijs, qui res Platæenſium conſcripſere, nulla omnino facta mentio eſt. Ante hoc Iouis ſignum eſt ænea columna, in qua fœdus inciſum Athenienſium cum Lacedæmonijs in triginta annos: fecerunt Athenienſes fœdus hoc redacta iterum in ditionem Eubœa, anno tertio Olym-

piadis eius, in qua Criſon Himeræus è ſtadio uictor diſceßit. Sancitum in conditionibus illis eſt, eius pacis cõmunionem ad Argiuorum ciuitatem nihil pertinere, priuatim illis cum Athenienſibus liciturum amicitiam iungere. Aliud etiam Iouis poſitũ eſt ſignum non longè à Cleoſthenis curru, de quo poſterius nobis erit ſermo: dedicarũt Megarenſes: fecerunt Thylacus & Oræthus fratres, eorumq; filij: quibus uerò illi temporibus fuerint, aut à quibus artem didicerint, mihi ſanè ignotum eſt. Prope Gelonis currũ, ſtat Iupiter priſci admodum operis ſceptrum tenens: Hyblæorũ donum eſſe aiunt. Fuere Hyblæ Siciliæ ciuitates duæ, cognomine Gereatis una, altera Maior. Retinent hac etiamnũ ætate priſca nomina, & earũ altera in agro Catinenſi planè deſerta eſt, altera in ijſdem finibus ad uici formã redacta. In hac fanũ eſt Siculorum celebritate religioſum, deæ, quam Hyblæam uocant, dicatum. Ab hoc ego populo ſignum arbitror in Olympiam deportatum: nam oſtentorum & ſomniorũ interpretes eſſe, & cæteros qui in Sicilia ſunt Barbaros, deorum cæremonijs colendis anteire, Philiſtus Archomenidis filius memoriæ prodidit. Prope Hyblæorum donum ſuggeſtus lapideus eſt, & ſuper eo Iouis coloſſus, altitudinis pedum (quantũ conijcere poſſum) decem & octo. Eum coloſſum qui dederint, quiq; fecerint, inſcripti elegi declarant:

Hoc ſignum multis ex urbibus expugnatis
Clitorij decimas conſtituere Deo,
Artifices Teletas, frater germanus Ariſton.

Eſſe uerò hos Lacones non omnibus omnino Græcis notum eſſe exiſtimo. De illis quidem habẽt Elei omnino nihil quod dicant, ſed plura multò ut de ſuis ciuibus Lacedæmonij. Extra ara eſt Laœtæ Iouis, Laœtæ etiam (quod eſt ac ſi Ple-

beij dixeris) Neptuni. *Adiuncta eſt aræ baſis, quæ* Iouem *æneum ſuſtinet* Corinthiorum *donum*, Muſi *opus, quiſquis* Muſus *is fuerit.* Inde *à curia ad magnũ templum contendenti, ad læuam ſignum eſt* Iouis *cum corona è floribus, dextera fulmen tenet: fuit hoc* Aſcari *opus, quẽ docuit* Agelades Sicyonius. A Theſſalis *ferunt dedicatum, ſuſcepto contra* Phocenſes *bello, ac de* Phocenſium *quidem manubijs.* Bellum *hoc aliud ab eo fuit, quod Sacrum nuncuparunt: geſtum enim eſt antequàm* Xerxes *in* Græciam *tranſmitteret.* Non *procul hinc* Iupiter *poſitus eſt, quem ex uoto, cùm ſuperiores è prælio diſceßiſſent, dedicaſſe* Pſophidios *teſtatur inſcriptio.* Dextera *in parte magni templi ad Solis ortum* Iupiter *eſt altitudinis pedum* XII. *quem dicatum tradunt à* Lacedæmonijs, *cùm rebellantes* Meſſenios *altero bello uindicare eſſent adorti.* Adſcripti *elegi ſunt:*

Hoc *ſate* Saturno *ſignum cape* Iuppiter *alme,*
Auxiliumq́; *fauens fer* Lacedæmonijs.

Romanorum *omnino nullus, neq; plebeius, neq; patritius, ante* L. Mummium, *quod ego ſciam, in* Græcorum *templis donum ullum ponendum curauit.* Primus Mummius *de manubijs* Achæorum Iouem *in* Olympia *æneum dedicauit ad læuam eius, qui à* Lacedæmonijs *dedicatus fuerat, proximè ad primam templi columnã.* Quod *uerò maximum omniũ æneorum ſignorũ, quæ in* Alti *poſita ſunt,* Iouis *eſt coloſſus ab ipſis* Eleis *confecto* Arcadico *bello dedicatus, altitudinis pedum ſeptem & uiginti.* Iuxta *uerò* Pelopis *ædem pila eſt modicè à ſolo eminens: ſuper ea paruũ eſt* Iouis *ſimulachrũ, altera manu prolata.* Ex *aduerſo alia ſunt perpetua ſerie collocata ſigna: inter ea* Iouis, & Ganymedis. Homerus *quidem carminibus mandauit ſuis, raptũ* Ganymedẽ *à dis* Ioui

ut pocula miniſtraret: pro eo uerò equos, Troianis datos: dedicauit Gnothis Theſſalus*: fecit* Ariſtocles *diſcipulus, & filius* Cleœtæ. *Alius ibidem* Iupiter *eſt impuber inter* Smicythi *dona.* Quis *hic* Smicythus *fuerit, unde oriundus, & quã ob cauſam multa in* Olympia *dona poſuerit, ſuo loco exponemus. Longius hinc rectà progreßis aliud eſt* Iouis *impuberis ſignum: dedicarunt* Elaitæ *qui à* Caico *digreßi,* Aeolidem *primi in ora maritima tenuerunt. Aliud proximo loco poſitum eſt* Ioui *ſignum: inſcriptio teſtatur* Cnidios Cherroneſi *incolas de hoſtium ſpolijs dedicaſſe.* Ioui *hinc* Pelopem, *illinc* Alpheum *amnem appoſuerũt. Et* Cnidiorum *quidem urbis pars maxima in cõtinenti* Cariæ *terra condita eſt, & ibi ſanè multa ſunt memoratu digna.* Quæ *uerò* Cherroneſus *dicitur, inſula eſt ponte continenti terræ cõiuncta: illinc* Ioui *donum hoc in* Olympiam *miſſum, ſicuti &* Epheſij Coreſi *inquilini, cõmuni* Epheſiorum *nomine ſignum poſuere. Eſt etiam ad* Altis *murum, appoſitus* Iupiter *ad* Solis *occaſum conuerſus, ſine inſcriptione: uulgauit fama à* Mummio *de* Achaicis *manubijs dicatum. In curia* Iouis *eſt ſignum ſpecie perfidioſis hominibus quãmaximè formidanda,* Horcius *ei cognomen, id eſt, iuriſiurandi uindex, idem fortaſſe quem* Romani Dium Fidium *appellarunt. Vtraq; manu fulmen tenet. Solenne uerò* Athletis *omnibus, eorumq; parentibus, fratribus, gymnaſij magiſtris, ſuper execti ſuis teſtibus uerbis conceptis deierare, nihil ſe fraudis facturos quo minus* Olympici *ludi ritè fiant.* Athletæ *quidem ipſi hoc amplius iurant, ſe decem perpetuos menſes in ludicrã exercitationem propoſiti certaminis conſumpſiſſe. Iurant præterea qui uel de uiris, uel de pullis equorũ in certamẽ prodeuntiũ pronunciaturi ſunt, ob rem iudicandam pecuniã ſe nullam captu-*

capturos: qua uerò re adducti quemuis aut probarint, aut improbarint, ſe non eſſe in uulgus prolaturos. Iam *uerò ſus ille confecto iureiurando cuinam ſit uſui, percontari in mentem non uenit. Veteri quidem religione ſancitum ſcio, ne uictima ueſcerentur homines ſuper qua iuſiurandum conceptum fuiſſet.* Id Homerus *teſtatur, cùm excectum illum ſuem, ſuper quo* Agamemnon *iuſiurandum concepit,* Briſeidem *ſe non attigiſſe, in mare à* Talthybio *feciali abiectum dixit:*

Hæc ait, atq; ſuis præduro guttura ferro
Diſſecuit, quem Talthybius *contorſit in undas*
Piſcibus æquoreis eſcam.

Atq; hoc quidem priſci fuit ritus inſtitutum. Ante Iouis *pedes ænea tabula eſt, in qua inciſi elegi ſunt ad peierantium terrorē compoſiti. Enumerauimus quā accuratiſſimè quæcunq;* Ioui *intra* Altin *ſigna poſita ſunt.* Nam *quod prope maximū templum* Corinthij *dedicarunt, non priſci illi quidem, ſed quos* Cæſar *deduxit coloniam, is eſt* Alexander Philippi *filius* Iouis *ornatu.* Iam *uerò & eas perſequemur imagines quæ* Iouis *nō ſunt ſimulachra: nam quæ nō religionis cauſa, ſed ad homines honeſtandos poſitæ ſunt ſtatuæ, eas recenſebimus in* Athletarū *cōmemoratione.* Cùm Mamertini *freti accolæ ad feſtos ludorum dies, quos* Rhegini *ſolenni ritu agitabāt, pueros trigintaquinq;, cumq; his chori magiſtrū & tibicinem miſiſſent, naue fracta, ad unū omnes periere.* Eſt *enim mare illud fœdiſſimis tempeſtatibus infame: ſiquidem uenti è diuerſa ſuperi inferiq; maris regione (quæ maria* Adriacum & Tyrrhenum *uocant) ſpirantes ab alto undas cient, & procellis infeſtiſſimas reddunt.* Quin *& cùm uenti poſuere, ea eſt influentis & refluentis pelagi concitatio, tam grauis belluarum innatantium odor, ut naufragis*

nulla ſalutis reliqua fiat ſpes. Quòd ſi nauē hoc in freto Vlyſſes fregiſſet, non ille quidem in Italiā incolumis enataſſet. Sed nimirum deorum lenitas aliquam in aduerſis plerunq; ſpem ſalutis reliquam facit. Mamertini puerorū interitum luxere, & cùm alios illis honores habuere, & ſtatuam ex ære ſuam ſingulis poſuere, cumq; ijs unà chori magiſtro & tibicini. Vetus inſcriptio donum eſſe Mamertinorum indicat freti accolarum. Interiecto dein tempore, Hippias, qui inter Græcos ſapientiæ laude claruit, elegis titulos earum ſtatuarum fecit. Sunt illæ quidem Callonis opus. Eſt ad Pachynum Siciliæ promontorium, quod in Africam & ad Auſtros conuerſum eſt, Motye urbs: eam Afri Pœnis permiſti tenent. Ea ciuitate bello ſubacta Agrigentini de manubijs puerorum æneas poſuere ſtatuas, dexteras tendentium, & uota ſe Ioui nuncupare ſignificantiū. Adhærent ſtatuæ illæ Altis muris: Calamidis opus eſſe & ipſe ſuſpicor, & hominum ſermone uulgatū eſt. Siciliam quidem gentes hæ propemodum incolunt, Sicani, Siculi, Phryges: & illi quidem ex Italia, Phryges uerò à Scamandro & Troia tranſmiſere. At Libyes & Pœnos una & eadem claſſe in coloniam deduxere Carthaginenſes. atq; hi quidem è Barbaris gentibus Siciliæ inquilini. E Græcis uerò Dorienſes, & Iones, Phocici etiam, & Attici nominis pars non utiq; magna. In eodem uerò Altis muro Agrigentinorum incluſa ſunt dona, & Herculis ſigna duo nuda: ætate puerili unus item ad eius imaginem expreſſus, qui ſagittis in Nemea leonem confecit. Hunc cum leone dicauit Tarentinus Hippotion. Nicodemi alterū opus eſt, alterum uerò Anaxippi Mindeſij dedicatio fuit. In hunc locum ab Eleis deportatū eſt, cùm antè poſitum eſſet in fine eius uiæ quæ in Olympiam ex Elide ducit, & Sacra

dicitur

dicitur uia. Dedicarunt uerò cõmuni impenſa Achaici concilij populi, eorũ ſigna qui ex prouocatione cum Hectore, ſorte ducti, erant congreſſuri: atq; hi quidem haſtis & clypeis armati ante magnum templum ſtant. E regione inſiſtit baſi alteri Neſtor, coniectis in galeã ſortibus: & ſorte quidem nouem exiere, ſed octo duntaxat extant. Nam Vlyſſem (fuit enim & ipſe in eo numero) Nero Romã aſportaſſe dicitur. Vni uerò tantùm, Agamemnoni ſcilicet, nomen adſcriptum eſt, atq; inuerſo quidem ordine à dextera in læuã partem excurrentibus literis. Et is quidem, cuius in ſcuto pro inſigni gallus gallinaceus, Idomeneus eſt Minois nepos, à Paſiphaë Solis filia oriundus. Gallinaceum certè Soli ſacram auem celebrant, quòd cantu Solis reditum nunciet. Inciſi ſunt in baſi elegi:

Signa Ioui hæc olim magno poſuiſtis Achiui,
Quîs genus à diuo Tantalida Pelope.

Opificis nomen in ipſo inſcriptum eſt Idomenei ſcuto:

Præſtans laude operum multorum fecit Onatas,
Cui patria Aegine, cuiq; Micon genitor.

Non longè ab Achæorum dono Hercules eſt cum equeſtri Amazone pro baltheo pugnãs: Euagoras quidem Zanclius poſuit, fecit Cydoniates Ariſtocles. Eſt hic Hercules inter maximè priſca opera numerandus, neq; omnino eius ætatem poßit quiſquam prodere: ſatis conſtat dedicatum antequàm Zancle, quo nomine ætate noſtra appellatur, Meſſene uocaretur. Dedicarunt & Thaſij, qui è Tyro & reliqua Phœnice oriundi, ad Europam quærendam cum Thaſo Agenoris filio claſſe profecti ſunt, Herculem in Olympia æneũ, ſuper ænea baſi. Eius magnitudo eſt cubitũm x. dextera clauã, arcum læua tenet. Et Thaſi quidem audiui Tyrium eſſe Her-

culem, quem Thaſij ab initio eſſent uenerati: ſedenim cùm ſe illi Græcis adiunxiſſent, cœptos ab ijs Amphitryonis etiã filio honores haberi. Adſcripti ſunt Thaſiorum dono elegi:

Signa Micone ſatus hæc eſt fabricatus Onatas,
Contingit Aeginæ cui coluiſſe domos.

Onatam hunc Aeginetam, cuius hæc opera fuere, nulli ſecundum ducimus eorũ, qui à Dædalo ex Attica officina nobiles artifices extitere. E Dorienſibus Meſſenij, qui Naupactum ab Athenienſibus acceptam tenuere, Victoriæ ſignum ſuper pila dedicarunt: opus hoc fuit Mendæi Pæonij, de manubijs factum Acarnanũ (ſicuti ego exiſtimo) & Oeniadarum. At Meſſenij ipſi monimentũ eſſe prædicãt rei ad Sphacteriam cum Athenienſibus geſtæ, atq; id eo maximè argumento, quòd hoſtium nomen adſcripturi fuerint, ſi Acarnanes illi, aut Oeniadæ fuiſſent, quorum certè ſimultatem ueriti nõ fuiſſent: at ne Lacedæmonios offenderent, de induſtria inſcriptionẽ miſſam feciſſe. Et Smicythi quidem multa offendi paßim poſita dona. Et poſt Iphiti Elei à Præſide induciarum dea, ἐκεχειρίαν Græci uocant, coronam accipientis imaginem, hæc propemodum perpetuo ordine collocata ſunt, Amphitrite, Neptunus, Veſta, quæ omnia fecit Glaucus Argiuus. Idem uerò Smicythus ad læuum magni templi latus Proſerpinam dedicauit, Venerem, Ganymedem, Dianam: è Poëtis Homerum & Heſiodum: Deos rurſus alios, Aeſculapium, & Hygian: & inter cætera Smicythi dona, Agonis, id eſt, certaminis ipſius tanquam dei ſignũ eſt, halteres portantis. Sunt halteres Athletarum libramenta, circuli oblongiore figura, illa quidem non prorſus in ambitum circunducta: nam qua parte manibus prenſantur, anſulas habent intra quas digiti, uti intra clypeorum lora, immittuntur. hæc

balterum figura eſt. Prope Agonis ſignum eſt Liber Pater, Orpheus Thrax, et Iouis, cuius antè mentionem feci, ſignũ. Sunt hæc omnia Argiui Dionyſij opera. Alia item dedicata à Smicytho memorant, quæ Nero amouerit. Opificum ipſorum Dionyſij & Glauci Argiuorum certi magiſtri non produntur: quo fuerint tempore, ex ipſa Smicythi ætate intelligi poteſt. Smicythum enim Herodotus ſcripſit Anaxilæ Rheginorum tyranni ſeruum, ac deinde quæſtorem fuiſſe, mortuo uerò Anaxila Tegean migraſſe. Teſtantur donorũ inſcriptiones multæ, Chœrum illi patrem, Græcas urbes Rhegium patriam, et Meſſenen, quæ ad fretum eſt, domicilia fuiſſe. Epigrãmata quidem Tegeæ ſunt. Quæ uerò ſuperius enumeraui dona, in Olympia dicitur ex uoto poſuiſſe, liberato filio graui lethalis morbi periculo: qua in parte maiora ſunt Smicythi dona, quæ fecit Argiuus Glaucus. Propè eſt Minerua galeã & ægidem induta, Micodami Mænalij opus, ab Eleis dedicata. Aſsiſtit Mineruæ Victoria, quã Mantinenſes incertum quo bello cõfecto dedicarũt, id enim non indicat inſcriptio: Calamis feciſſe dicitur: alas uerò nõ addidiſſe, exemplar ſecutum ſigni eius priſci, quod Athenis eſt, & Inuolucre nuncupatur. Proximo uerò loco minorib. Smicythi donis, quæ Dionyſius fecit, Herculis poſiti ſunt labores: pugna cum Leone Nemeo, et cum Hydra, Cerberi raptus, apri Erymanthij cædes: hæc omnia in Olympia Heracleotæ dedicarunt euaſtatis finitimis Mariandinorum finibus. Accolæ Ponti ſunt Heracleotæ, Megarenſium & Tanagræorum colonia. E regione horum, quæ iam enumerauimus, donariorũ, alia ſunt continenter poſita ſigna, ad meridiem conuerſa, proximè ad ædem illam, quæ Pelopi dedicata eſt. Inter hæc illa ſpectantur quæ dicauit Phormis Mænа

lius. Hic à Mænalo cùm in Siciliam tranſmiſiſſet, multa dedit bellicæ uirtutis documenta, pluribus expeditionib. partim à Gelone Dinomenis filio, partim uerò à Gelonis fratre Hierone ſuſceptis: quare ad luculentam prouectus fortunã, non hæc duntaxat Olympio Ioui, ſed alia etiam Delphico Apollini dona dicauit. Olympica eius dona ſunt, equi duo, aurigæ totidem: aßiſtit enim ſuus utriq; equo auriga. Alterũ fecit Dionyſius Argiuus, Aegineta Simon alterum. Inciſa eſt in prioris equi latere inſcriptio, uerſu nullo adſtricta: Phormis poſuit Arcas Mænalius, nunc Syracuſanus. Huic equo hippomanes infuſum tradunt magi hominis aſtu, quò eſſet intuentibus miraculo. Magnitudine ille quidẽ et ſpecie inferior eſt equis multis intra Altin poſitis, et deformiorem cauda præciſa reddit: ſed illũ mares equi nõ uere tantũ, ſed planè quauis anni parte appetũt: irrumpentes enim uel effractis uinculis intra Altin, uel è rectorũ manibus elapſi, illũ inuadunt, nihil hercle minus furenter, quàm ſi uiuentẽ pulcherrimam equã gregalem inituri adorirentur. cædunt illis quidẽ ungulæ, non prius tamen deſinunt, hinnitu omnia latè complentes, inſanire, et ueluti rabie quadã incitari, quàm plagis et acriori aliqua ui edomiti ab illo ære abſtrahantur. Aliud certè in Lydia ipſe miraculũ uidi, illud quidẽ à Phormidis equo diuerſum, non tamen magorũ artis expers. Sunt in Lydis, qui Perſici cognomine uocãtur, urbes, Hiero, Cæſaræa, et Hippæpæ. In templo utriuſq; urbis amplißimo cellæ cum aris, ſuper his cinis alio longè colore à uulgari cinere: huc ingreſſus magus, ubi foco lignis impoſitis tiara caput uelarit, implorat cognomen dei quicunq; ille ſit: ex libro enim carmen recitat barbaricũ, lingua planè ignota Græcis: ubi perorauit, ſponte ſua è lignis, nullo igne admoto, puriſſima

emicat

emicat flamma. Sed ut redeat unde huc digreſſa eſt oratio, inter Phormidis donaria ipſius Phormidis ſtatua uiſitur cum hoſte cominus dimicans, uno & item altero, ac tertio. Adſcriptum eſt, pugnantem illum militem Phormin Mænalium eſſe: dedicatum fuiſſe à Syracuſano Lycorta. Satis perſpicuum cuiuis eſſe poteſt, dedicaſſe Lycortam neceſſitudine adductum Phormidis: à Græcis tamen quæ Lycortæ fuerunt dona, Phormidis appellantur. At Mercurius arietem ſub ala portans, galea caput armatus, idemq; amictus chlamyde, & tunica, nihil omnino is ad Phormidis donaria pertinet: Olympio enim Ioui Pheneatæ ex Arcadia illum dedicarunt. Feciſſe Onatam Aeginetam, & cum eo ſimul Callitelem, indicat inſcriptio: fuit autem Onatæ uel diſcipulus, uel filius (uti ego arbitror) Calliteles. Non longè à Pheneatum dono, aliud eſt Mercurij ſignum, caduceum is tenet: teſtatur inſcriptio poſitum à Glaucia Rhegino: opificem fuiſſe Callonem Eleum. Duæ item ex ære boues ibidem ſunt: alteram Corcyræi, Eretrienſes alteram dedicarunt: utraq; Eretrienſis Phileſei opus. Quam ob rem uerò Corcyræi bouem in Olympia unam, & unam item Delphis dedicarint, cùm ad Phocenſium res peruenerit hiſtoria exponemus. Atenim quod de Olympica boue me audire memini, id nempe eſt: Paruulum puerum cùm ſub ea boue ſedens pronus luderet, ſublatum temerè caput tam uehementer æri impegiſſe, ut ex eo uulnere non ita multis pòſt diebus è uita exceſſerit. Elei bouem cædis damnatam extra Altin exportare in animo habebant, ſed Apollinis Delphici oraculo moniti ſunt, ut bouem eo ritu expiarent, quo ſolent Græci inconſultæ cædis fraudem eluere. Eſt ſub platanis circa medium ferè Altis ambitum æneũ trophæũ:

titulus in clypeo inciſus, docet Eleos uictis Lacedæmonijs illud erexiſſe: hæc nempe illa fuit pugna, in qua ille occubuit, cuius cadauer cùm Iunonis templum ſartum tectum curarent, inter tecti faſtigium & lacunar cum armis repertũ eſt. Mendæorum certè, qui ſunt in Thracia, uotum multis uideri poſsit quinquertionis ſtatua. Poſita illa quidem eſt iuxta Eleum Arauchidem, halteres priſcos tenens. In eius femore inſcriptio inciſa,

Mendæi Sipte ſæuo Mauorte ſubacta,
Primitias ſummo hîc me poſuere Ioui.

Conijci poteſt Sipten Thraciæ caſtellum, uel urbem fuiſſe. Mendæi è Græciæ, atque adeo ex Ionia oriundi ſunt. Incolunt maritimam Thraciæ oram ad Aenum urbem.

PAVSANIAE ELIACORVM POSTERIOR, SIVE LIBER SEXTVS.

Poſtulat dehinc ſuſcepti operis ordo, ut poſt uotiuorum donariorum expoſitionem, equos certaminibus nobiles, & Athletas, uel ordinarios etiam homines perſequamur. Et eorum quidem, qui uictores è ludis Olympicis diſceſſere, non omnium poſitæ ſunt ſtatuæ. Nam illos mihi qui uel certantes præclarè ſe geſſerunt, uel uirtutis quouis alio modo ſpecimen aliquod dedere, ſtatuarũ tamen honorem non ſunt conſecuti, prætereundos intelligo: neq; enim Athletas omnes, qui uel in Olympicum ſtadium deſcendêre, quibúsue palma delata eſt, perſequi mihi propoſitum, ſed cùm in reliquis donis, tum uerò maximè in ſtatuis exponendis hæc fuit opera ſumenda.

ſumenda. Quin ex ijs etiã, quibus poſita ſtatua fuit, multos mihi prætermittendos cenſui, cùm ſcirẽ illos nõ uirtute, ſed ſortis fraude oleaſtrum adeptos. Eorum enim tantùm mentio mihi facienda, qui uel merito ſuo, uel hominum opinione cæteris præſtiterunt. Ad dexteram Iunonis templi palæſtrici hominis imago eſt: patria Eleus fuit, Aeſchyli ſocius, prope quem ex Pheneo Arcadiæ Neolaidas eſt Proxeni filius, qui è puerorum pugilatu palmam tulit. Poſt hoc Archidamus Xenij, pueris in palæſtra ſuperatis, ipſe etiam Eleus. horum, quos iam nominaui, imagines fecit Alypus Sicyonius Argiui Naucydis diſcipulus. Sileni uerò filium Cleogenem inſcriptio ex indigenis unum eſſe teſtatur: hunc doſſuario equo de ſuo ipſius grege uiciſſe memorant. Adhæret Cleogeni Dinolochus, Pyrrhusq́; et Troilus Alcinoi filij, quibus eſt itidem ex Elide genus. Non omnibus autem eiuſdem ludicri palma obtigit. Nam Pyrrhus de ludorum præfectura, & equirijs præmia tulit: Troilus bigis integræ ætatis equorum, & pullorum curru uicit, ſecunda ſupra centeſimam Olympiade. Lege uerò poſt Pyrrhi uictoriam cautum ab Eleis eſt, ne quis ex ludorũ præfectis in poſterũ equos in certamen mitteret. Huius fecit ſtatuam Lyſippus. Dinolochi quidem mater per uiſum in quiete uidere ſibi uiſa eſt, filium ſe coronatum in complexum ſuum recepiſſe. Eo ſomnio monitus puer ſtrenuè ſe ad gymnicorum certamina exercuit: cùm autem pueros competitores curſu anteuertiſſet, ei ſtatuam poſuere, quam fecit Cleon Sicyonius. De Cyniſca uerò Archidami filia, eiusq́; genere, & Olympicis palmis omnia ſunt ea in parte explicata, qua in enumerandis Lacedæmoniorum regibus hiſtoriæ operam ſumpſimus. Prope Troili ſtatuam crepido quædam lapidea extat, ſuperq́; ea equorũ

*bigæ,& auriga, ipſius etiam Cyniſcæ ſtatua cum aliquot in eam inſcriptionibus.*Proximi *ſunt* Lacedæmonij *aliquot de inceps poſiti, qui equis uicere.* Horum primus Anaxander *de curuli certamine renũciatus eſt.Teſtatur inſcriptio,*Ana*xandri auum primum omniũ quinquertij coronã cepiſſe. Eſt hic quidem in modũ deo uota nuncupantis ornatus.* Succedit Polycles, *cui* Polycalcho *cognomen fuit: de quadrigis hic coronam accepit:tæniam dextera tenet.Aſſiſtunt puſiones duo,eorum alter trochũ præfert, tæniam alter appetit.* Idem *uerò* Polycles *eodem certamine è* Pythicis,Iſthmicis,et Nemeis *uictor rediјt.* Pancratiaſtæ *uerò, quæ proxima eſt, ſtatuam elaborauit* Lyſippus. *Primus ille quidem ex* Acarnania *palmã pancratij tulit,*Xenarges *ei nomen,* Philandri *dæ filius fuit.* Lacedæmonij *certè poſt irruptionem* Perſarũ *in* Græciã, Græcis *omnibus equos alendi ſtudio præſtitere. Quare præter eos,quorũ ſuperius mentionem feci, hi propémodum è* Spartanis *equis alendis nobilitati, quorum imagines poſt* Acarnanis *effigiem poſitæ ſunt,* Xenarges,Lycinus,Arceſilaus,*&* Arceſilai *filius* Lichas. *Et* Xenarges *quidem* Delphica,*poſt hanc* Argolica *&* Corinthiaca *uictoria claruit.* Lycinus *cùm ad ludos in* Olympiã *pullos adduxiſſet,& eorum unus deterior uiſus eſſet,ad equorũ iam adultorum curationẽ animũ adiecit,& per eos uictoriã eſt adeptus.*Dedicauit *ille quidem in* Olympia *ſtatuas duas, quas* Myron Athenienſis *fecit.* Arceſilao *&* Lichæ *eius filio* Olympiæ *uictoriæ duæ obtigerunt.* Lichas *certè, cùm* Lacedæmonijs *ludorum aditu interdictum eſſet,* Thebani *populi nomine currum introduxit,uictoremq́; aurigã ſua ipſe manu tænia redimiuit:eius temeritatis flagris cæſus,* Aedilibus *pœnas luit.*Et *ea quidem belli inter* Lacedæmonios *et* Eleos

cauſa

cauſa illius extitit,quo bello intra Altin prælium cōmiſſum eſt.Poſitis autem armis hoc in loco ſtatuā Lichas poſuit. Indicant Eleorum *literæ,nō* Lichæ,*ſed* Thebano *populo eam palmā decretam.*Non longè à Licha, *ſtatua poſita eſt* Thraſybulo Eleo *uati, qui ſuam* Mantinenſibus *contra* Agidem Lacedæmoniorū *regem,*Eudamidæ *filiū, operam nauauit, de quo agam pluribus cùm ad* Arcadum *res uenero. Per uatis dexterum humerum feles repit. In proximo canis eſt bipartitò diſſectus nudato iocinore. Vetus eſt,& ab initio inſtituta ex hœdis,agnis,uitulis, aruſpicina.Suē primi omniū* Cyprij *addidere. Cane uerò ad extorū ſignificationes nullæ omnino gentes uſæ ſunt.Peculiarem itaq; credi facilè poteſt caninorum uiſcerum diuinationem ſibi* Thraſybulum *inſtituiſſe.*Vates *qui* Iamidæ *nūcupantur,ab* Iamo *oriundi ſunt, quem* Apollinis *ſatu ortum,& à patre diuinandi peritiā accepiſſe,carmine prodidit* Pindarus. *Prope* Thraſybuli *effigiem* Timoſthenes Eleus *poſitus eſt,qui pueros in ſtadio uicit.*Mileſius *deinde* Antipater,*qui in pugilatu* Clinopatri *filios perculit.*Huius Antipatri *patrē,*Dionyſij Syracuſani *legati ad* Olympiū Iouē *cum muneribus miſsi, pecunia delinitum adduxerunt,ut filium* Syracuſanū *renunciari uellet:at* Antipater *ipſe contemptis tyranni donis,* Mileſium *ſe eſſe, et ex* Ionibus *primùm ſuam in* Olympia *ſtatuam dedicaſſe, elogio teſtatus eſt.* Fecit *eam ſtatuam* Polycletus: Timoſthenis *effigiem elaborauit* Eutychides Sicyonius Lyſippi *diſcipulus.* Hic *idem* Eutychides Syris Orontæ *accolis* Fortunæ *ſignum fecit, quod magna cum religione apud eas gentes colitur.*Proximè *ad* Timoſthenis *ſtatuam,in* Alti Timon *poſitus eſt,et cum eo* Aeſypus *filius tener adhuc equo inſidens, qua ſcilicet ætate equo iniuge uicit.* Timon *quidem de cu-*

ruli certamine uictor renunciatus eſt: eius & filij effigiem fecit Dædalus Sicyonius, qui uictis prælio Laconib. trophæũ Eleis in Alti erectum elaborauit. Poſita etiam eſt Samio pugili ſtatua cum inſcriptione, quæ dicatam teſtatur à Mecone gymnicorum magiſtro: eademq; Samijs in ludicris certaminibus, & naualibus pugnis præ cæteris Ionibus laudem ſummam tribuit. De pugile quidem ipſo nominatim nulla mentio. Poſitus ibidem eſt à Meſſenijs Damiſcus, qui annos natos duodecim, palmam ex Olympicis ludis tulit. Fuit autem ea mihi res haud minus quàm alia quæuis admirationi, quòd eadem fermè fortuna Meſſenijs & patriam, & Olympicorum ludorũ gloriam eripuerit: neq; enim poſtquã è Peloponneſo eiecti ſunt, aut è Sicilia, aut ex Naupacto, præter Leontiſcum & Symmachum freti accolas, quiſquã uictor declaratus eſt, cùm tamen Siculi hos non Meſſenios, ſed Zanclæos priſcos fuiſſe contendant. Vbi primùm in Peloponneſum rediere, priſtinam, hac etiam in parte, quaſi poſtliminio fortunam recepere: ſiquidem uno, poſtea-quàm Meſſene reſtituta eſt, anno, ludos Eleis facientibus, hic ipſe de quo nunc agimus Damiſcus, pueros de ſtadio uicit, et quinq; poſt hanc ei partim Nemeæ, partim uerò Iſthmicæ uictoriæ obtigere. Damiſco proxima eſt uiri neſcio cuius ſtatua, nomen certè inſcriptio non declarat: dedicauit Ptolemæus Lagi filius, qui ſe Macedonem inſcribendum curauit, cùm Aegypti rex eſſet. Chærean Sicyonium pugilem puerum titulus docet adoleſcentulum palmam meruiſſe, Chæremone patre genitum: nominat item ſtatuæ opificem Aſterionem Aeſchyli filium. Poſt Chærean Sophius Meſſenius puer, & Eleus uir Stomius collocati ſunt: in curſu ille pueros anteuertit, hic quinquertij Olympicis ludis unã,

tres

tres Nemeis palmas tulit. Hoc amplius ei inſcriptio tribuit, Eleorum equitatum duxiſſe, & hoſte fuſo trophæa erexiſſe, hoſtium ducem ex prouocatione occidiſſe. Fuiſſe uerò illum ex Sicyone, & Sicyonijs imperaſſe Elei referunt: arma uerò ſe cepiſſe contra Sicyona adductos Thebanorum amicitia, & Bœotiorum tunc auxilia præſtò ſibi fuiſſe. Bellum cum Sicyonijs ab Eleis geſtum exiſtimari poteſt, poſt Lacedæmoniorum Leuctricam cladem. Poſitus deinceps eſt Labax Euphronis filius, pugil è Lepreo Eleorũ. Thraſidis prætereà filius Ariſtodemus, uir palæſtrita, ex ipſa Elide, cui totidem etiam Pythicæ obtigere uictoriæ. Effigiem Ariſtodemi fecit Sicyonij Dædali diſcipulus, & filius Patrocles. Hipponem Eleum, pugilatu pueros uincentem, fecit Democritus Sicyonius, qui ad quintum à ſe retro magiſtrum Atticũ Critian refertur. Ptolichus enim Corcyræus ab ipſo didicit Critia: is Amphionem docuit, cuius diſcipulus fuit Piſon è Calaurea, à quo artem Democritus didicit. Poſitus etiam Cratinus ex Aegira Achaici conuentus ciuitate, qui cùm ſui temporis omnium eſſet formoſiſſimus, luctandi etiam arte longo interuallo omnes uicit. Is pueris in palæſtra deiectis, obtinuit ab Eleis ut ludicræ exercitationis magiſter proximo ſibi loco ſtatueretur: ſtatuã eius fecit Sicyonius Cãtharus Alexide genitus, artẽ ab Eutychide edoctus. Eupolemi Elei imaginem Dædalus idem Sicyonius elaborauit: indicat inſcriptio, uiciſſe in ſtadio ludis Olympicis uiros: è Pythicis uerò coronas duas, unã è Nemeis reportaſſe. De Eupolemo proditus eſt ſermo, cùm ad curriculi metam Aediles tres aſſediſſent, ex ijs duos palmam Eupolemo dediſſe, tertiũ Leonti Ambraciotæ. Leontem eorum utrunq;, quorum ſententia inferior diſceſſerat, cùm ad Olympicum ſenatum prouocaſ-

ſet, ære graui condemnaſſe. Ocbotæ ſtatuā Achæi ex Apollinis Delphici reſponſo poſuere, cui Olympiade ſexta & octogeſima palma de ſtadio eſt adiudicata. Quî uerò Ocbotas potuit in Græcorū acie ad Platæas præliari, quod nonnulli ſcriptū reliquere, cùm Olympiade LXXV. ad Platæas Perſæ duce Mardonio fuſi fuerint? Ea quidē quæ uulgarint hac de re Græci, neceſſe habeo cōmemorare, credere uerò omnia nulla me res cogit. At Ocbotæ eiuſdem caſus nō prætermittam, quo loco Achæorum res perſequar. Antiochi ſtatuam Nicodamus quidem fecit: fuit Antiochus ex Lepreo. Is in omnium membrorum, quod Pancratium appellant, palæſtra, uiros in Olympia ſemel, in Iſthmicis & Nemeis bis eodem certamine ſuperauit. Neq; enim Lepreatas, quo minus ad Iſthmia accederent, quicquam deterrebat, uti Eleos Hyſmone Eleo florente. Prope Antiochū Hyſmoni huic erecta ſtatua eſt. Hic cùm ad quinquertij certamen ueniſſet, Olympicis unam, Nemeis alteram palmā tulit. Ab Iſthmicis certè æquè hic, atq; alij Elei, excluſus eſt. Hic cùm puer adhuc neruorum imbecillitate tentaretur, ad quinquertiū animū adiecit, è qua exercitatione cùm morbum depuliſſet, multas exin ex eo certamine, & inſignes accepit coronas. Statua eius Cleonis opus eſt, & halteres, qui ſalientiū libramenta ſunt, tenet. Secundū Hyſmonē poſitus eſt palæſtrita puer, ex Heræa Arcadū ciuitate Nicoſtratus. Pantias hanc ſtatuā fecit, qui ab Ariſtocle Sicyonio per manus traditā artem ſeptimo eius diſcipulorū gradu accepit. Dicon Callibroti filius quinque è Pythico curriculo, tres ab Iſthmico, quatuor è Nemeis, unā de pueris, duas de uiris ex Olympicis palmas tulit. Atq; ei quidem totidē ſtatuæ, quot uictoriæ fuere, erectæ ſunt in Olympia. Et puer ſanè Caulonates (ſicuti fuit) renunciatus

eſt:

eſt: at uir iam factus Syracuſanus ut nominaretur precio obtinuit. Eſt *Cauloniã in* Italiã *ab Achæis colonia deducta: dux eius coloniæ fuit* Typhon *Aeginenſis.* Bello autẽ à Pyrrho *&* Tarentinis cõtra Romanos *ſuſcepto,multæ* Italiæ *ciuitates à* Pyrrho *aliæ, aliæ uerò à* Romanis *ad uaſtitatẽ & ſolitudinẽ redactæ ſunt.* Inter *eas Caulonia fuit à Campanis deleta,quorũ maximè auxilijs* Romani *nitebãtur.* A Diconis *ſtatua non longè diſtat* Xenophon *Menephyli filius,ab* Aegio *Achiuorum pancratiaſta, &* Epheſius *Pyrilampes in longiore curriculo uictor.* Illũ *fecit* Olympus, *hunc cognomen* Pyrilampes *Sicyone oriundus,Meſſenæ ad* Ithomen *natus.* Lyſandrum *Ariſtocriti Spartanum in* Olympia *poſuerunt Samij,è duobus inſcriptionibus altera id teſtante:*

Supremi Iouis *hæc decora in prædiuite templo*
Publicitus Samij conſtituere uiri.

Hæc qui dedicarint docet. Altera *Lyſandrum ornat inſcriptio:*

Quòd tua Ariſtocritum,& patriam uirtute beaſti,
Lyſander meritis ſtant monimenta tuis.

Ex *quo quidem facilè intelligas, Samios, &* Ionas *reliquos, de una fidelia,uti ipſorũ uerbum eſt, parietes duos dealbaſſe.* Etenim *cùm* Alcibiades *claſſem inſtructam & ornatam* Athenienſium *circa* Ioniam *haberet, Samij ſtatuam ei æneam in* Iunonis *erexerunt. Superatis uerò nauali prælio ad* Aegos *flumen* Athenienſibus, *ijdem Samij* Lyſandro *in* Olympia *ſtatuam poſuere.* Quin *&* Epheſij *in* Dianæ, *Lyſandri,* Eteonici, *Pharacis, & aliorum Spartanorum, minimè clari inter* Græcos *nominis,imagines dedicarunt.* Iam *uerò cõmutata fortuna cùm ad* Cnidon *&* Dorion *montem ab* Athenienſibus *Cononis ductu claſſe uicti fuiſſent* Lacedæmonij, *couſq; Ionum ſtudia in diuerſa abierunt,ut* Cono-

nem ex ære, Timotheum etiam Sami poſitos uideas. Et profectò eadem quouis tempore fuit omnibus gentibus quæ Io*nibus mens, ut hominum ſtudia ad eos qui opibus ac uiribus præſtarent, propenſiora eſſent.* Proxima *eſt* Lyſandri *ſtatuæ effigies* Epheſij *pugilis, qui de puerorũ certamine uictoriam eſt adeptus: nomen ei fuit* Athenæus. *Adſiſtit etiam* So*ſtratus* Sicyonius *nobilis pancratiaſtes, cui cognomẽ fuit* A*crocherſites, quòd aduerſariorũ ſummas manus tam fortiter apprehendebat, ut non prius eos dimitteret, quàm eliſis digitis dolore confectos intelligeret.* Duodecim *ei partim* Nemeorum, *partim uerò* Iſthmiorum *palmæ datæ ſunt,* Py*thicæ duæ,* Olympicæ *tres.* Quartam *certè ſupra centeſimam* Olympiadem, *qua* Soſtratus *primùm coronam cepit, non conſcribunt in ſuis cõmentarijs* Elei: *pro illis enim eius* Olympiadis *autores celebrandæ* Piſæi *fuere.* Prope *Soſtratum poſitus eſt palæſtrita* Sicilienſis Leontiſcus, *è* Meſſana, *quæ ad fretum eſt.* Coronam *is ab* Amphictyonibus *&* E*leis accepit.* Et *in lucta quidam* Leontiſcus *haud alio more quàm* Soſtratus *in pancratio aduerſarios percellebat: neq; enim colluctantes ſternebat, ſed uictoriam ſummis digitis collidendis extorquebat.* Statuam *ei fecit* Pythagoras Rhe*ginus, fingendi peritia ſolers haud minus, quàm quiuis alius: didiciſſe eam artem ferunt à* Clearcho Rhegino, Eucheri *diſcipulo.* Eucherus Corinthius *fuit: is præceptoribus eſt uſus* Syadra *&* Charta Spartanis. *Puer tænia redimitus,* Phi*diæ cauſa, & eximiæ eius in fingendo ſolertiæ, nobis non fuit prætermittendus, quòd ſcilicet neminem alium nouimus, cuius effigiem expreſſerit* Phidias. Satyrus *quidem* E*leus* Silanione *patre genitus, ex* Iamidarum *gente, è* Nemea *quinq;, de pugilatu, duas è* Pythicis *ludis, & ex* Olympicis

totidem

totidem palmas tulit. Eius fecit ſtatuam Athenienſis Silanion. At Polycles fictor, Stadici Athenienſis diſcipulus, Amyntam fecit pancratiaſtem, Hellanici filium. Chilon Achæus Patrenſis Olympicis duabus de lucta uirorum, Delphica una, quatuor Iſthmicis, tribus Nemiacis nobilitatus eſt coronis. Sepulchrum ei publica impenſa Achæi erexere. Et præliãs quidem mortẽ oppetijt. Teſtata res his uerſibus:

Solum lucta uirum bis Olympia, Pythiaq́; ornat,
Ter Nemea, atq́; Iſthmus me quater undiſonus
Chilonem, patria eſt Paræ, uirtutis Achiui
Cæſum acie memores hoc poſuere loco.

Hæc quidem inſcriptio eſt. Quòd ſi quo bello ceciderit, ex ætate Lyſippi, qui ſtatuam eius fecit, coniectandum eſt, uel ad Chæroneam in acie ſtetit cum Achæis omnibus, uel ſolus præ cunctis Achæis prælio ei interfuit, quod ad Lamiam in Theſſalia cum Antipatri Macedonum regis exercitu cõmiſſum eſt. Poſt Chilonẽ duæ deinceps ſtatuæ erectæ, Molpioni una, quem ab Eleis coronam cepiſſe teſtatur inſcriptio. Alterius nullus eſt titulus, ſed eam Ariſtotelis eſſe memorãt Stagiritæ è Thracia, ſiue diſcipulus ei, ſiue miles quiſpiam, gratia apud Antipatrum florenti, & antè apud Alexandrum, honorẽ hunc habuerit. Sodamas quidem ex Aſſo, in Troade ad Idan montem, primus Aeolenſium pueros in Olympico ſtadio uicit. Prope Sodaman Archidamo Lacedæmoniorum regi, Ageſilai filio, ſtatua poſita eſt. Ante hunc nulli cuiquam extra fines ſtatuam à Lacedæmonijs erectam comperi. Archidamo uerò, & ob alia merita, & mortis cauſa ſtatuam in Olympia dedicandam cenſuerunt, quòd & inter Barbaros occubuit, & unus ex omnibus Spartanorum regibus ſepulturæ honore caruit: quod ipſum plenius à me in

cõmentario de rebus Laconicis *expoſitum eſt.* Euanthi *Cyziceno pugili palma una euenit* Olympica *in uirorum certamine, in puerorũ* Nemiaca *&* Iſthmica. *Iuxta* Euantheri *uir eſt equorum ſtudioſus, & puella currus conſcendens: uiro* Lampo *nomen: patria ei Macedoniæ ciuitatum recentiſsima, cui à* Philippo *Amyntæ filio nomen.* Cyniſco *è* Mantinea *puero pugili ſtatuam* Polycletus *fecit.* Ergoteles *quidem* Philanoris *filius qui duas longioris curriculi in* Olympia, *totidem in* Iſthmicis, Pythicis, Nemeis *palmas eſt adeptus, non* Himeræus *fuit, quod inſcriptio indicat, ſed Cretenſis è* Gnoſſo, *unde ſeditione pulſus, ab* Himeræis, *ad quos profugerat, eſt in ciuitatẽ receptus, & alijs item honoribus affectus: quare meritò uictor* Himeræus *adſcribitur. Iam uerò qui è celſa pila eminet, quem* Lyſippus *fecit, is omnium hominum, heroibus, & ſi qua fuit alia hominum ante heroas natio, exceptis, omnium certè ætatis noſtræ hominum ſtatura corporis maximus fuit,* Polydamas Niciæ *filius, cuius patria* Scotuſſa *planè deleta eſt:* Alexander *enim* Pheræorũ *tyrannus fœderibus, quibus erat cum illo coniuncta, uiolatis, de improuiſo urbem cepit, factaq; in theatrũ irruptione, quò habendæ cõcionis cauſa cõuenerant natu maiores, circundatisq; cetratis & ſagittarijs, omnes ad unum uti iaculis configerentur imperauit: idemq; puberes, quotquot eſſent trucidandos curauit, fœminas & pueros ſub corona uendidit: dè precio mercenario militi ſtipendium dedit.* Oppreſsit *exitium hoc* Scotuſſæos Phraſycæde *ſummũ* Athenis *magiſtratum gerente, alterius & centeſimæ* Olympiadis, *qua ſecundùm palmã* Damon Thurius *tulit, anno ſecundo.* Rurſus *uerò cùm ſua* Græcos *uniuerſos fortuna, altera iam clade fractos,* Macedonum *armis perculiſſet,* Scotuſſæos *ad* extre-

extremã imbecillitatẽ redactos, quos Alexandri crudelitas reliquos fecerat, belli metus eiecit. Fuerũt & alij quidem maximè illuſtres de pancratio uictorijs, uerùm ad Polydamantis titulos peculiaris quædam acceßit fortitudinis gloria, cuius iam exempla aliquot referam. Montana Thraciæ regio, quæ intra Neſtum eſt, qui fluuius Abderitarũ fines præterlabitur, & alias immanes belluas, & Leones alit. Tam uerò multi illic gignuntur, ut in Xerxis camelos, qui cõmeatus conuectabant, impetu facto, magnam eorũ ſtragem fecerint. Errant hi plerunq; per ſubiacentem Olympo monti agrum, eius enim montis latus alterũ in Macedoniã, in Theſſaliam alterum, & quem antè diximus amnem, conuerſum eſt. In hoc ipſo monte Polydamas prorſus inermis, ingentẽ & præferocẽ leonem confecit, cùm in hoc ſe periculũ Herculis incenſus æmulatione dimiſiſſet: illum enim ad Nemean leonem ſtrauiſſe, fama uulgauit. Alterũ edidit eximiæ fortitudinis miraculũ: apprehenſum è grege medio maximũ & ferociſſimũ taurum, pedibus poſterioribus reſilientẽ & contranitentẽ, tam obnixè detinuit, ut uix, & relictis quidem ungulis effugere potuerit. Aiunt eundem Polydamantẽ incitante equos auriga, altera tantùm manu retractos à tergo currus ſiſtere ſolitũ. Hac fama impulſus Darius Artaxerxis ex pallaca filius, is qui multitudinis Perſarũ ſtudijs fretus Iſogæum legitimũ Artaxerxis filiũ regno expulit, Polydamantem magnis per legatos donis & promiſsis inuitatũ Suſa ad ſe euocauit. Quô cùm ueniſſet, unus ex prouocatione tris de cohorte regia, qui immortales uocabantur, occîdit. Quæ cõmemoraui facinora, partim in ſtatuæ baſi ſpectantur, partim uerò inſcriptione teſtante cognoſcuntur. Atenim Polydamanti uirium ſuarũ fiducia, quam exitio multis eſſe ſo-

lere Homerus carminibus uaticinatus eſt, perniciem attulit. Nam cùm per æſtatem ſpeluncam intraſſet cum aliquot ſocijs in opaco accubiturus, ſors minus æqua ita tulit, ut ſuperior ſpeluncæ pars latè fatiſceret, Polydamas cæteris imminentis periculi metu dilapſis, quaſi unus tantam labem ſuſtinere poſſet, ſublatis manibus montem fulcire conatus, ruinæ mole oppreſſus eſt. Prope Polydamantem ſtatuæ erectæ Athletis tribus: eorum unum, Mantinenſem ſcilicet Protolaum Dialcis filium, qui pueros in pugilatu uicit, Rheginus Pythagoras fecit: Narcydam Damareti filium palæſtritam è Phygalia, Sicyonius Dædalus Callian Athenięſem, Micon pictor, & ipſe Athènienſis. At Mænalium pancratiaſten, Androſthenen Lochæi filium, qui duas tulit uiriles palmas, Mænalius item Nicodamus fecit. Poſt hos Eucles ſtatuæ honorem habet Callianactis filius Rhodius è domo Diagoridarum materno genere, quippe qui è Diagoræ filia genitus eſt. Olympicam hic coronam cepit de uirorũ pugilatu: Naucydes opifex fuit. Palæſtritam uerò puerum Thebanum Polycletus Argius elaborauit, non idem ſanè qui Iunonis ſignũ fecit, ſed omnino alius, qui Naucydæ diſcipulus fuit: huic Phocenſium cõmune ſtatuam poſuit, quòd in Theopompi patris fuit clientela. Idem certè Nicodamus è Mænalo fictor, cuius paulò antè mentionem feci, Damoxenidam pugilem Mænalium finxit. Eſt ibidem Laſtratidæ Elei pueri imago, qui de lucta coronam cepit, cùm idem de impuberibus alterã à Nemeis tuliſſet. Paraballonti quidem Laſtratidæ huius patri, de curriculo iterato palma decreta eſt. Traditus uerò poſteris mos eſt, quò famæ perpetuitati cõſuleretur, ut uictorum nomina in Olympico gymnaſio conſcriberentur. Non prætererim hoc loco quæ de Euthymi pugilis uictorijs

rijs

rijs, deq; reliqua eius gloria memoriæ prodita ſunt. Patria *ei fuit* Locri *in Italia ad* Zephyrium *promontorium, pater* Aſtycles:*etſi ciues eum ſui* Cæcini *amnis ſatu genitũ memorant.*Fluuius *hic* Locrenſem *agrũ à* Rhegino *diuidens, cicadarum miraculo eſt memorabilis: citeriores enim* Locridis *accolæ æquè atq; aliæ omnes argutæ ſunt: at in* Rheginorũ *finibus trans* Cæcinum *nulla eſt omnino cicada uocalis.Huius itaq; amnis* Euthymus *filius fuiſſe dicitur*. Is *cùm ex* Olympia *de pugilatu palmam tuliſſet quarta et ſeptuageſima* Olympiade, *haudquaquã pari euentu ea quæ conſecuta eſt* Olympiade *certauit*. Theagenes *enim* Thaſius *unis ludis pugilatus & pancratij palmam appetens,*Euthymum *quidem cæſtibus uicit*. Oleaginam *uerò de pancratio non accepit, quòd fraude aduerſarium circumueniſſe iudicatus pugna ſuperiore,* Aedilium *ſententia talentũ unum* Ioui,*ſacrã multam,alterum item talentum* Euthymo *ad luendã contumeliæ noxam, iuſſus eſt péndere*. Et in Olympiade *quidem ſexta ſupra ſeptuageſimam* Ioui Theagenes *quod erat imperatũ argenti exoluit:reliquũ multæ recuſans in pugilatũ nõ deſcendit. Illa itaq; & altera deinceps* Olympiade, Euthymo *pugilatus corona decreta.Statua eius* Rhegini Pythagoræ *opus fuit, cumprimis quæ ſpectetur digniſſima. In* Italiam *is cùm tranſmiſiſſet, pugnam cum heroë commiſit: de quo quæ ſunt memoriæ prodita, ſic propemodũ ſe habent.* Vlyſſem *aiunt errantem euerſo iam* Ilio, *tempeſtatibus huc illuc ad alias* Italiæ *ac* Siciliæ *urbes,&* Temeſſam *etiam appulſum, ibi de naualibus ſocijs eius unũ uirgine per uinum uiolata,ab oppidanis contumeliam uindicantibus lapidibus obrutum:* Vlyſſem *quidem nulla factum ulciſcendi inita ratione inde profectũ.* Perempti *uerò ſocij manes finem nullũ*

ſæuiendi in cuiuslibet ætatis homines feciſſe, priuſquàm cogitantes patriam relinquere Temeſſenſes, quò eam peſtẽ effugerent, Apollinis reſponſo heroëm placare iuſsi ſunt, et cõſecrato ei ſolo templũ excitare. Deuouere ei præterea quotannis uirginem unã, quæ ipſis formoſiſsima uiſa eſſet: quod cùm illi ex oraculo facere pergerent, nihil omnino grauius dehinc paſsi ſunt. Fortè uerò cùm ueniſſet Euthymus Temeſſan, eo ipſo tempore quo ſolenne ſacrũ fiebat, re tota cognita, ſe intromitti illum aiunt in templũ poſtulaſſe: ibi uirginem conſpicatũ, primò miſericordia cõmotum, deinde etiam amore incenſum, ac puellam quidem, ſi ab eo ſeruata eſſet, ſe in eius manum conuenturã fidem dediſſe. Armis igitur captis cum genio congreſſum, illum uictum mœnibus et agro exceſsiſſe, ſublatumq; prorſus ex hominum cœtu in mare ſe demerſiſſe. Fuiſſe memorãt, ciuitate uniuerſa fœdiſsima calamitate liberata, maximè illuſtres Euthymi nuptias. De eodem uerò Euthymo & illud ex antiquitatis monimentis accepimus: longiſsimã eum ætatẽ uiuendo impleſſe, neq; omnino mortuum, ſed alio quodam modo hominem eſſe deſiſſe. Habitari hac etiamnum ætate Temeſſan, ex nautici negociatoris oratione cognoui. At ex quodam priſcarum literarum exemplo hæc ad uerbum deſcripſi: Adoleſcentulus Sybaris, Calabrus fluuius, Calyca fons, Heraq; et Temeſſa urbes fuere, in ijs genius, quem eiecit Euthymus: colore fuit is uehementer atro, cætera ſpecie maximè formidabilis: amictus lupi pellis erat, Lybantem nomen eæ literæ produnt. Sed hæc hactenus. Poſt Euthymi ſtatuam, ſuæ ſunt Pytharcho Mantinenſi ſtadij decurſori, & Charmidi poſitæ Eleo pugili, pueriles utriq; palmas adeptis. Hos ubi ſpectaueris, in cõſpectu erunt Rhodij athletæ, Diagoras, et eius omnis

omnis proles perpetua ſerie collocati. Primus eorum eſt Acuſilaus de pugilatu accepta corona. Succedit Dorieus natu minimus, cui de pancratio Olympiadibus continuis tribus uictoria adiudicata eſt. Sed ante Dorieum Damagetus pancratij competitores uicerat. atq; hi quidem fratres fuere, Diagoræ filij. Poſtremus eſt ipſe Diagoras: uirilem is pugilum palmam meruit. Eius ſtatuam elaborauit Callicles Megarenſis, Theocoſmi filius, eius nempe qui ſignum Iouis Megarenſis fecit. Diagoræ etiam è filiabus nepotes Olympiacas coronas de pugilibus meruere: uirilem Eucles, è Callianacte & Callipatera Diagoræ filia genitus: puerilem Piſidorus. Hunc mater ipſa in gymnici magiſtri modum ornata, ad ludos tyrocinio deduxit. Poſitus hic eſt proximè ad aui materni ſtatuã. Diagoram ipſum tradunt Acuſilaum & Damagetum in Olympiam deduxiſſe, quem, uictores iam declarati iuuenes, per mediam & confertiſſimam turbã humeris exportarunt, conijcientibus in eum flores Græcis, & liberûm cauſa cum plauſu beatũ prædicantibus. Duxit maternũ genus Diagoras à Meſſene, atqueadeo ab ipſius Ariſtomenis filia. Eius filius Dorieus præter Olympiacas palmas, octo cõtinuatis uictorijs Iſthmicas, una pauciores è Nemeis abſtulit. Pythicã etiam intacto puluere coronã cepiſſe dicitur. Renũciati ſunt hic & Piſidorus præconis uoce Thurij, quòd illi Rhodo factione pulſi, Thurios in Italiã cõmigraſſent. Verùm Dorieus aliquot pòſt annis Rhodum poſtliminio reuerſus, omnium apertiſſimè Lacedæmoniorũ ſtudia eſt profeſſus, quocirca et proprijs triremib. nauali bello cũ Athenienſibus pugnauit: quo tempore cùm uiuus in poteſtatem hoſtiũ ueniſſet, & Athenas pertractus eſſet, Athenienſes qui antè uehemẽter ira impulſi extrema omnia illi fuerãt

comminati, ſimulatq; in concionem captiui habitu productum conſpexerunt, tanti uiri, cuiuſq; nomen tam inſigni gloria fuiſſet, miſeratione adducti, conuerſa ad manſuetudinem ſententia, incolumem dimiſerũt, cùm tamen multas haberent iuſti in eum odij cauſas. Quæ ad eius uitæ exitũ pertinent, perſcripta ſunt ab Androtione in rerum Atticarum cõmentarijs. Cùm ad Caunum, inquit, eſſet regia claßis, & Rhodij Cononis imperatoris ſuaſu à Lacedæmonijs defectione facta, in regis & Athenienſium amicitiam ueniſſent, Dorieum peregrinantem circa Peloponneſum comprehenſum, ac Spartam in uinculis deductũ, ibiq; à Lacedæmonijs maieſtatis damnatũ, noxam capitali ſupplicio luiſſe. Quòd ſi uera omnino exponit Androtion, uidetur mihi uoluiſſe eiuſdem temeritatis Lacedæmonios arguere, cuius crimine ſe obligarũt Athenienſes, cùm Thraſyllum & collegas, qui ad Arginuſſas claſſe pugnauerant, capite damnarunt. Et Diagoras quidem & eius poſteritas hæc ad ipſorum gloriam quæ cõmemorari poſſent reliquerunt. Sedenim et Alcænetus Lepreates, Theanti filius, cum ſuis liberis Olympicas palmas tulit: pater uirilem è cæſtuum certamine, cùm antè etiam puerilem inter ſecundarios cepiſſet: Hellanicus & Theantus eius filij uictores de puerili pugilatu renuntiati ſunt, ille nona et octogeſima Olympiade, hic proxima poſteriore: & horũ ſuæ ſpectantur in Olympia ſtatuæ. Succedũt .Alcæneti filijs Gnatho Dipenſis ex Mænaliorũ finibus, & Eleus Licimus: uterq; uictor puerili pugilatu ex Olympia diſceßit. Gnathonẽ quidem ualde puerũ palma potitum inſcriptio teſtatur. Hunc effinxit Megarenſis Callicles. Adſiſtit Stymphalius Dromeus, congruenti ſanè cum exercitatione nomine: de longiore enim curriculo Olympicas duas, totidẽ

Pythicas,

Pythicas, Iſthmicas tres, quinq; Nemiacas meruit. Primùm carnibus ueſci cœpiſſe ferũt, cùm Athletæ *ante ipſum caſeo è fiſcellis alerentur.*Hunc Pythagoras,*loco ei proximũ* Pythoclen *quinquertionem* Eleum,Polycletus *expreßit.*Socratis *uerò* Pellenenſis,*à quo pueri curſu ſuperati, & Amertæ Elei,qui pueros itẽ in Olympica palæſtra cõſtrauit, idemq; Pythicis ludis uiros perculit, deinceps poſitas imagines uideas.Superionem qui fecerit nõ traditur:Amertæ effigiẽ fecit* Phradmon Argiuus.Euanoridas *Eleus pueriliʃ luctæ uictoriam adeptus, cùm unus de ludorum præfectis eſſet,ipſe etiam eorum omnium,qui ludis* Olympicis *uicerant,cõmentarium conſcripſit. De pugile uerò* Parrhaſio *ex* Arcadia, *cui nomen* Demarcho, *quæ memoriæ prodita ſunt, præter* Olympicam *uictoriam, fabulatorum hominũ figmenta eſſe arbitror,quòd ſcilicet in* Iouis Lycæi *ſacris in lupum ſe uerteret,ac decimo rurſus anno priſtinam reciperet hominis figuram: quod certè cõmentum ex* Arcadum *ipſorũ ſermone neutiquam ortum uideri poteſt: eius enim rei nulla eſt in ſtatuæ inſcriptione mentio.ea ſic ſe propèmodum habet:*

Dinytta genitus Demarchus,dedicat hancce
Effigiem,Arcadico Parrhaſius genere.

At Eubotas *Cyrenæus, cùm ei* Ammonis *oraculum uictoriam è curriculo prædixiſſet,ſtatuam antè ipſe faciundam ſibi curauit, eamq;, quo die palmam eſt adeptus, dedicauit. Viciſſe eundem etiã curuli certamine ea ipſa* Olympiade *memorant, quam tamen,quòd ludis* Arcades *præfuerint,ratã* Elei *non habent.*Cleonæo *quidem* Timanthi,*qui uirilem coronam pancratij accepit,* Myron Athenienſis: Bacidi *uerò* Troëzenio, *qui luctatores uicit,*Naucydes *ſtatuã fecere.* Et *ipſi quidem* Timanthi *uitæ exitium in hunc modũ cõtigiſſe*

tradunt. Abiunxerat ſe ætatis cauſa ab Athletarũ certaminibus: quò uires tamen priſtinas exercitationibus tueretur, magnum & robuſtum quotidie arcum intendebat. Verùm cùm peregrè profectus conſuetudinem intermiſiſſet, eam, reuerſus domum, uoluit repetere: ſed enim cùm ſenſiſſet non ſatis iam ad arcum tendendum uirium ſibi ſupereſſe, rogo extructo ſeipſum in ignem coniecit: hoc uerò qui fecerit, mea profectò ſententia, inſaniæ potius affinis uideri poßit, quàm laudem fortitudinis aſſequatur. Poſt Bacidis, imagines ſunt Athletarum ex Arcadia, Euthymenes primùm è Mænalo palma accepta de uirili palæſtra, cùm prius etiã de puerili unam cepiſſet: ex Pellana deinde, Azan Philippus de pugilatu inter pueros uictor: tum Critodamus è Clitore, & ipſe è ceſtuum puerili ludicro uictor renunciatus. Horum imagines fecerũt, Euthymenis Alypus, Damocriti Cleon, Philippi Azanis Myron. Nam de Promacho Pelleneo Dryonis filio pancratiaſte tunc erit agendi locus, cùm ad Achæorum res geſtas deducta fuerit oratio. Non longè à Promacho, Timaſitheo Delpho ſtatua poſita eſt, Ageladæ Argiui opus. Duas hic Olympicas de pancratio, tres Pythicas palmas abſtulit. Eiuſdẽ fuit & belli gloria inſignis, tum uirtute, tum felicitate: extremi tamẽ prælij fatalis ei fuit conatus. Cùm enim Iſagoras Athenienſis ipſam Athenarum arcem dominandi cupiditate incitatus occupaſſet, particeps fuit eius facinoris Timaſitheus, quare ijs oppreßis qui ſe in arcem concluſerant, capitis damnatus, Athenienſibus iniuriæ pœnas dedit. Theognetus uerò Aegineta è lucta puerorum palmã eſt adeptus: eius fecit ſtatuam Polichus Aegineta. Magiſter quidem Policho fuit pater Synnoon, illi Ariſtocles Sicyonius Canachi frater, neque multò eo inferior gloria. Cuius autem rei cauſa ſa-

ſa ſatiuæ pinus & punicæ mali fructum Theognetus *præfe rat, non facilè mihi fuerit conijcere: ipſi fortaſſe* Aeginetæ *hac de re habent patrijs aliquid hiſtorijs proditũ. At ſecundùm eius hominis ſtatuam, quem* Elei *idcirco non fuiſſe in uictorum numerũ relatum tradunt, quòd de bigis equarum uictor fuerit renunciatus, ſed poſt illius effigiẽ, luctatori* Mænalio Xenocli *ſtatuam poſuere. Pueros hic in lucta perculit. Adſtat* Alcetus Alcinoi *filius* Arcas, *& ipſe è* Clitore, *pueros in pugilatu ſuperauit. Et huius quidem ſtatuã* Cleon *fecit,* Xenoclis Polycletus. *Proximus loco eſt* Ariſtæus Argiuus: *è longiore is curriculo palmam tulit: pater uerò* Chemon *in lucta uicit. Modico eorũ ſtatuæ diſtant interuallo: illam fecit* Pantias Chius, *qui artem à patre* Soſtrato *didicit,* Chemonis *duæ de nobilibus, meo iudicio, ſunt* Naucydæ *operibus, cùm ſcilicet ea quæ in* Olympia *eſt, tum quæ* Argis Romam *in* Pacis *templum eſt deportata. A* Chemone *in lucta ſtratũ* Tauroſthenen Aeginetã *memorãt: ipſum* Tauroſthenen *inſequenti* Olympiade *omnes deieciſſe, qui in luctæ certamen deſcenderant. Eodem, quo coronatus eſt die, ſpectrũ* Tauroſtheni *perſimile,* Aeginæ *uictoriã eius nunciaſſe dicitur. Iam* Phillen Eleum, *qui pueros in lucta uicit,* Cratinus Spartanus *finxit. Quæ uerò ad* Gelonis *currũ ſpectãt, non longè diſsidentia mihi uideri ſolent ab ijs, quæ alij ante me prodidere. Aiunt enim currum illum* Gelonis, *qui in* Sicilia *tyrannidem obtinuit, donum fuiſſe. Et ſanè teſtatur inſcriptio,* Gelonem Dinomenis *filium* Geloum *dedicaſſe. Atenim uicit hic* Gelon, *de quo nunc ſermo eſt,* Olympiade *tertia ſupra ſeptuageſimam, cùm* Syracuſis Gelon *tyrannus rerũ potitus fuerit,* Olympiadis *ſeptuageſimæ ſecundæ anno ſecundo, quo itidem anno ſummæ rerum præfuit apud* Athe-

nienſes Hybrilides, qua ſcilicet Olympiade uictor diſceßit è ſtadio Tiſicrates Crotoniata: Syracuſanū ſe certè Gelon renunciandum, non Geloū curaſſet. Credi igitur facilè poteſt priuatum hominem hunc Gelonen fuiſſe, cuius pater tyranni patri, ipſe tyranno cognomen fuerit. Glaucias quidem Aegineta, & currum & ſtatuam Gelonis fecit. Superiore Olympiade Cleomeden Aſtypalæenſem, memoriæ proditum, in pugilatu Iccum Epidaurium interemiſſe: eo crimine erepta palma damnatū ab Aedilibus, animi ægritudine mentis impotem factum: inde Aſtypalæan reuerſum, cùm in ludum literarium introiſſet, in quo pueri erant fermè LX. columnā, qua tectum fulciebatur, conuelliſſe: quare oppreſſis ruina pueris, cùm ciues ipſum cum lapidibus inſectarentur, cōfugiſſe in Mineruæ, moxq́; ſe in arcā, quæ in templo erat, concluſiſſe: eius arcæ operculū Aſtypalæenſes cùm diu conati tollere non potuiſſent, poſtremò arcā effregiſſe: Cleomeden neq; uiuum neq; mortuum intus uiſum. Mißis ad oraculum de rei miraculo conſultoribus, his uerſibus reſponſum redditum:

Vltimus heroum Cleomedes Aſtypalenſis,
Quem iam immortalem ſuperûm dignamini honore.

Et Cleomedi inſequentibus deinceps temporibus Aſtypalæenſes tanquā heroi honores habuere. Prope Gelonis currum Philonis erecta ſtatua eſt Aeginetæ Glauciæ opus: in hanc ſatis appoſitos ad rem exprimendam elegos fecit Simonides Leoprepis filius:

Glaucus mi genitor, patria eſt Corcyra, Philoni
Nomen, uinco pugil iam bis Olympiadas.

Stat ibidem Mantinenſis Agametor pueris pugilatu uictis. Præter eos quos iam percenſuimus, uideas & Glaucū Caryſtium,

ſtium,quem ex Anthedone Bœotiorum oriundum à Glauco marino Deo memorant. Pater huic fuit Caryſtius Demylus. In agro uerò colendo à puero uerſatum tradunt: cumq; fortè refixum uomerem manu pro malleo uſus reſtituiſſet in priſtinum aratri locum, patrem cùm id animaduertiſſet, puerum in Olympicum pugilatum deduxiſſe: ubi cùm Glaucus ab aduerſarijs male multaretur, quippe qui prorſus erat artis eius inſcius, cumq; congreſſus cum eo, cui extrema obtigerat ſors certaminis, uulneribus iam propè confectus ſuccumberet, inclamaſſe dicitur pater, Illam fili ab aratro: ea itaq; uoce puerum excitatum, acri plaga aduerſario perculſo mox uictorem iudicatũ. Coronas idem cepiſſe dicitur Pythiorum duas, octonas Nemeorũ & Iſthmiorum. Glauco filius ſtatuam poſuit: opifex fuit Glaucias Aegineta. Vmbratilis pugnæ habitum præ ſe fert, quòd omnium ſuæ ætatis manus ad certam legem mouerit aptiſſimè. Cùm deceſſiſſet à Caryſtijs, in ea inſula ſepultum tradunt, quæ ætate etiam noſtra Glauci dicitur. Demarato Heræenſi Demarati filio & nepotibus, binæ Olympiorum uictoriæ obtigerunt: ipſi quidem Demarato, quinta ſupra LX. Olympiadẽ, qua primùm inductus eſt armaturæ grauis curſus: & ea item quæ conſecuta eſt. Statua eius clypeum more noſtrorum militum præ ſe tenet: galea caput, crura ocreis armata ſunt. Eum in curſu ludicri more, poſteris deinde tẽporibus Elei, & reliqui item Græci ſuſtulerunt. Theopompus deinde Demarati filius, & huius item filius patri cognomen, de quinquertio palmas adepti ſunt. Minori Theopompo de lucta etiam uictoria obtigit. Luctatoris huius à quo facta fuerit ſtatua, planè ignoratur. Patris uerò & aui ſtatuas, Eutelidæ & Chryſothemidis Argiuorum opera fuiſſe teſtatur inſcri-

ptio. A quibus uerò illi didicerint, non docet. Inſcriptionis eius uerſus hi ſunt:

Argiui Eutelidas & Chryſothemis fabricarunt,
Maiores artem quos docuere ſui.

Iccus Nicolaidæ filius Tarentinus, Olympicam coronam de quinquertio cepit, ac deinde inſequentibus Athletarum fuit magiſter, ſui temporis præſtantiſſimus. Poſt Iccũ Pantarces uictis in lucta pueris erectus eſt: fuit hic Phidiæ in amoribus. Proximo loco Cleoſthenis uiri Epidamnij currus, Agelade opus. A tergo poſitus eſt Iouis, quem Græci poſt Platæenſem pugnam dedicarunt. Vicit Cleoſthenes Olympiade ſexageſima ſexta. Neq; uerò ſuam unius, ſed equorũ etiam & aurigæ ſimulachra poſuit. Inſcripta equorum nomina ſunt, Phœnix, & Corax. Et qui eodem ſunt iuncti iugo, ad dexteram Cnacias, ad læuam Samus. Elegi ad currum adſcripti ſunt:

Cleoſthenes poſuit me Pontius ex Epidamno,
Victor equis, palma clarus Olympiaca.

Et omnium quidem Græcorum, qui equorum alendi ſtudio clari fuere, primus Cleoſthenes ſtatuam Olympiæ poſuit. Sunt certè & Miltiadis Athenienſis, & Spartani Euagoræ ſimilia dona: uerùm nõ inſiſtit in curru Euagoras. Iam quæ ac qualia Olympiæ dona Miltiades curauerit ſtatuenda, alio inſtituti operis loco exponetur. Agrũ Epidamnij tenent quem iam antè ab initio: oppidũ non idem quod priſcis temporibus, ſed quod à uetere urbe non longè abeſt, & à conditore Dyrrhachium appellatur. Conſequuntur Athletarũ ſuperiorum ordinem Lycinus Heræenſis, Epicradius Mantinenſis, Tellon Thaſius, et Eleus Agiadas, qui uictores de puerilibus ludicris coronas cepere, Lycinus quidẽ è curſu, reli-

qui de pugilatu. Epicradiū fecit Ptolichus Aegineta, Agiadan Scrambus et ipſe Aegineta. Lycini ſtatua, Cleonis opus. Tellonem quis fecerit, non eſt memoriæ proditum. Proximæ ſunt his ab Eleis Philippo Amyntæ, & Alexandro eius filio ſtatuæ dedicatæ, cumq; his Seleuco & Antigono. eque ſtres aliorum, Antigoni pedeſtris eſt. Ab his regibus nō longè abeſt Timoſthenis filius Theagenes Thaſius, etſi Thaſij Timoſthenis filium Theagenem negant fuiſſe. Nam cùm ſacrificulus Herculis, qui Thaſi colitur, Timoſthenes eſſet, cum uxore eius uiſum quoddam Herculi perſimile congreſſum aiunt: puerum inde natum: hunc cùm annum iam fermè nonum ageret, dum è ludo domum rediret, dei (incertum cuius) æneum ſignum, quod in foro fuerat erectum, eius pulchritudine allectum, è ſede ſua auulſum, & alteri humero impoſitum, ad ſuos deportaſſe: incitata uerò ob id factum in eum multitudine, uirum quendam ſumma inter ciues exiſtimatione, magno iam natu, ſententia ſua puerū minimè occidendum cenſuiſſe: imperaſſe tantùm ut ſignum in priſtinū locum reportaret. Id cùm ille feciſſet, eius fortitudinem longè lateq; per totam Græciam hominum ſermone celebrari cœptam. Et facinora quidem Theagenis maximè illuſtria, quæ ad Olympicos ludos pertinuere, antè expoſuimus: quo loco etiam cōmemorauimus, Euthymo pugile perculſo, quæ mulcta ei ab Eleis fuerit impoſita. Ac tunc quidem palmam tuliſſe de pancratio primus dicitur Dromeus, ſine puluere, patria Mantinenſis. Ea deinde quæ conſecuta eſt Olympiade, ex eodem certamine Theagenes ipſe. Adeptus idem eſt de pugilatu Pythicas coronas tres, Nemiacas nouem, de mixtis pugilatus & de pancratij certaminibus in Iſthmo decē. Phthiæ uerò in Theſſalis, omiſſo pancratij ſtudio, ut in curſu

etiam ad nominis celebritatem perueniret, operam dedit. Quare & in longiore curriculo palmæ competitores uicit: & cum Achille fuit ei mea ſententia æmulatio, quòd in patria heroũ omniũ præſtantiſſimi, uictorẽ ſe curſus declarari concupierit. Fuerunt *numero coronæ eius omnes quadringentæ.* Cùm *è uita iam deceßiſſet* Theagenes, *ex eius obtrectatorũ numero quidam ad eius ſtatuã nocte qualibet accedens eam flagris cædebat, nõ aliter quàm ſi in eo ære ipſum uiuentem ulciſceretur.* Cùm *autẽ hominẽ ſtatua ſubito caſu oppreßiſſet, eius filij ſtatuam de cæde poſtularunt: eſtq; ea* Thaſiorũ *ſententia in mare abiecta,* Draconis *ſcilicet lege, qui anima etiam carentia, urbe agroq; exterminanda, cùm* Athenienſibus *leges ſcriberet, ſanxit, ſi quid fortè eorũ corruens hominem peremiſſet.* Atenim *cùm per multos deinceps annos frugem ferè nullam terra* Thaſijs *redderet, qui ſciſcitatum* Delphos *mißi fuerant, reſponſum tulere, exules reuocandos.* Neq; *tamen exulibus reuocatis finem ſterilitatis reperere: quare cùm iterum per legatos queſti eſſent, ſe quidem dicto audientes fuiſſe, non eſſe uerò* Deorum *iram ulla ex parte placatam, reſpondit rurſus* Pythia:

Theagenis ueſtri at nullam rationem habuiſtis.

Ibi cùm ea cogitatio ſolicitos haberet quanam arte ſtatuam Theagenis reciperent, piſcatores aiunt in altum prouectos, inter piſces rete comprehenſam effigiem Theagenis in litus expoſuiſſe: ea cùm in ſuum locũ repoſita fuiſſet, à Thaſijs *diuinis celebratur honoribus.* Multis *uerò etiam alijs in locis, tum* Græcorũ, *tum* Barbarorum, Theageni, *poſitis ſimulachris, diuini honores ab indigenis habentur, exiſtimantibus ægris, & quopiam affectis morbo, ſalutare eius numen eſſe.* Statua *hæc in* Alti *poſita,* Aeginetæ Glauciæ *opus eſt.* Proximè

ximè eſt æreus currus, in quem uir aſcendit. Vtrinq; ueredi ſinguli, pueris inſidentibus. Sunt etiam ſua de Olympicis ui ctorijs Hieronis *monimenta* Dinomenis *filij, qui fratri* Geloni *in Syracuſanorum tyrannide ſucceſſit. Hæc dona non ſunt ab* Hierone *miſſa, ſed uotum deo perſoluit* Dinomenes Hieronis *filius. Currus,* Onatæ Aeginetæ: Calamidis, *qui utrinq; ſtant equi, & equeſtres pueri, opera ſunt. Propè ad* Hieronis *currum uir eſt eodem quo* Dinomenis *filius nomine, & ipſe* Syracuſarum *tyrannus* Hieron Hieroclis *filius. Is poſt* Agathoclis, *qui primùm tyrannidem occupauit, mortem, alter eſt Syracuſanis tyrannus exortus, dominatu potitus centeſimæ tertiæ ac uiceſimæ* Olympiadis *anno ſecũdo: ea uerò* Olympiade *uictor è ſtadio diſceſſit* Idæus *patria* Cyrenæus. *Fuit huic* Hieroni *cum* Pyrrho Aeacidæ *filio hoſpitiũ prius, deinde affinitas, quòd* Pyrrhi *filia* Nereis *fuit cum* Gelone *eius filio.* Et idem *ſanè* Hieron *cùm bellum Punicum in Sicilia gereretur, & eius inſulæ pars maior in* Carthaginienſium *officio eſſet, ad illorũ ſe ſtudia adiunxit: mox cùm* Romanorum *copias maiores, & firmiorem eſſe amicitiam intelligeret, ad eos deſciuit. Hunc* Dinomenes, *Syracuſanus ille quidem, ſed tyrannidi infenſiſſimus, de medio ſuſtulit. Neq; multò pòſt* Hippocratem Epicydæ *fratrem, qui cùm paulò antè ab* Erbyſſo *Syracuſas ueniſſet, multitudinem ſeditioſis fuerat uocibus ſolicitare aggreſſus, ſtricto telo eſt adortus: uerùm cùm præſenti ſe ille animo tueretur,* Dinomenes *ſatellitũ impetu oppreſſus, occubuit.* Hieronis *ſtatuas equeſtrem unam, alteram uerò pedeſtrem,* Olympiæ *dedicarunt* Hieronis *ipſius filij: opera fuere* Miconis *Syracuſani* Nicocratis *filij. Poſt* Hieronis, Arei, Acrotati *filij,* Lacedæmoniorum *regis, &* Arati Cliniæ *filij ere-*

ctæ ſunt ſtatuæ: & Areum quidem in equum aſcendentis habitu dedicarunt Elei, *Aratum Corinthij. Arei ſanè &* Arati *mentio non eſt in ſuperioribus cõmentarijs prætermiſſa.* Renunciatus *eſt Aratus de curuli certamine uictor. Timoni Aegypti filio, homini* Eleo, *à quo ad Olympicum ludicrum miſſi equi ſunt, poſitus eſt æneus currus: in eum Victoriæ, quantum conijcio, robur aſcendit. Callonem deinde Harmodij filium, & Machaonis Hippomachum Eleos patria, qui cæſtu pueros uicère, ibi poſitos uideas. Illum Daippus finxit: Hippomachi opifex ignoratur. Is aduerſarios tres dicitur perculiſſe, neq; plaga, neq; uulnere in ulla corporis parte accepto.* Erecti *ibidem ſunt, Theochreſtus Cyrenæus, qui equos Afrorum more ad curulia certamina ſtudioſè aluit, & auus paternus, etiam ei cognomen: tulere uterq; Olympiacas de equorũ ludicro palmas. Iſthmicã præterea auum coronã cepiſſe, indicat currus inſcriptio.* Hegeſarchi *Hæmoſtrati filij* Tritæenſis *de uirili in Olympia pugilatu, in Iſthmo etiã & Nemea uictorias elegi teſtantur, quibus cùm Arcades Tritæenſes appellentur, non eſſe id à uero alienum comperi. Nam cùm illuſtrium Arcadiæ ciuitatum non ſint omnino origines incognitæ, quæ cùm ab initio eſſent obſcuriores, propter imbecillitatem in Megalopolitanum nomen irrepſere, eæ non omnino cõmuni Arcadum nomine cenſæ fuere: quare nullam omnino aliam Tritæam, quàm quæ Achæorum fuit, inuenias. Tunc autem cùm uerſus illi ſcripti fuere, facilè quis exiſtimarit, Arcadici Tritæenſes nominis fuiſſe, quemadmodum & nunc Arcades habentur, qui ſe Argiuis contribuerunt.* Hegeſarchi *ſtatuã Polyclis diſcipuli fecere, de quibus & poſterius mentionẽ faciemus. Aſtylus autem Crotoniata, Pythagoræ opus fuit. Is Olympiacas deinceps*

ceps tris de curſu repetito palmas tulit. Et *huius quidem, quòd* Hieronis Dinomenis *filij ſtudio ductus Syracuſanum ſe renunciandum curaſſet, infamiæ cauſa domũ* Crotoniatæ *ad publici carceris uſum deſtinarunt, & ſtatuam in* Lacedæmoniæ Iunonis *dedicatam euerterunt.* Extat Olympiæ *pila, in qua* Lacedæmonij Chionidis *uictoriæ inciſæ ſunt.* Pa*rum autem quid dicant attendunt, qui dedicatam ab ipſo* Chionide, *non publicè à* Lacedæmonijs *eam pilam arbitrantur: nam cùm teſtatum in ea ſit nondum fuiſſe armaturam grauem in curriculũ productam, quî diuinare* Chionis *potuiſſet,* Eleorum *lege hoc etiam ludicri genus aliquando ſancitum iri?* Ac *multò ſunt quidem hebetiores, qui hærentem pilæ ſtatuã,* Chionidis *eſſe cenſent, cùm ſit* Athenienſis Myronis *opus. Acceſſit propè ad* Chionidis *gloriam* Lycius *homo* Hermogenes Xanthius, *qui ludis trinis* Olympiacum *oleaſtrum octies abſtulit: quare* Equi *cognomento à* Græcis *celebratus eſt.* Poſſunt *iurè* Politis *etiam uictoriæ cum admiratione audiri.* Fuit *hic è* Ceramo Thraciæ *oppido, omnemq́; in* Olympia *pernicitatis laudem eſt meritus.* Quod *enim curriculi ſpatium antè lentius multò confici ſolitum fuerat, ad ſummam ipſe breuitatem, & celeritatem temporis contulit: eodemq́; die de longiore curriculo, deq́; ſtadio, & repetito curſu coronã cepit, & alterum quidem iterum curriculum ingreſſus: neq; enim uniuerſos, ſed quatuor, ut quibuſq; primis ſors obtigerit, è carceribus emittunt: quiq́; ex ordinibus ſingulis uicerint, ijs rurſus cum aliorum ordinum uictoribus de eodem præmio decertandum: quo fit, ut cui fuerit corona decreta, is palmam duplicem auferat.* In *eo curſus genere excelluit* Leonidas Rhodius: *is eſt enim quatuor* Olympiadum *præmia conſecutus, nempe*

qui cùm nulli aduerſariorũ ſuccubuiſſet, duodecim palmas unus abſtulerit. Non longè à *Chionidis pila ſtat* Duris Samius *de puerili pugilatu uictor. opus ea ſtatua* Hippiæ *eſt.* Viciſſe *illum teſtatur inſcriptio, cùm Samij ex inſula eiecti ſunt: dedicatã ſtatuam, cùm in ſuas iam priſtinas fuiſſent ſedes reſtituti.* Iuxta *tyranni effigiem* Diallo Pollidis *filio ſtatua poſita eſt:fuit hic patria Smyrnæus, & Ionici nominis: primùm de puerili pancratio coronam cepiſſe tradunt.*Iam *uerò* Therſilochum Corcyræum, & Ariſtionem Epidauriũ Theophili *filium,quorum hic pueros cæſtibus, ille uiros uicit,*Polycletus Argiuus *fecit.*At Bycellum, *qui primus è cunctis* Sicyonijs *pueros in pugilatu uicit, finxit* Canachus Sicyonius Polycleti *diſcipulus*. Prope Bycellum *eſt* Mnaſeas Cyrenæus *graui accinctus armatura, uir* Libys *cognomento, cuius finxit ſtatuam* Pythagoras Argiuus. Factam *item* Argis Cyziceno Agemacho *è cõtinenti* Aſiæ *terræ teſtatur appoſita inſcriptio.* Naxi *quidem,quam in* Sicilia *cõdidere* Chalcidenſes, Euripi *accolæ, ne ipſa quidem ætate mea extant ruinarum fragmenta.*Quòd *uerò eius nomen ad poſteros proditum fuerit, iure* Tiſandro Cleocriti *filio fuerit ea laus tribuenda: is enim quater* Olympiæ *uiros pugilatu uicit, quoties* Pythicam *etiam palmã abſtulit.* Neq; *uerò tunc omnibus aut* Iſthmiorum, *aut* Nemeorum *uictoribus à* Corinthijs & Argiuis *monimenta ponebantur.*Phidolæ Corinthij *equa prætereunda non eſt: hæc ab ipſis ſtatim carceribus ſeſſore ſuo collapſo,& curſum priſtinum æquè ac ſi rectorem haberet retinuit,& circa metam ſe conuertit: audito uerò tubæ ſonitu concitata eſt uehementius, cumq; ad ludorum præfectos anteuertiſſet,iam uictoriæ ſe quaſi compotem intelligens conſtitit.*Elei Phidola *uictore renunciato,ei,*

ut

ut equæ ſimulachrum dedicaret, conceſſerunt. Contigit & Lyco Phidolæ filio,& eius filijs de equirijs uictoria. Inſiſtit pilæ uictor equus cum inſcriptione:

Acer equis Lycus hic ſemel Iſthmia uicit:& idem
Phidolæ Eleo cinxit honore domum.

Non tamen huic inſcriptioni cum literis Eleorum, quibus Olympiorũ uictores celebrantur, ſatis conuenit: ad octauã enim & ſexageſimam Olympiadem,& eam quæ conſecuta eſt,Eleorũ monimenta Phidolæ filiorum uictoriã referunt. Sed hæc qui uolet curioſius exquiret. Stant deinceps Elei uiri Agathinus Thraſybuli filius & Telemachus. Victor hic extitit de equorum curſu: Agathinum ex Achaia Pellenenſes poſuere. Poſuit & Athenienſium ciuitas Ariſtophontem Lycini filium,pancratiaſten: uicit is ludis Olympicis uiros. At Pherias Aegineta(proximus enim is eſt ad Athenienſem Ariſtophontem)octaua ſupra ſeptuageſimam Olympiade, quòd erat adoleſcentulus, neque in luctandi certamine uidebatur ullo pacto par aduerſario fore, de medio eſt iuſſus recedere: anno deinde inſequenti admiſſus, pueros in lucta uicit. Diſsimilis fuit Hylli Rhodij in Olympicis ludis fortuna:annũ enim duodeuiceſimũ natus, reiectus ille quidẽ eſt, quo minus cum pueris lucta congrederetur:uerùm de uiris palmã adeptus, idemq́; poſtea acceptis Nemeorum & Iſthmiorum coronis, annum cùm ageret uiceſimũ,præpropera ereptus eſt morte,priuſquàm patriã Rhodũ,et penates ſuos reuiſeret. Sed Rhodij palæſtritæ laudes mea ſententia Artemidorus Trallianus uicit,qui cùm tener admodum pancratium puerile iniſſet, amiſſa ob ætatis infirmitatem palma, mox in Ioniam ad Smyrnæos, cùm ludos agitarent, uenit: tantum uerò ei iam roboris acceſſerat, ut eodem die &

eos quos in Olympia aduerſarios habuerat, & in puerili ludiero quos imberbes appellabant, & iam tertio loco uirorũ optimum quenq; ſuperarit. Et impuberum quidem in certamen, ex gymnici hominis prouocatione: in uirorũ autem, cõuicio pancratiaſtæ laceßitum deſcendiſſe ferunt. Virilem certè palmam cepit Olympicã, Olympiade CCXII. *Prope Hylli ſtatuam equum ex ære poſuit Crocon Eretrienſis, accepta de equo deſultorio corona. Equo proximus eſt Teleſtas Meſſenius puerilis pugilatus uictor: hũc Silanion fecit. At Milonẽ Crotoniatẽ Diotimi filiũ, Dameas et ipſe Crotoniates finxit. Palmas Milo Olympicas adeptus eſt ſex, de lucta omnes, ex ijs puerilem unam, ſex Pythicas è uirorũ, unã è puerorũ certamine. Cùm ſeptimũ in Olympiã luctaturus ueniſſet, cum Timaſitheo ille quidẽ, quòd ciuis erat & peradoleſcens, ac certamen recuſabat, nõ eſt cõgreſſus. Suã quidem ipſius ſtatuam dicitur Milo intra Altin ſuis humeris de portaſſe. Traduntur de punico malo, & diſco, hæc memoratu digna. Punicum malum ita manu compreſſa tenebat, ut neq; qui conatus eſſet extorqueret, neq; ipſe tamen illud eliderct. Peruncto diſco cùm inſtitiſſet, omnes ludibrio habebat, qui ſe detrudere quantouis impetu facto conarentur. Magnũ illud fuit roboris documentũ. Caput neruo non aliter q̃ redimiculo aut corona incingebat, intercluſo deinde quãta maxima ui poterat, compreßis labijs ſpiritu, cùm uenæ capitis ſanguine plurimo intumuiſſent, neruum rumpebat. Idem ubi porrecta dextera cubitũ lateri admouiſſet, ſublatoq; pollice reliquos digitos iunctim intendiſſet, minimũ nemo erat qui ullo niſu poſſet à cæteris abiũgere. Ferarum hunc laniatu periſſe memorant. Cõſpicatus enim hiantem immißis cuneis quercum, in Crotoniatarũ finibus, robore ſuo*

re ſuo priſtino fretus, truncum illum manibus dicitur reſcin dere conatus. Ibi cùm relaxatis cuneis, comprehenſus manibus Milo detineretur, à lupis, quæ fera frequens eſt in Croto niatarũ agro, diſcerptus eſt. Fuit illi fatalis uirium ſuarũ fiducia. Pyrrhũ Aeacidæ filiũ, Epiri regem, magnis & admiratione digniſsimis rebus geſtis, quas expoſui in libro de rebus Atticis, in Alti poſuit Thraſybulus Eleus. Prope Pyrrhũ uir quidã puſillo corpore ſuper pila ſtat tibias tenens. Huic Pythicæ palmæ de tibiarum cantu, primò poſt Sacadan Argiuũ, decretæ ſunt: Sacadas uerò ludis iis, quos Amphictyones inſtituere, neq; dum eſſent coronarij, ac deinde binis coronarijs uicit. Pythocritus deinde poſt hos Sicyonius Pythicas tulit palmas ſex, ſolus tibijs cùm cecinisſet. Satis conſtat eundem Olympiæ in quinquertio ſenis ludis præcinuiſſe. Honoris ergo pila ei erecta cum titulo: Pythocriti Callinici tibicinis monimenta, Aetoli concilij ſui decreto, Cydonei ſtatuam dedicarunt, cùm Eleos Ariſtotimi tyranni dominatu liberaſſet. Iam Gorgum Eucleti filium, Meſſeniũ, uictorem quinquertij, Bœotius Theron: Demaretum uerò, & ipſum Meſſeniũ, de puerorũ pugilatu coronatũ, Athenienſis Silanion finxit. Enimuero Anauchidas Philys filius Eleus de puerili lucta coronam cepit, mox de uirili etiã: ſed quis eius ſtatuã fecerit, compertum utiq; mihi non eſt. Anochus enim Adamatæ filius, Tarentinus, qui de ſtadio & repetito curriculo uictor extitit, Ageladæ Argiui opus fuit. Puerum equo inſidentem, aſsiſtente uiro, teſtatur inſcriptio Xenombrotum eſſe ex Coo Meropidis terræ, equeſtris uictoriæ præconio nobilem. Eam ſtatuã finxit Philotimus Aegineta: Xenodicum uerò in puerorum pugilatu uictorem, Pantias fecit. At Pythi Andromachi filij, patria Abderitæ, ſtatuam Ly-

ſippus elaborauit. Sui duas ei ſtatuas milites poſuere: ducẽ enim mercenariorum, et bellicis rebus clarũ Pythum fuiſſe, facilè iudices. Poſiti etiam ſunt de curſu uictores pueri, Meneptolemus ex Apollonia, quæ in Ionio eſt, & Corcyræus Philon. Ad hos Hieronymus Andrius, à quo deiectus eſt Olympico quinquertio nobilis Tiſamenus, is nempe, quo poſtea in Platæenſi prælio contra Mardoniũ Perſarũ ducẽ augure Græci uſi ſunt. Proximus Hieronymo eſt puer palæſtrita, et ipſe Andrius, Procles Lycaſtidæ filius: illũ Stomius, hunc Somis fictores fecere. Aeſchini Eleo duæ quinquertij palmæ euenere, & totidem erectæ fuerunt ſtatuæ. Archippo Mitylinæo, qui uiros cæſtibus uicit, ad nominis celebritatem tribuunt & alias ciues ſui uictorias: coronas enim tradunt eum Olympicas, Pythicas, & Iſthmicas cepiſſe, cùm annum nondum exceßiſſet uiceſimum. Zenonem autem Callitelis filium, è Lepreo Tryphyliæ uictorem è puerorum ſtadio, Pyrilampes Meſſenius finxit. Nam Clinomachũ Eleũ, quinquertij uictoria nobilitatũ, quis fecerit planè ignoro. Pantarcen quidem Eleum, ab Achæis dedicatũ ipſa teſtatur inſcriptio, quòd ſcilicet pacis inter Achæos & Eleos ſequeſter fuiſſet, quodq́; inter eos, ut captiui permutarentur, curaſſet. Quare cùm deſultorio equo in Olympia uiciſſet, hoc ei Achæi monimentũ poſuerunt. Eleum Olidan dedicauit Aetolorum natio. At Charinus Eleus de repetito curſu, deq́; armatorum ludicro uictoriæ monimentum habet. Prope ipſum Ageles Chius, uictis pugilatu pueris, Theomneſti Sardiani opus. Clitomachi Thebani effigiem ſtatuit Hermocrates Clitomachi pater. Eius maximè illuſtria opera hæc fuerunt. Ad Iſthmũ uiros palæſtritas perculit, eodẽq́; die de pugilatu palmã tulit, & eos qui in pancratiũ deſcenderant luctando

ſtando uicit. De pancratio Pythicæ eius palmæ fuere nume ro tres. In Olympia ſecūdus hic Clitomachus Thaſio Theageni de pancratio et pugilatu uictor renunciatus eſt. Et pancratij quidē palmā centeſima & quadrageſima Olympiade eſt adeptus: nam ea quæ cōſecuta eſt, pancratio & cæſtibus depugnauit. Prodijt eodē die Eleus Caper, palæſtrā et pancratium profeſſus: delata uerò iam Capro de palæſtra palma, docuit Clitomachus ludorū præfectus ius eſſe pancratiū cōmitti integris corporibus, priuſquàm uulnus ullum ex pugilatu acciperetur: quo facto in pancratio quidē Capro ſuccubuit: contra pugiles uerò, ſumma animi præſentia, & corpore uſus eſt firmißimo. Erythræi ex Ionia Epitherſen Metrodori filium bis Olympiæ, toties in Pythicis, Iſthmicis & Nemeis de cæſtibus uictorem declaratum dedicarūt. At Syracuſani duas Hieroni publicè, unam eidem ipſius filij ſtatuam poſuere. Paulò quidem ſuperius oſtendi, & hunc Hieronem idem cum ſuperiore nomen habuiſſe, et Syracuſis itidem dominatū. Poſuerunt etiā Palenſes, quarta Cephalenio rum tribus, Timoptolin Eleum Lampidis filium. priſco certè nomine Palenſes Dulichij ſunt appellati. Et ſuus ibidē honos eſt habitus Archidamo Ageſilai filio, iuxta quem eſt uir neſcio quis uenatoris in modū ornatus: Demetriū certè, qui contra Seleucū bello ſuſcepto, in pugna captus eſt, eiuſq; filium Antigonum norit, qui animaduertat Byzantiorū dedicationes eſſe. Spartano quidē Eutelidæ, octaua & triceſima Olympiade de puerili palæſtra una, de quinquertio palma altera delata eſt: tunc enim luctatorū prius, ac deinde quinquertionū ludicrum cōmittebatur. Eutelidæ effigies peruetuſta eſt, quæq; in baſi inciſæ literæ, ſunt ipſa iam uetuſtate penè abolitæ. Poſt Eutelidan eſt Areus Lacedæmoniorum

rex: eiq́; proximus Eleus Gorgus,*cui ad meam uſq́; ætatem uni* Olympicæ *palmæ de quinquertio quatuor, de repetito curſu & grauis armaturæ ſingulæ decretæ.* Virum *illũ, cui adſiſtunt pueri,* Ptolemæum *eſſe aiunt* Lagi *filium*. Proxi*mo loco ſtatuæ duæ* Capri Pythagoræ *filij, qui palæſtræ pancratijq́; eodem die palmam cepit: & ei quidem primo omniũ binæ de illis certaminibus palmæ eodẽ die euenere.* Et *in pancratio ſanè quem habuerit aduerſariũ ſuperius ex poſui:in palæſtra uerò* Eleum Pæaniũ *ſtrauit, qui ſuperiore* Olympiade *uictor de eadem palæſtra renunciatus fuerat: idemq́;* Pythicis *ludis pueros in pugilatu uicerat, rurſusq́; in uirorum certamine eodem die cæſtuum, palæſtræq́; coronam acceperat*. Capro *igitur haudquaquã paruo negotio, aut labore leui ſuæ obtigere uictoriæ*. Sunt *etiam* Olympiæ Anauchidæ & Pherenici *ſtatuæ*: Elei *fuere, & in puerorũ lucta uictoriam ſunt adepti*. Pliſtœnum Eurydami *filium,* Aetolorũ *contra* Gallos *ducẽ,* Theſpienſes *dedicarũt.* Eleus *uerò* Tydeus Antigonum Demetrij *patrem, &* Seleucũ *poſuit.* Seleuci *cùm ob alias res geſtas, tum præcipuè ob captũ bello* Demetrium *illuſtre fuit apud omnes gentes nomen.* Timoni *de quinquertio ludis* Græciæ *omnibus delatæ ſunt palmæ,* Iſthmicis *tamen exceptis, quibus ei, ſicuti cæteris* Eleis, *interdictũ fuit.* Indicant *tituli cùm alias eius laudes, tum uerò* Aetolis *illum ſtipendia feciſſe aduerſum* Theſſalos, *præſidioq́;, amicitia* Aetolorum *ductum,* Naupacti *præfuiſſe*. Non *longè à* Timonis *ſtatua, ueteris* Græciæ & Elidis *ſigna ſunt: &* Græcia *quidem* Antigonum Demetrio *tutorem à* Philippo *patre datum, una,* Philippum *ipſum altera manu coronat.* At Elis Demetrio, *qui* Seleuco & Ptolemæo Lagi *filio bellum intulit, coronã imponit.* Ariſtidi *autem* Eleo Olym-

Olympicam palmā de curſu grauis armaturæ, & de iterato curriculo Pythicam *decretam inſcriptio indicat*. E Nemeis *etiam uictorem rediſſe de equeſtri puerorum curriculo: eſt id ſpatium duo iterata curricula.*Hunc *currendi morem* Nemiacis *et* Iſthmicis *ludis intermiſſum,* Argiuis *reſtituit* Adrianus Imperator,*cumq; hybernis* Nemeorum *ludis celebrari iuſsit*. *Proximè ad* Ariſtiden Menalces Eleus Olympici *quinquertij uictor extat, &* Philonides Zoti *filius. patriæ is quidem è* Cretenſio Cherroneſo, Alexandro *uerò* Philippi *filio, ex eo curſorum genere, qui, quòd die uno ingens emetiuntur ſpatium, ſunt* Hemerodromi, *id eſt, diarij curſores, appellati*. *Poſt* Philonidam Brimias Eleus, & Leonidas *è* Naxo Aegei *maris inſula à* Pſophidijs Arcadum *gente dedicati*. Aſamonis *deinde ſtatua, qui uiros pugilatu uicit:tum* Nicandri, *qui de repetito curſu* Olympicas *duas, è* Nemeis *alternas de curſu, & repetito curſu ſex palmas abſtulit.Fuere* Aſamon, & Nicander Elei: *huius* Daippus, *illius* Pyrilampes Meſſenius *effigiem fecere*. *Proximi ſunt* Eualcis Eleus, & Seleadas Lacedæmonius,*quorum ille cæſtuum pueros*, Seleadas *luctæ certamine uiros uicit*. *Ibidem currus poſitus eſt non magnus* Polypithis Laconis, *et ſuper eadem pila* Calliteles Polypithis *pater palæſtra clarus*. *Lucta hic equis filius coronam promeritus*. *Ordinarios uerò & priuatos homines* Eleos, Lampum Arniſci, & Ariſtarchum *uel hoſpitij uel aliorum cauſa meritorum* Pſophidij *poſuerunt.Medio ſtat inter eos loco* Lyſippus Eleus, *uictis, qui in luctæ certamen deſcenderant, pueris.*Andreas Argiuus Lyſippi *ſtatuā finxit.*Dinoſthenes Lacedæmonius *è ſtadio uiris deuictis palmam tulit, ſibiq; in* Alti *pilam & ſtatuā poſuit.Ab ea quidem pila, uia, qua ex* Olympia Lace

dæmonem iter eſt, ad pilam alteram, quæ Lacedæmone erecta eſt, ſtadia interſunt DCLX. *Theodorũ qui* Pyttalo *ſuperato in quinquertio uictoriam eſt adeptus, & Pyttalum ipſum* Lampidis *filium, qui cæſtibus pueros uicit:* Nelaidan *præterea, qui de ſtadio & armatorum curſu coronam cepit, neminem fugiat* Eleos *fuiſſe.* De Pyttalo *amplius hoc traditum eſt, quòd fuerit* Arcadibus *&* Eleis *de agrorum finibus diſceptantibus, arbiter datus.* Eſt *eius ſtatua* Olynthij Sthenidis *opus. Succedit* Ptolemæus *in equũ aſcendens.* Prope *eum* Eleus Athleta, Pæanius Demetrij *filius, de lucta* Olympiæ *unam, de* Pythicis *duas abſtulit palmas.* Cleareſtus *deinde* Eleus, *qui de quinquertio corona donatus eſt. Spectatur &* Athenienſis *uiri* Glauconis Eteoclis *filij currus: renunciatus uictor eſt de curuli certamine integra ætate equorum. Quæ adhuc cõmemorata ſunt, qui in* Altin *introierint maximè inſignia ſpectare poſſint.* A Leonidæ *uerò monimento rurſus ad ar ãmaximã accedentibus, digna quæ literis mãdentur hæc ſunt. Primi ante oculos ſunt* Damocrates Tenedius, *&* Crianius Eleus: *hic de curſu armatorum, ille de uirorum lucta præmia tulere: &* Damocratis Mileſius Dionyſicles, Crianij Lyſus Macedonius *ſtatuas fecere. At ijs qui loco ſunt proximi,* Herodoto Clazomenio, *&* Philino Coo Hegepolidis *filio, ſua utriq; patria ſtatuæ honorem habuit.* Clazomenij Herodoto, *quòd primus ex ea ciuitate* Olympicorũ *ludorũ uictor eſt declaratus, uictis in ſtadio pueris.* Philino Coi, *quòd illuſtri admodum fuit gloria: de curſu enim* Olympicas *quinq;,* Pythicas *quatuor,* Nemeorum *totidem, ab* Iſthmo *unam amplius quàm decem palmas abſtulit.* Iam *uerò* Ptolemæus Ptolemæi *filius,* Lagi *nepos,* Ariſtolai Macedonis *donum fuit. Eo ipſo in loco & pugil poſitus*

eſt

eſt Butas Mileſius Polynicis filius: Callicrates etiã è Magneſia ad Lechæum: uicit bis in armatorum curſu: imago hæc Lyſippi opus eſt. Spectantur deinde Emantion de puerili ſtadio, & Alexibius de quinquertio uictores: fuit huic patria Hera Arcadum oppidum: imaginem Aceſtor elaborauit. Emantionis effigiem quiſnam fecerit non indicat inſcriptio, ex Arcadia tantùm fuiſſe illum planum facit. Colophonij exin Hermeſianax Agonei filius, & Icaſius Lycini ex Hermeſianactis filia, pueros uterq; in palæſtræ certamine ſuperarunt: & Hermeſianacti quidem publicè Colophonij ſtatuã poſuere. His proximi Athletæ duo Elei, à quibus pueri in pugilatu uicti: Sthenis, Olynthij Chærili opus: Datondæ Sicyonij Theotimus. Hic cum patre Moſchione Alexandro contra Darium & Perſas bellanti ſtipendia fecit. Iam duo item ex Elide, Archidamus quadrigis, & Theogoni filius Eperaſtus graui armatura uictor. Poſteriorem hunc uatem etiam fuiſſe è Clytidarũ familia, extrema indicat inſcriptionis clauſula:

Fatidico cretus Clytidarum è ſanguine uates,
Atq; idem ſoboles dia Melampodidum.

Melampus enim Amythaonẽ uatem patrem habuit: filium ipſe Ioclen genuit: Ioclis naſcitur ſatu Amphiaraus: cuius Alcmæon fuit, qui Clytium ſuſcepit è Phegei filia: hic Elin migrauit ab auunculis ſecedens, quòd eos cædem ſciebat Alcmæoni machinatos. Statuas deinceps nõ ualde illuſtribus uideas permiſtas donis: Alexinicũ Eleum, Sicyonij Canthari opus: tulit hic de puerili palæſtra palmam. Tum Leontinũ Gorgiam, quem dedicatum tradunt ab Eumolpo Deicratis pronepote, cum quo ſoror fuerat Gorgiæ. Natus eſt Gorgias patre Carmantide, & primus neglectã adhuc dicendi

ex arte rationem excitaſſe dicitur, & ab hominum obliuione uindicaſſe. Dedit magnũ eloquentiæ ſpecimen Gorgias, & in quinquennali Olympię celebritate, & in ea legatione, qua functus eſt Tiſiæ collega apud Athenienſes: nam et Tiſias orationis facultate omnes antecelluit ſui temporis oratores: cui rei fuit perſpicuum argumentum oratio ea ſubtilis hercule & peracuta, quam in lite Syracuſanæ mulieris habuit. Sedenim multò fuit apud Athenienſes clarior Gorgias. Et hunc ſanè Iaſon, qui in Theſſalia tyrannide potitus eſt, pluris multò fecit, quàm Polycratem, qui nulli fuit in Athenienſium ſcholis eloquentiæ laude inferior. Vixiſſe aũt Gorgiam annos ferunt haud minus quinq; amplius quàm centũ. Leontinorũ certè urbs olim deleta à Syracuſanis, ætate mea reſtituta eſt. Spectatur eo in loco & Cratiſthenis Cyrenæi currus æreus, in quem aſcendit Victoria, tum ipſe etiã Cratiſthenes, ex quo facilè conijcias, equis illum uiciſſe. Dicitur uerò Mnaſei Curſoris, quem cognomento Libyn Græci appellauerunt, filium fuiſſe. Huius Olympici doni Pythagoras Rheginus opifex fuit. Reperit eodem etiam in loco Anaximenis effigiem: is & priſcas Græcorum, & Philippi atq; Alexandri res geſtas diligenter perſcripſit. Hunc ei honorem Lampſacenorum ciuitas habuit, meriti in ſe gratiam referens: eam enim ab exitio ciuitatem calliditate ſua uindicauit. Erat Alexander Philippi filius implacabili plerunq; ingenio, et ad iram procliuior: hunc Anaximenes iraſcentẽ uehementius Lampſacenis, & extrema omnia cõminantem, quòd ad Perſarum regem uel iam defeciſſent, uel deficere cogitarent, huiuſmodi leniuit dolo. Cùm illi de liberis, aris atque focis, & uniuerſa planè patria ſoliciti, hominem etiam antè tum Alexandro, tum Philippo probè cognitum, depre-

pre-

precatū miſiſſent, & Alexander cognita aduentus cauſa uerbis conceptis iuraſſet, Græcorū Deos teſtatus, facturum ſe omnia contraquàm ille rogaſſet, hac eum eſt Anaximenes oratione adortus: Hoc à te rex precibus contendo, *ut Lampſacenorum coniuges & liberos in ſeruitutem redigas, urbem totam excindas, &* Deorum *templa exuras*. His *Alexander ambagibus circumuentus, cùm ſe iuratum meminiſſet, cōtraria ijs quæ precaretur* Anaximenes *omnia ſe facturum, Lampſacenis inuitus pepercit*. Idem *etiā Anaximenes inimicum ſuum non minus uafrè quàm inuidioſe ultus dicitur*. Nam *qui ingenio ſophiſta eſſet, cùm ſophiſtarum orationem aptiſſimè imitaretur, ſuſcepta cum* Theopompo *Damaſiſtrati filio ſimultate, hiſtoriam conſcripſit maledictorum in Athenienſes, Lacedæmonios, &* Thebanos *pleniſſimam*. Ad *unguem uerò cùm* Theopompi *ſtylum expreſſiſſet, ſuppoſito eius nomine, per Græciæ ciuitates librum diuulgandum curauit: quæ res* Theopompo *magnā apud omnes planè Græcos inuidiam concitauit*. Ante *Anaximenem quidem nemo ſubita oratione conatus eſt dicere*. Iam *qui in* Alexandrū *ſcripti uerſus eius nomine circunferuntur, mea quidem ſententia falſò Anaximeni attribuuntur*. Sotades *longioris curriculi uictor* Olympiade *nona ſupra nonageſimam, Cretenſis, uti fuit, renunciatus eſt: ea uerò quæ conſecuta eſt* Olympiade, *accepta publicè ab* Epheſijs *pecunia,* Epheſium *ſe prodi maluit, quo crimine ei exilij pœna eſt à* Cretenſibus *inflicta*. Primi *Athletarum omnium* Olympiæ *ſtatuas dedicarunt ſuas, Praxidamas Aegineta, qui cæſtibus uicit* Olympiade *undeſexageſima, et qui* LXI. *pancratiaſtas perculit* Rhexibius Opuntius: *poſitæ ſunt ante* Oenomai *columnam: lignea utraq; eſt, ſed* Rhexibij *è fico, è cupreſſo*

Praxidamantis, & multò ſanè minus elaborata. Eſt *in* Alti *crepido tophacea, ad eam* Iunonis *templi partem, quæ ad* Aquilonem *ſpectat: nam quæ ad* Auſtros *conuerſa eſt, ad* Saturni *ædem pertinet: ſuper ea crepidine theſauri locati ſunt, quales* Græci Delphico Apollini *fecerunt. Sunt autem donariorum cellæ, unus quidem eorum qui* Olympiæ *ſunt,* Sicyoniorum *appellatur: dedicauit* Myron Sicyoniorum *tyrannus, parta curuli uictoria,* Olympiade *tertia &* XXX. Thalamos *duos intus fecit,* Dorico *alterum, alterum opere* Ionico: *utrunq; ex ære fabricatos ipſe conſpexi: neq; uerò è* Tarteſiaco *ſint ære, nec ne, quod* Elei *affirmãt, ſatis compertum habeo.* Tarteſſum *certè fluuium* Hiſpaniæ *eſſe tradunt, oſtijs duobus in mare deſcendentẽ: amni cognominẽ urbem inter utrunq; alueum ſitam. Omnium uerò* Hiſpaniæ *fluminum maximum, & prealtis uorticoſum gurgitibus,* Bætin *huius ætatis homines nominant. Sunt & qui priſco nomine* Tarteſſum Carpian *uocitatam dicant. Quod ad thalamos attinet, pondus indicat minoris inſcriptio talentûm quingentorum, dedicatũ publicè à* Sicyonijs, *opificem fuiſſe* Myronẽ. *In theſauro diſci collocati ſunt tres, quos ad quinquertij ludicrũ promunt. Eſt etiam ibidem ſcutum ærea lamina contectum, uaria interius exornatum pictura: galea præterea, & ocreæ. Teſtatur armorũ inſcriptio* Ioui *manubias à* Myonibus *dedicatas. Qui populi ſint hi, uariat hominum coniectura. Mihi certè in memoriã redijt,* Thucydidem *inter* Locros, *qui* Phocidi *finitimi ſunt, & alias enumerare ciuitates, &* Myonenſes. *Quare qui in ſcuto nominãtur* Myones, *mea quidem ſententia non alij ſunt, quàm* Locrenſium *continentis terræ incolæ* Myonenſes. *Literæ inſcriptionis illius ipſa uetuſtate iam exeſæ, ac iam propè abolitæ ſunt.* Et

alia

alia quæ recenſeantur digna eodē poſita ſunt loco. Pelopis enſis capulo aureo & ebore elaboratum: cornu Amalthea, Miltiadæ Cimonis filij donum, qui primus ex ea domo in Thraciæ Cherroneſo imperium obtinuit. Eſt in cornu inciſa priſcis Atticis literis inſcriptio:

Me Ioui Olympiaco poſuit donum Cheroneſus,
Miltiadis ductu cùm mœnia cepit Arati.

Simulachrum etiam Apollinis capite inaurato eodem in loco poſitum eſt: dedicatū à Locris memorant, qui ſunt ad Zephyrium promontorium: opificem fuiſſe Patroclen Crotoniaten Cratylli filium. Prope Sicyonium, theſaurus eſt Carthaginienſiū, Pothæi, Antiphili, & Megaclis opus. In eo dona ſunt Iupiter ingenti magnitudine, & linteæ loricæ tres, Gelonis & Syracuſanorum uictis claſſe, ſiue pedeſtri pugna Pœnis. Tertius deinde & quartus theſaurus donum eſt Epidamniorū. In eo Atlas cœlum ſuſtinet, Hercules ad Heſperidas uenit, de Heſperidum arboribus malum draco ſpiris inuoluit: è cedro ſunt omnia, Theoclis Etyli filij opus. Autonomum certè filio feciſſe aiunt eas, quæ in polo inciſæ ſunt, literas. Heſperides ipſæ cùm inde fuiſſent ab Eleis amotæ, in Iunonis mea ætate ſunt. Theſaurum Epidamnijs Pyrrhus, & Lacrates & Hermon eius filij fecere. Aedificarunt & Sybaritæ theſaurū ſuum, qui proximè ad Epidamniorū theſaurū conſtitutus eſt. Et ſanè qui de Italia eiusq; ciuitatibus aliquid ſibi inueſtigandum putarūt, Lupiam memoriæ prodiderūt oppidum eſſe inter Brunduſium & Hydruntē, quod priſco nomine Sybaris fuerit. Portus in eo manu extat factus, Adriani Cæſaris opus. Contingit Sybaritarū theſaurum, is quem dedicarunt Cyrenæi Libyæ ciuitas: in eo ſunt imagines Romanorū regum. Selinuntios è Sicilia expulerē

Carthaginenſes, ſed ante eam calamitatẽ theſaurum Olympio Ioui dedicarunt, in quo eſt Liber Pater, ore, pedibus & manibus eburnis. At in Metapontinorum theſauro (nam & hi ſuum iuxta Selinuntiorum theſaurum dedicarunt) Endymion eſt. Signi eius præter ueſtem ex ebore ſunt omnia. Et Metapontinis quidem quæ fuerit exitij cauſa, compertum certè non habeo. Aetate ſanè mea eius urbis reliquiæ tantùm extant, theatrum & murorum ambitus: reliqua ad ſolum euerſa. Megarenſes quoq;, Atticæ terræ finitimi, theſaurum ædificandum curarunt: in eo repoſuerũt è cedro ſigna ſuperinducto auro, Herculis cum Acheloo pugnã: adſiſtunt Iupiter, & Deianira: Mars Acheloo, Minerua (uti ſemper antea) Herculi adeſt: ſed hæc in Iunonis, ad eum locum ubi Heſperides ſunt, trãslata eſt. Circa theſauri faſtigiũ Gigantũ cum dis bellum cernitur, & ſupra faſtigij partem, ſcutum affixum eſt, cum inſcriptione: Theſaurũ Megarenſes poſuiſſe de Corinthiorũ manubijs. Potitos ea uictoria Megarenſes cõijcio, cùm Phorbas ſummæ reipub. apud Athenienſes præeſſet: & præfuit ille quidem dum uixit: nondum enim annui erãt Athenis magiſtratus. Quin & ab Eleis ipſis nondum ætates per Olympiadas cœptæ fuerant numerari. Fuiſſe dicuntur eius expeditionis participes Argiui: Theſaurum certè aliquot poſt pugnã annis Megarenſes faciundum curarunt. Signa quæ in eo ſunt par eſt uetuſtiora fuiſſe, cùm ea fecerit Dontas Lacedæmonius Dipœni & Scyllidis diſcipulus. Poſtremus omnium theſaurorũ ſtadio proximus eſt: Gelenſium donum eſſe, & theſaurum, & ſigna, indicat inſcriptio. A ſignis tamen adhuc uacuus eſt. Saturnius mons crepidini, cui ſunt impoſiti theſauri, imminet. In uertice rem diuinã Saturno faciũt qui Baſilæ appellantur, uerno æquinoctio,

noctio, menſe, qui ab Eleis Elaphius dicitur. Ad montis radices Septentrionem uerſus, medio inter montem & theſauros ſpatio, Lucinæ fanum eſt. In eo Soſipolis patrius Eleorum genius certis celebratur honoribus. Ipſam certè Lucinam Olympiam nuncupant, quæq; ei ſacra faciat annuam ſacerdotem deligunt. At anus ea quæ Soſipolin placat, Eleorum ritu operatur: piamina infert, & apponit Deo melle ſubactas offas. In antica ſanè templi parte eſt Lucinæ ara, et ad eam duplex hominibus aditus. Foris Soſipolis colitur: neq; ad eum aditus patet cuiquam, præterquã uni illi ſacrificulæ, quæ capite & facie candido textili uelata, ad numinis ſimulachrũ accedit. In Lucinæ uirgines & nuptæ remanentes hymnũ Soſipolidi decantant: odores quoduis genus adolent. Vino libandi ritũ his ſacris alienũ ducunt. Iuſiurandum certè ad Soſipolidis aram magna religione cõcipiunt. De eo hæc ſunt memoriæ prodita. Cùm in Eleorũ fines hoſtiliter Arcades inuaſiſſent, contraq; eos aciem Elei direxiſſent, mulierem aiunt infanti puero mammã præbentem ad Eleorũ duces ueniſſe, ſeq; cùm puerũ eum peperiſſe diceret, addidiſſe monitã per ſomnium, ut eum pugnæ ſocium Eleis adiungeret. Ibi eos qui ſummæ rei præerant (quòd mulieris uerbis fidem habendã cenſuiſſent) puerũ nudum ante ſigna collocandum curaſſe. Impreſſione ab Arcadibus facta puerum in eorum conſpectu in anguem mutatum. Eo prodigio hoſtes exterritos, in fugam ſe protinus dediſſe: acriter Eleos inſtitiſſe. Parta uerò inſigni uictoria, à ſeruata ciuitate nomen Soſipolidi inditum: quoq; loco in cauernam uiſus fuerat ſe anguis abdidiſſe, confecto prælio fanũ erectum. Idcirco uerò honores Lucinæ decretos, quòd ab ea in lucem puerum illũ ſibi editũ interpretati ſunt. Cæſis in pugna Arcadi-

bus,ſepulchrum extructum eſt in ulteriore Cladæi amnis ripa,quæ ad Occidentem ſpectat.Proximè ad Lucinæ,ubi Veneris Cœleſtis cognomento templum fuit,rudera monſtrāt. Sacra certè & nunc fiunt ad aras, quæ reliquæ ſunt. Intra Altin, in ea, qua pompæ tranſmittuntur, ſemita, ædes eſt quod Hippodamium appellant:area iugeri ſpatio maceria circumſepta. Patet huc fœminis aditus ſtato quotannis die: faciunt hæ Hippodamiæ rem diuinam,& alijs eam honoribus proſequuntur. Hippodamian tradunt Midean,quod in Argiuorū agro oppidum eſt, cùm Pelops ob Chryſippi cædem ab ea in primis pœnas expeteret,confugiſſe: ipſum poſtea Pelopē eius oſſa ex oraculo in Olympiā reportanda curaſſe. Eo loco quo poſtrema ſunt ſigna,ex eo ſignorū numero quæ de multatitio Athletarū ære dedicata ſunt,porticus eſt quam Occultam nominant: per eam & ludorum præfectis & Athletis ad ſtadiū acceſſus eſt. Ipſum certè ſtadiū terræ agger eſt,& in eo ludis præfectorū ſeſſio extructa. E regione ſeſsionis illius ara eminet è candido lapide: in ea ſedens ludos mulier ſpectat ſacerdos Cereris cognomēto Chamynes. Huic & alij ab Eleis honores habentur. Neq; uerò uirginibus interdictum ludicra ſpectare.In extremo ſtadio, ubi ſunt curſorū carceres, Endymionis Elei ſepulchrū monſtrant. Supra eam ſtadij partem, in qua ludis præfecti conſident,deſtinatus eſt equirijs campus: & ibi ſui ſunt equorum carceres.Formā illi eandem propè præ ſe ferunt, quam nauis prora obuerſo in curriculum roſtro. Qua parte autem cum porticu, cui nomen Agnampto, quod eſt quaſi flexu carentē dicas,prora ipſa iungitur, ibi utrinq; dilatatur. In regula ſumma roſtri, Delphinus æneus prominet: à roſtro hinc à dextera, illinc à læua, excurrit pedum quadringenum

num ſpatium: in eo pari magnitudine cellulæ: eas inter ſe ſortiuntur, qui uel equos priuos, uel currus in certamen producunt. Intenditur uerò à fronte funis pro repagulis. Ara ad mediam ferè proræ partem è crudo laterculo erecta eſt: hanc tectorio recenti ſingulis oblinunt ludorum conuentibus. Super ara ænea aquila latè paßis alis extat: ea, cùm machinulam quandam is commouerit, cui id negotij datum eſt, ſtatim ſe in ſpectatorum conſpectum quaſi ſubuolatura attollit, cùm interea ad imam ſoli areã alia machina delphinus demittitur. Prima omniũ ea ſubmittũtur repagula, quæ utrinq;, iuxta quã paulò antè nominauimus porticũ, intenta fuerant: tum qui ea in parte ſuſtinebantur equi, ſtatim ſe in pedes dant: ij cùm ad alterũ equorũ ordinẽ acceſſerint, eodem modo et illis remittuntur repagula. Idem fit omni ex carcerũ parte, uſquedum ad ipſum proræ roſtrũ exæquata fuerit curſus cõditio. Ibi, equis in liberiorẽ ſe iam campũ effundentibus, & aurigarũ ſe oſtentat ſolertia, & quadrupedum pernicitas. Primus qui eam excogitauit carcerũ formã, Cleœtas fuit, cui tanta eſt huius operis cauſa laus tributa, ut hi fuerint uerſus ad eius, quæ Athenis eſt, ſtatuam adſcripti:

Carcere ab Eleo docuit qui mittere currus,
Mi autor Cleœtas natus Ariſtocleo.

Poſt Cleœtan Ariſtiden memorant aliud machinæ genus excogitaſſe. Alterum curriculi latus aliquanto longius excurrit. In eo ad ipſum aggeris exitum ara eſt figura rotunda: ad eam Deus colitur quem Taraxippũ, ab incutiendo equis pauore, nuncupant: ſolent enim iniecto terrore, circa aram hanc equi tam uehementer conſternari, ut incertum unde coorta trepidatione, ſæpe illiſis curribus affligãtur aurigæ. Quò igitur æquo & propitio utantur Taraxippo, ad eam

aram aurigæ uota nuncupant. Variat de Taraxippo Græcorum ſententia. Sunt qui indigenæ hominis ſepulchrum illud eſſe dicant, præſtantis equos regendi ſcientia: Olenium nomen produnt, à quo ſit in Eleorum finibus Olenium ſaxum appellatum. Alij Dameonem fuiſſe, qui in Augean expeditionis Herculi ſocius, à Cteato Actoris filij unà cum equo, quo uehebatur, ſit interfectus: ab Eleis eo in loco, & ipſi & equo, inanis habitum ſepulchri honorem. Non deſunt qui hoc inane monimentum heroicum illud ipſum eſſe autument, quod Mirtylo Pelops poſuerit, cùm à ſe perempto parentaret, quò eius iram placaret: Taraxippum uerò uocaſſe, quòd Mirtyli dolo Oenomai equæ conſternatæ fuerint. Pleriq; etiam Oenomaum illum eſſe dictitant, qui in curuli certamine equos & aurigas illo exagitet pauore. Audiui etiam qui Porthaonis filium Alcathoum eſſe dicerent, qui cùm inter procos Hippodamiæ ab Oenomao fuiſſet occiſus, & eo ipſo in loco humatus, iniuriæ ſuæ, quam in ipſo curriculo paſſus eſſet, atrox & infeſtus uindex obequitantibus exoriatur. At Aegyptius quidam Pelopen aiebat acceptum neſcio quid ab Amphione eo in loco defodiſſe, cuius arcana ui conterriti fuiſſent Oenomai equi, & omnes deinde equi eodem afficerētur modo. Et cenſebat ille quidē Amphionem & Orpheū (ètſi Thrax diceretur) Aegyptios fuiſſe. propterea uerò alteri feras allicere, alteri uerò ſaxa ad muros extruendos mouere attributum, quòd uterq; magorum ſcientia excellerent. Mea uerò ſententia eorum eſt maximè probabilis oratio, qui Taraxippū cognomen eſſe dicūt Neptuni equeſtris. Eſt etiā in Iſthmo Taraxippus, qui Glaucus fuit Siſyphi filius, ab equabus diſcerptus ludis funebribus, quos patri ſuo fecit Acaſtus. In Argiuorū Nemea nullus om-

lus omnino eſt herois genius,qui equis pauorē immittat:ſaxum tantùm eminet in ipſo curriculi flexu,colore rutilo,cuius fulgore concitantur equi haud aliter multò, quàm ſi immiſsis ignibus iniecta eſſet trepidatio.Sed qui ab Olympico *exiſtit* Taraxippo, *longè eſt acerrimus terror*. Ad *metarũ unam ænea* Hippodamiæ *ſtatua eſt,tæniā præ ſe ferens,iam propè uictori* Pelopi *coronā impoſitura.Altera* Hippodro*mi pars nō agger, ſed collis eſt minimè arduus, ad cuius extremum finem ædes condita eſt* Cereri *cognomento* Chanynæ.*putauit quidam priſcum eſſe nomen : ibi enim cùm* Plutonis *currũ reciperet, terram diſceſsiſſe, & ad ſe ſtatim rediſſe.Alij uerò* Chanynũ Piſæũ *hominē memorant,à* Pantaleonte Omphalionis *filio, qui* Piſæ *tyrannidem occuparat, quòd acrius illi aduerſaretur, et ad defectionē* Eleos *impelleret,interemptũ:de* Canyni *uerò pecunia templũ* Cereri *ædificatũ.*Pro *ueterib. ſigna repoſuit deæ ipſius et filij è* Penteli*co lapide* Herodes Atticus *in gymnaſio, quod* Olympiæ *eſt, in quo certamina meditantur ſua quinquertiones & curſores.Crepido ſub diuo lapidea eminet,in qua fuit olim erectũ tropheũ de uictis* Arcadibus. *Ad læuā aditus eius gymnaſij minor eſt ambitus,in quo* Athletarũ *palæſtræ*. *Porticũ eam gymnaſij,quæ ortum* Solis *proſpectat,attingunt* Athletarũ *diuerſoria in* Africũ *& occaſum conuerſa.*In *ulteriore* Cladæi *amnis parte ſepulchrũ extat* Oenomai, *terræ tumulus lapide circunſeptus. Supra tumulum ruinæ ſe oſtendunt tectorum,quæ equorũ* Oenomai *ſtabula putant fuiſſe*. *Fines regionis* Arcadiā *uerſus in præſentia ad* Eleos, *iam tum ab initio ad* Piſæos *pertinuere.*Extāt *uerò et illi hoc etiā tempore.*Trans Erymanthum *fluuiũ ad* Sauri *iugũ(ſic enim locus ille appellatur)* Sauri *ipſius ſepulchrũ eſt,et* Herculis *ruino*

ſum temporibus noſtris templum. *Infeſtum fuiſſe uiatoribus & accolis Saurum ferunt, ab Hercule uerò interfectũ, loco nomen dediſſe. Fluuius à meridie in Alpheum influens, contra Erymanthũ montem Piſæum agrũ ab Arcadico diuidit. Nomen amni Diagon. A Sauri tumulo ſtadia fermè XL. progreſſis, Aeſculapij ædes eſt: cognomẽ deo Demænetus à conditore. Extant templi duntaxat ruinæ: erectũ fuerat in edito ſupra Alpheum loco. Ab hoc templo modico diſtat interuallo Liberi Patris, Leucanitæ cognomento, ædes. Præterlabitur amnis Leucyanas, et ipſe etiã in Alpheũ illabens. Deſcendit hic à Pholoë monte. Hinc qui Alpheũ trãſierint, Piſæorũ fines ingrediũtur: intra eos primùm ſe uertex montis oſtendit præacuto faſtigio: in eo Phrixe urbis ruinæ cernuntur, & Mineruæ ædes cognomento Cydoniæ. Hæc ad aræ formã ætate mea redacta eſt. Dedicaſſe templum tradũt Clymenũ de poſteris unum Idæi Herculis: ueniſſe uerò eum è Cydonia Cretæ regione, & ab Iardane amne. Pelopẽ etiã Elei dicunt, priuſquàm in curule certamen cum Oenomao deſcenderet, Cydoniæ Mineruæ rem diuinam feciſſe. Qui proceſſerint paulò longius, ad Partheniæ fluuium ueniãt, in cuius ripa ſepulchrũ extat Marmacis equorũ: hũc Marmacem procorũ omnium primũ ad petendam Hippodamiam ueniſſe aiunt, atque adeo primum omnium ab Oenomao interfectũ: eius uerò equas, quarũ alteri Partheniæ, alteri uerò Eriphæ nomen fuerit, ad Marmacis tumulum Oenomai iuſſu mactatas, & ibidẽ humatas: à Parthenia itaq; equarũ altera fluuiũ nomen accepiſſe. Eſt in eadẽ regione Harpinnatis fluuius prope Harpinnam urbem: eam urbem condidiſſe Oenomaũ narrant, & de matris Harpinnæ nomine appellaſſe. Hinc paruo interiecto ſpatio præcelſus terræ agger*

ger eſt,& in eo Hippodamiæ procorũ tumulus. Neq; uerò illos Oenomaus inſigni honeſtabat ſepultura, ſed ſatis habebat, ſi eorum cadauera humi defodienda proximis tumulis curaſſet. At Pelops cõmune omnibus monimentum operis magnificentia ſpectandum erexit, cùm ut ipſis eum procis honorẽ haberet, tum ut Hippodamiæ ipſius nomẽ illuſtrius celebraretur. Mea uerò ſententia non alia magis de cauſa, quàm ut argumento eſſet opus illud, quot,& qualiũ uirorũ cæde exultantẽ Oenomaũ ipſe perculiſſet. Occubuerunt autem ſicuti ijs carminibus proditũ eſt, quæ magnæ ſunt Eœæ appellatæ, ab Oenomao occiſi. Poſt Marmacen, primus Alcathous Parthaonis filius: Euryalus deinde, Eurymachus et Crotalus: horũ ego triũ parentes,& eorum uniuſcuiuſq; patriam compertam omnino non habeo. Sed qui poſt hos occiſus eſt, Acrian, facilè conijci poßit Lacedæmonium fuiſſe, Acriarum conditorem. Ad hos interfectos ab Oenomao recenſent Capetum, Lycurgũ, Laſium, Chalcedontem, et Tricolonum: poſtremum hunc nepotem,& cognominem Arcades numerant Tricoloni Lycaonis filij. Contigit poſt Tricolonum in curſu mortem oppetere Ariſtomachum, Priantem, Pelagontẽ, Aeoliũ,& Cronum. Sunt qui recenſent etiã Erythrum Leuconis filium, Athamantis nepotem, à quo Bœotorum oppidulum Erythræ appellatæ fuerint,& Eiones Magnetes Aeoli: his omnibus cõmune erectum fuit monimentum, ad quod parentaſſe Pelopem tradunt, quandiu Piſæorum imperium tenuit. Hinc ſtadium fermè unum progreßis, reliquiæ templi ſunt Dianæ cognomento Cordaces: quod Pelopis comites aiũt, cùm deæ huic pro uictoria uotos ludos facerent, patriam ſaltationem Cordacem, ad Sipylum celebrari ſolitã, uſurpaſſe. Ab eo templo non longè ædes eſt

nō utiq; magna, in qua arca, & in ea Pelopis oſſa cōſeruantur. Murorū *nullæ extant amplius reliquiæ, ſed undiq; uitibus conſitus locus eſt, ubi olim* Piſa *incolebatur.* Eius *urbis conditorem nominant* Piſum Perieris *filium* Aeoli *nepotem. Ipſi quidem* Piſæi *uehementer irritatis* Eleis, *dum ſibi* Olympicorū *ludorum condendi autoritatem cupidius uindicare ſtudent, exitium ſtruxerunt.* Olympiade *enim octaua* Elei Phidonem Argiuum *impotentem tyrannum, & cunctæ* Græciæ *inuidia laborantem, aduocarunt, eiusq; maximè præſidio ſubniſi, ludos cōmiſerunt.* Quarta *deinde et tricesima* Olympiade Piſæi *comparatis undiq; finitimorū copijs, regem ſuum ſecuti* Pantaleontem Omphalionis *filium, ſubmotis* Eleis, Olympicis *ipſi ludis præfuerunt.* Has *omnes* Olympiadas, *& præterea quartam & centeſimam, quam* Arcades *condidere,* Anolympiadas, *ac ſi dicas irritas* Olympiadas, *uocantes* Elei, *in faſtos ſuos non referunt.* Octaua *uerò ſupra quadrageſimam* Olympiade, Damophon Pantaleontis *filius in proditionis ſuſpicionem ad* Eleorum *multitudinē uenit, quòd cū armati in* Piſæorū *fines excurriſſent, re infecta precibus & obteſtationibus domū ut redirēt perſuaſit.* Cùm *in regnum autem ſucceſſiſſet poſt* Damophontē *fratrem* Pyrrhus Pantaleontis *filius,* Piſæi *ultro arma* Eleis *intulerunt: quo tempore coniuratione facta, ab* Eleis *defecerunt* Maciſtij, *&* Scilluntij: *hi quidem è* Triphylia, *ex alia uerò uicinitate* Dyſpontij: *his enim cum* Piſæis *optimè conueniebat, nempe qui urbis ſuæ primordia ad* Oenomai *filiū* Dyſponteum *referebant.* Bellum Piſæorum, *& omnium qui cum ipſis conſpirauerant populorum, internitione terminatū eſt.* Pyli *ruinæ in conſpectu ſunt, ab* Olympia *per montanam uiam* Elidem *contendentibus.* Abeſt *à* Pylo Elis *ſta-*

dia LXX. *Hanc urbem, ſicuti multò ſuperius cõmemoraui, condidit Megarenſis Pylon, Cleſonis filius. Exciſa uerò ab Hercule, ac poſtea ab Eleis reſtituta, iampridem ab inquilinis infrequens & deſerta eſt. Præter ipſam labitur Ladum amnis in Peneum. Ad hanc Pylon diſputant Elei Homeri uerſus pertinere:*

—genus deduxit ab amne
Alpheo Pylium qui præterlabitur arua.

Ac mihi ſanè id facilè perſuaſerunt: hanc enim præterfluit Alpheus: nam per Pyliorum fines, qui ſupra Sphacteriam inſulam ſunt, certè non decurrit Alpheus: neq; omnino ullam nouimus in Arcadia terra urbẽ eodẽ hoc nomine fuiſſe. Diſtat L. *fermè ſtadia ab Olympia Eleorũ uicus Heraclea. Allabitur Cytherus fluuius. Supra fontem, è quo amnis manat, Nympharum templum eſt. Sua ſunt propria Nymphis nomina, Calliphæa, Synallaxis, Pagæa, et Iaſus. Cõmuni quidem uocabulo Ionides nuncupantur. Saluberrimæ ſunt lauantibus aquæ ad laßitudines, & cæteros corporis dolores leuandos. Appellatas autẽ Nymphas putant ab Ione Gargetti, cùm is Athenis profectus in hunc locũ coloniã deduxiſſet. Quòd ſi per campos malueris uiam tenere, ſtadijs* CXX. *cõfectis, Letrinos peruenies: centũ enim & octoginta hinc Elidem interſunt. Iam tum ab initio oppidum fuere Letrini, quod à Letreo Pelopis filio conditũ eſt: mea uerò ætate domorum paucarum extabant reliquiæ, & Alpheiæ Dianæ cũ ſimulachro ædes. Deæ ob cauſam huiuſcemodi cognomẽ impoſitũ memorãt. Alpheum amore captũ Dianæ, poſteaquã ad nuptias eius cõciliandas nihil ſe aut gratia, aut precibus profecturum intellexit, uim ei offerre conatum: uerùm cùm illa fugiens, inſequentẽ amatorem Letrinos uſq; ad no-*

cturnos choros pertraxiſſet (intereſſe enim Nympharum lu ſibus conſueuerat) ibi deam ſibi ſuiſq; comitibus cœno os ob leuiſſe: quare cùm Alpheus à Nymphis Dianam diſcernere nequiſſet, eluſum abiſſe. Ab hoc Alphei amore Alpheiam Dianã Letrinæos nuncupaſſe. At Elei, quibus cũ Letrinæis peruetus eſt amicitia, Elaphiææ Dianæ cæremonias acce- piſſe affirmant ſe à Letrinæis: & Alphiææ quidem nomine religionem primùm ſancitam, ſed uoce corrupta temporis longinquitate, dictam poſtea Elaphiæan. A ceruorũ tamen uenatione Elaphiæan appellatã ego ab Eleis exiſtimo. Tra- ditum tamen ab ipſis etiã eſt, nutricẽ fuiſſe Dianæ Elaphiã indigenam mulierẽ, à quã Deæ fuerit nomen inditum. A Le trinis nihilo quàm ſtadia ſex longius lacus abeſt, per lineam rectã ſtadia tria excurrens. In Elide memoratu digna ſunt, gymnaſium uetus in quo Athletas, priuſquàm in Olympiã deſcendant, omnia facere inſtitutum eſt, quæ ante certamen fieri mos ritusq; maiorum poſtulat. Intra maceriam in am- bitum curriculi, platani conſitæ ſunt. Septum illud Xy- ſtus ex eo appellatur, quòd Hercules Amphitryonis filius ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus ſe con firmans, ſentes omnes, qui pullularent eo in loco, uellere ac eradere ſit ſolitus. Aliud eſt ab hoc ſeiunctum curriculum, Sacrum incolæ appellant. Seorſum & illud eſt, in quo cur- ſores, & quinquertiones certamen meditantes, decurrũt. In gymnaſio locus eſt, quod uocant Plethrium. Area eſt iugeri unius amplitudine: in ea per ætates, & exercitationum gene ra ſorte ductos Athletas cõmittunt ludorum præfecti. Sunt & Deorũ in eo gymnaſio aræ, Herculis Idæi, Auxiliaris co gnomento, Cupidinis, et contrarij numinis, quem eodẽ Elei, quo Athenienſes nomine, Anterotem nuncupant: Cereris

etiam,

etiam,& filiæ. Achilli non ara, ſed inane monimentũ eſt ex oraculo dedicatum: ad illud Eleæ *matronæ, primis ludorum initijs, die ſtato, inclinante iam in ueſperum Sole, inter cæteros quos Achilli habent honores, ſolenni ritu pectus plangunt. Eſt & minor alius gymnaſij ambitus maiore contentus, ab ipſa figura quadrangulum nominãt: eo pro palæſtra utuntur ad exercitationes Athletæ: ibidem Athletas eos cõmittunt, qui cum à lucta iam uacationẽ habeant, loris colludunt mollioribus. Eſt eo in loco alterũ eorum ſignorũ poſitum, quæ de Soſandri Smyrnæi, &* Polyctoris Elei *multa dedicata fuere. Eſt et tertius gymnaſij ambitus, nomine* Mal*thò, à ſoli leuitate: patet hic puberibus per omne ludorum tempus. In eius angulo ſignum poſitum eſt* Herculis *extans humeris tenus: forma etiam unius de tænijs, quibus palæſtritæ utuntur. Cupido in ea &* Anteros *cælati ſunt: hic illi palmæ termitem de manibus extorquere conatur. In utraq; primi aditus parte, ad eum ambitum quem* Malthò *diximus appellari, ſtat effigies pugilis pueri: hunc, qui apud* Eleos *legibus conſeruandis præfectus eſt (*Nomophylax *dicitur) mihi narrauit, patria Alexandrinum fuiſſe, ab ea ſcilicet Alexandrea, quæ ſupra* Pharum *inſulam eſt, Sarapionem nomine.* Honorem *hunc ei habitum, quòd in ſumma annonæ caritate, ad ludos ueniens, magnum frumenti numerũ* Elidem *ſubportandum curarit. Huius in* Eleos *meriti, & acceptæ coronæ tempus, numeratur* Olympias *decimaſeptima ſupra ducenteſimam. In eodem hoc gymnaſio curiam ſuam habent* Elei, *& huc prodeunt qui uel ſubitæ uel meditatæ orationis cuiuſuis generis copiam profitentur:* Lalichmiũ *locus hic, de eius qui dedicauit nomine, uocatur. Affixa ſunt circunquaq; ſcuta, ad operis ornamentũ, nõ ad belli uſum. A gym-*

naſio ad lauacra tendentes, uia accipit quæ Silentij dicitur, & Dianæ Philomiracis, quod eſt ac ſi dicas, Adoleſcentulorum amicæ, templũ. Cognomen dea quidem ſumpſit à gymnaſij uicinitate. Viam uerò ex eo Silentij appellatum hominum ſermo prodidit, quòd ab Oxylo ſpeculatores miſsi ad exploranda hoſtium conſilia, mutuis in itinere cohortationibus uſi, cùm propius iam ad mœnia acceſsiſſent, uoce compreſſa, ſubauſcultando propugnatorum ſermones excipientes, per hanc ipſam uiam intra oppidum irrepſerunt: cognitis uerò & perſpectis quæ uolebant omnibus, impunè ad Aetolos redierunt. Ab hoc ſpeculatorũ ſilentio uiam nomen accepiſſe affirmãt. Exitus alius ad forum excurrit à gymnaſio, & ad comitiũ, quem Hellanodicæonen uocant. Eſt id ſupra Achillis tumulum. Hinc ludorũ præfectos, qui Hellanodicæ dicuntur, in gymnaſium uenire more maiorum traditum eſt. Et ante Solis quidem ortum curſores cõmittunt: dimidiato uerò iam die quinquertiones, & grauiora quæ uocant certamina. Forum autem Eleorũ non eadem eſt deſcriptione, qua Ionũ & Ionicarũ urbiũ fora, ſed antiquiore multò. Porticus modicis interuallis exædificatæ ſunt, ſemitis pluribus interſecantibus. Recenti certè nomine Hippodromus forũ ipſum appellatur, erudiũt enim hîc maximè equos indigenæ. Quæ porticus ad meridiẽ eſt, Doricã præ ſe fert deſcriptionem: eam trifariam columnæ diuidunt: ſtatio ea diurna eſt ludis præfectorum. Multas in ea porticu Ioui aras erigunt, & in aprica fori parte multæ item aræ ſunt: remouentur autem non magno utiq; negotio: ſunt enim tumultuario opere conſtructæ. Per hanc porticũ ad forũ accedenti, ad læuam, circa extremã porticus partẽ, eſt Hellanodicæon, medio calle à foro diuiſus. In eo perpetuos decem menſes habitant

tant ludorum præfecti, totumq́; illud tempus in cognoſcendo de legum conſeruatoribus, omniq́; agonali iure conſumunt. A *porticu ea, in qua ſtatio diurna eſt ludis præfectorum, aliam porticum callis unus diſiungit: eam porticum* Corcyraicā *nominant, ex eo nomine indito, quòd cùm* Corcyrenſes *ex* Eleo *agro, appulſis nauibus, prædam egiſſent, ipſi mox* Elei Corcyra *populationibus peruaſtata multis partibus plura domum reportarint, quàm quæ erepta fuerant.* De *prædæ itaq; decima porticum erectam prædicant.* Eſt *operis* Dorica *forma, duplici ſurgente columnarum ordine: eorũ unus ad forum, alter ad eas quæ ultra forum ſunt partes pertinet.* Mediæ *porticus lacunar non columnæ, ſed continens paries ſuſtinet, cuius tam aduerſa quàm auerſa pars incluſas habet imagines.* Ad *eam porticus partem quæ ad forum conuerſa eſt,* Pyrrhonis Piſtocratis *filij ſtatua cernitur* Sophiſtæ *hominis, in omni re atq; oratione aſſenſionem ſuſtinentis.* Eſt *uerò eiuſdem ſepulchrum non longè ab* Eleorum *mœnibus:* Saxum *locus appellatur, & priſcus hoc nomine fuiſſe dicitur* Eleorũ *uicus.* Habent Elei *in fori area ſub diuo hæc maximè inſignia opera.* Aedes *eſt* Apollinis Acesij: *hoc nimirũ cognominis nihil diuerſum ab* Auerruncatoris, *quod* Athenienſibus *numen eſt, ſignificare uideri poßit.* Alia *in parte* Solis *&* Lunæ *lapidea poſita ſunt ſigna: è* Lunæ *capite cornua, è* Solis *radij exiſtunt.* Suum *habent &* Gratiæ *templum: ſimulachra lignea ſunt, ueſte inaurata, facies, manus, & pedes è candido marmore: earum una roſam, talum altera, myrtũ tertia præfert.* Quæ *ſit inſigniũ ratio facilè conijciat, qui attenderit, roſam & item myrtum* Veneri *ſacram, quòd ſtirps utraq; eximiã habeat pulchritudinis ſpeciẽ:* Gratiæ *uerò* Veneri *præ cæteris dis attributæ*

ſunt. Talus quidem adoleſcentulorũ & uirginum luſionem ſignificat, quæ à natu grandioribus aliena, teneræ ætati non indecora eſt. Inſiſtit eidem baſi Cupido. Templum ibi Silenus habet, non ut multis in locis cum Libero Patre cõmune: ei Ebrietas uinum è poculo porrigit. Mortales uerò ortu Silenos eſſe, ex eo facilè cõijcias, quòd apud Hebræos & Pergamenos monſtrantur Silenorum ſepulchra. Nouam etiam quandam apud Eleos templi formam uidi. Modicæ eſt ædes altitudinis, ſine parietibus, tectum è quercu dolatis fulcientibus tibicinibus. Sepulchrum id eſſe inter omnes populares conuenit: ecquiſnam uerò in eo ſit conditus, non memorant. Quòd ſi uera ſenex quidam, quem ſum percontatus, mihi expoſuit, Oxyli eſſe monimentum ſtatuendum fuerit. In ipſo etiam foro ſedecim fœminarum (tot enim ſunt, & ſic appellantur) domus eſt, quæ Iunoni peplum contexunt. Continenti cum foro tractu coniungitur antiqua ædes circunquaq; porticibus incincta, tectum uetuſtate collapſum corruit, neq; inter ruinas reliquũ ullum ſignum eſt. Romanorum Imperatoribus fuit hæc olim ædes dedicata. Eſt autem ad poſticum eius porticus, quæ de manubijs Corcyræorum erecta fuit, Veneris ædes. Area tẽplo ſacrata, ſub diuo non longè abeſt. Quæ ibi colitur, Cœleſtem Venerem uocãt: eius ex ebore & auro ſignũ eſt, Phidiæ opus: altero quidem pede teſtudinem premit. Area ipſa maceria eſt circunſepta: intra maceriã crepido, ſuper qua Veneris, quã Popularem nominant, ſignum ex ære: capro inſidet ex eadem fabricato materia, Scopæ opus. Quæ uel teſtudinis, uel capri ratio ſit, quibus hæc perſcrutari curæ eſt, quærendum relinquo. Iam uerò Sumani ambitũ, & ædem (utrunq; enim Elei Sumano dedicarũt) ſemel quotannis aperiũt, neq; tunc introire cuiquam

quam præterquã ſacrificulo fas eſt. Soli omniũ ex cognitis gentibus Elei Ditem patrem ob huiuſmodi cauſam uenerantur. Cùm exercitũ ad Pylon, quæ in Elide eſt, oppugnandã Hercules adduxiſſet, opem ei ferente Minerua, præſtò etiam ſibi ad ferendum auxilium Sumanũ fuiſſe dicũt, quòd ei honores habuiſſent, ut qui in Herculẽ offenſiore animo eſſent. Teſtes uerò citant huius rei Homeri ex Iliade uerſus:

Pertulit & ſæuus uolucris mala uulnera teli
Dis pater illum tunc, cùm Ioue natus ad alta
Tecta Pyli miſerum cruciatu afflixit acerbo.

Quòd ſi belli Troiani temporibus, uti ab Homero traditum eſt, auxilio Græcis uenit Neptunus, non alienũ à uero uideri poßit ex eiuſdem poëtæ ſententia, Ditem etiam patrem Pylios ope ſua adiutos uoluiſſe. Elei igitur Sumano de ſe benemerito deo, quiq; eſſet in Herculem animo infenſißimo, ædem erexerũt, quam quotannis idcirco ſemel (uti mea fert opinio) recludunt, quòd ſemel ad inferos patet hominibus uia. Suum eſt etiam apud Eleos Fortunæ templum. In eius porticu eximia magnitudine ſignum dedicarunt, ligneum illud quidem, ſed inauratum undiq;, præter ſummas tamen manus & pedes, hæ enim partes è marmore ſunt. Decreti etiam in modica cella, ad Fortunæ læuã, Soſipolidi honores. Hunc deum ad ſimilitudinem pinxerũt imaginis cuiuſdam, quæ fuerat neſcio cui per nocturnũ in ſomnis uiſum obuerſata. Aetate puerili eſt, chlamyde amictus uaria, & ſtellata: præ ſe gerit manu altera copiæ cornu. In celeberrima urbis parte ſignũ ex ære erectum eſt, iuuenis nihilo magno homine procerior, facie impubi, pedem pede premens, utraq; manu haſtæ innixus: lanea eum ueſte, interdum lintea & byßina induunt: Neptunum eſſe autumant, qui cùm antè in Sa-

mico Triphyliæ coleretur, deportato Elidē ſigno, uel maiore multò in honore eſſe cœperit. Satrapen tamen ipſum non Neptunum uocant, accepto ſcilicet à finitimis Patrenſibus Satrapæ nomine. Eſt uerò Corybantis cognomen Satrapes. Inter forum & Dianium, theatrum eſt uetus cum templo Libero dedicatum. Deorum omniū unum maximè Liberum uenerantur Elei, & eum ſacri ſui, quam Thyan nominant, ad eum locum qui ſtadia ab urbe diſtat circiter octo, diem obire dictitāt. Nam cùm in ſacello lagænas tres inanes totidem ſacerdotes deponant, præſentibus & ciuibus & peregrinis, ſi quos fortè adeſſe contigerit, mox uerò templi fores uel ſacerdotes ipſi, uel alij, quib. curæ ſit huius rei periculū facere, ſuo quiſq; obſignant annulo, poſtremo uerò die agnitis ſignis ingreßi, uini plenas reperiunt lagænas. Hæc, uti à me cōmemorata ſunt, ex Eleis fide ſpectatiſſima uiri, & aliquot item exteri, ita ſe habere mihi ſanctè deierarunt: neq; enim res tulit ut ipſe adeſſem cùm ſolenne illud celebraretur. Ferūt etiam Andrij apud ſe per feſtos Liberi Patris dies, uinum quotannis ſponte ſua manare. Quòd ſi hæc, Græcis ut credamus, adduci poſſumus, nihil iam prohibet quin & quæcunq; Aethiopes, qui ſupra Syenem ſunt, de Solis menſa fabulantur, uera putemus. In arce Elidis Mineruæ ſignū eſt, auro & ebore fabricatum: Phidiæ aiunt opus fuiſſe. Inſiſtit deæ caßidi gallus gallinaceus, quòd (opinor) hæc eſt auis omnium pugnaciſſima: uel fortaſſe quòd Mineruæ, cui cognomen Ergane, ſacra eſt. Ab Elide Cyllenen ſpatium intereſt ſtadiûm XX. *Sita eſt Cyllene contra Siciliam, maritimis nauium appulſibus opportuno prædita portu. Nauale ea eſt Eleorum, ab Arcade uerò homine ſumpſit nomen. Et in delectu quidem Græcorum eam planè prætermiſit Homerus,*

merus,uerùm in operis progreſſu non diſsimulauit ſcire ſe Cyllenen oppidum eſſe:

Polydamas,datus eſt à quo Cyllenius orco,
Phylidæ ſocius,magnorum ductor Epeûm.

Cyllenæ duo ſunt deorum delubra,Aeſculapij unum, Veneris alterum. Mercurij quidem, quem egregiè incolæ eorum finium uenerantur, arrectum eſt ſuper baſi faſcinum. Eſt enimuero Eleorum ager & cæterà ferax, & byſſum educat feliciſsimè. Cannabem quidem,linum & byſſum ſerunt, quæ gentes idoneum ad hæc ferenda ſolum colunt: ſedenim quæ fila ad textrinam uſurpant Seres, ea nulla è ſtirpe ſunt.Naſcitur in eorum terra uermis,quem Serem Græci, ipſi longè alio appellant nomine: magnitudine eſt id inſectum dupla maximi ſcarabæi, cæterà araneo ſimillimum: hoc Seres accuratè nutriunt, cellas illis cùm æſtiuas, tum hybernas aptè fabricantes: pedibus (habet uerò octo, quot & aranea) ſub arboribus textile opus facit. Annos fermè quatuor panico alitur: quinto demum (neq; enim longior contingit uita) uiridem apponunt arundinem, quo pabulo beſtiola illa maximè delectatur: eo ſatur ſagina rumpitur. Educunt inde è uiſceribus ſtaminum uolumina. Satis conſtat Seriam inſulam ſitam in Rubri maris receſſu.Audiui uerò qui dicerent,Serem amnem inſulam illam facere,non aliter quàm Nilus eam cui Delta nomen: neq; enim mari ulla ex parte incingi. Qui inſulam hanc, quiq; proximas Abuſan & Sacæan colunt, uno Aethiopum nomine cenſentur: etſi non deſunt qui non Aethiopas,ſed Scythas Indis permiſtos eſſe eos dicant. Sed hæc hactenus.Quà uerò in Achaiam ex Elide iter eſt, ſtadiûm circiter centum & quinquaginta ſeptem,uia ad fluuiũ Lariſum ducit. Et hi quidem

fines ætate noſtra ſunt inter Achaicum & Eliacum agrum: priſcis enim temporibus utriuſq; gentis terminus fuit Araxus promontorium.

PAVSANIAE ACHAICA, SIVE LIBER SEPTIMVS.

Væ terra inter Eleos & Sicyonios media ad mare Orientẽ uerſus excurrit, Achaia hoc tempore dicitur: priſco nomine Aegialus appellabatur, & incolæ Aegialenſes nominati, ab Aegialeo Sicyoniæ rege, ipſi dicunt Sicyonij. Alij à regionis ſitu, quæ Aegiali tota, hoc eſt, litoris formã habet. Iam uerò Hellene mortuo, Xuthum reliqui Hellenis filij è Theſſalia eijciunt, eo nempe crimine, quòd paternam ſibi ſolus pecuniam uindicaſſet. Is cùm Athenas cõfugiſſet, ab Erechtheo dignus eſt habitus cui filiã deſponderet, è qua Achæus & Ion nati. Mox cùm è uita diſceßiſſet Erechtheus, eius filijs de regno dißidentibus, diſceptator Xuthus fuit, qui cùm Cecropi natu maximo regnũ adiudicaſſet, eum alij Erechthei filij è finibus exegerunt: quare cùm in Aegialũ migraſſet, ibiq; ſedẽ cõſtituiſſet ſuam, ibidem etiã è uita exceßit. E filijs Achæus, aſſumptis ex Aegialo & Athenis auxilijs, in Theſſaliam ueniens paternum recepit imperium. At Ion cùm bellum eſſet Aegialenſibus & eorũ regi Selinunti illaturus, per legatos ei Selinûs unicam filiam Helicen deſpondit, ſibiq; eum adoptionis iure filium fecit: quod cùm Ioni ex animi ſententia eueniſſet, & Selinunti in imperium ſucceßit, & à ſe conditã urbem uxoris ſuæ de nomine Helicen nominauit. Gentem ipſam

ipſam Ionas nuncupauit: manſit tamen priſcum regioni nomen, quod Homerus in delectu Agamemnonis copiarum, uerſu illo teſtatum reliquit:

Aegialon, lataq́; Helicen tellure iacentem.

Ionem Aegialenſibus imperantem, Athenienſes belli contra Eleuſinios gerendi ducem delegerunt: qui cùm diem in Attica obiſſet ſuum, in Potamiorum curia (ubi eius extat monimentum) ſepultus eſt. Manſit penes Ionis poſteros imperiũ, uſquedũ ab Achæis, quos & ipſos Lacedæmonij tunc, & Argis Dorienſes exegerant, regno ſpoliati, cum uniuerſo populo profugerũt. Quæ autẽ inter Ionas & Achæos geſta ſint bella mox exponã, cùm docuero quæ res effecerit, ut ſoli Lacedæmonij & Argiui ante Dorienſiũ reditum, ex omnibus Peloponneſi incolis Achæi ſint appellati. Archander et Architeles Achæi filij è Phthiotide Argos cõmigrarunt. Is Danaus filias duas nuptũ dedit, Architeli Autonomen, Scæã Archandro. Et Argos quidẽ illos ueniſſe argumẽto eſſe poteſt, quòd filio Archander nomen impoſuit Metanaſtæ, quod perinde eſt ac ſi profugo dixeris. Cõfirmato autẽ imperio obtinuit uſus, ut ab Achæi liberis communi nomine Achæi tam Lacedæmonij quàm Argiui, proprio Danai ſoli Argiui appellarentur. Mox ijdem à Dorienſibus Argis et Lacedæmone pulſi, certis cõditionibus in domicilij partẽ ab Ionibus et Tiſameno Oreſtis filio eorum rege, ſine ullo belli certamine recepti ſunt. Ibi Ionũ ducibus inceſſit ſuſpicio, ne uterq; populus iam in unum cõueniens regẽ ſibi cùm ob uirtutis, tum ob generis claritatẽ Tiſamenum declararẽt. Verùm cùm in ea re Achæis minimè aſſentirentur Iones, res ad arma deducta eſt, et Tiſamenus quidem in prælio occubuit: Ionas uerò Achæi Helicen, quò ſe illi è fuga receperãt, perſecuti, abire

eos impunè ex pacto cōuento ſluerunt. Tiſameni ſanè cadauer, cū Achæi Helice ſepeliſſēt, Lacedæmonij, Delphici oraculi monitu, eius oſſa Sparten deportarunt, & hoc ipſo tempore monſtratur Tiſameni ſepulchrū, quo loco epulū celebrant Lacedæmonij, quæ Phiditia nuncupāt. Cùm ueniſſent in Atticā Iones, ab Athenienſibus, rege ſuo Melātho Andropompi filio autore, in ciuitatem recepti ſunt. Ionis, & eo duce rerum belli geſtarū memoria tantùm ualuit. Traditū etiā eſt, nō tam priſtinæ amicitiæ gratia, quàm Dorienſium metu receptos, quòd ſcilicet ueriti Athenienſes, ne ſe illi armis laceſſerent, auxilia quæſiſſent. Non multis pòſt annis, cùm Medon et Neleus Codri filij de regno diſſiderent, negaretq; Neleus regnum ſe Medontis ferre poſſe, qui pede altero claudicaret: rei cognitione Delphico oraculo permiſſa, reſpondit uates, deberi Medonti Athenienſiū regnū. Dimiſſi itaq; in coloniam Neleus, alijq; Codri filij, & ex Athenienſibus quicunq; nomina dediſſent, & multò maximam Ionū manū abduxerunt. Tertia fuit hæc colonia, quæ extero duce, & extera multitudine deducta eſt. Multis enim antè ætatibus Herculis fratris filius Iolaus Thebanus, Athenienſes ac Theſpienſes in Sardiniam deduxit. Vno uerò ſeculo priuſquàm Iones Athenis proficiſcerentur, Lacedæmonios et Minyas è Lemno à Pelaſgo eiectos, Theras Thebanus, Auteſionis filius, in eam inſulam deduxit, quæ cùm antea Calliſte appellaretur, ab eo Thera uocata eſt. Tertiam deduxere coloniam Codri filij, cùm nulla eſſet illis cum Ionibus propinquitas: paterno ſiquidē genere & auito à Codro & Melantho è Pylo Meſſenij, materno Athenienſes fuere. Contribuerunt in eam ſe coloniam Ionibus è Græciæ populis Thebani primùm, Philotam ſecuti Penelei nepotem: ex Orchomenijs

Minyæ,

Minyæ, ob Codri liberûm cognationem. Phocenſes præterea exceptis Delphis, Abantes etiam ex Eubœa, Phocenſibus naues ad tranſmittendum dederunt: & ipſi claßis duces extitere Philogenes & Damon Athenienſes, Euctemonis filij. Hi omnes cùm in Aſiam appuliſſent, alios alij fines occuparunt. Neleus cum ſua manu Miletum tenuit. Mileſij ſanè ipſi de ſuis originibus hæc cõmemorant. Iam tum ab initio Anactoriam fuiſſe totam eam regionem nominatam, à rege Anacte indigena, & Aſterio Anactis filio. Cretenſium uerò claſſe Mileto duce in eam oram appulſa, urbi & agro ab eo nomen immutatum. Veniſſe è Creta Miletum cum factione ſua, cùm Minoëm regem Europæ filium fugeret. Incolebant Cares eam Aſiæ partẽ: ab ijs Cretenſes in domicilij ſocietatem recepti. Occupata uerò ab Ionibus Mileto, mares omnes interfecti, præter eos qui capta urbe fuga ſibi ſalutẽ quæſiere. Illorum coniuges & filias, uictores uxores duxerunt. Nelei quidem ſepulchrum non longè à portis eſt, ad læuam eius uiæ quà Didymos iter. Apollinis certè quod Didymis templum eſt, & oraculum, multò ante Ionum cõmigrationem conditum fuit. Quin & Epheſiæ Dianæ fanũ iam celebre erat antequàm uenirent in ea loca Iones: neque tamẽ Pindaro nota de eo templo fuiſſe omnia exiſtimo, cùm uerſibus prodidit, ab Amazonibus bellũ Theſeo Athenienſium duci inferentibus conditum. Mouentes illæ quidem à Thermodonte, deæ ſacrum fecere, cùm & Herculem fugientes, & multò antè Liberum Patrem, quo loco templum eſſet, quæ ſupplices eò confugerant, didiciſſent. Ipſæ tamen eius operis autores neutiquam fuere. Crœſus enim homo indigena, & Epheſus, quẽ Cayſtri fluminis filiũ fuiſſe cenſent, templum erexerunt. Et ab Epheſo quidem ipſa etiã urbs no

men accepit.Incolebant tunc eam orã Leleges Carici nominis,& Lydorum pars magna.Conſederant uerò in ſacro & ſancto templi ſolo deprecandi cauſa, cùm aliud hominum genus, tum Amazonici nominis fœminæ. Androclus quidem Codri filius,Ionum,qui Epheſum uenerant,dux,Lelegas & Lydos in ſuperiore urbis parte habitantes eiecit: Sacræ uerò areæ inquilini fœdere cum Ionibus icto, omni belli metu caruerunt. Samijs etiam Samon Androclus ademit,eamq; inſulam ad quoddam tempus poſſederunt Epheſij, & omnis ea populorum uicinia. Atenim cùm priſtinas recepiſſent Samij ſedes, Prienenſibus cõtra Caras auxiliũ tulit Androclus: cumq; Græci è prælio uictores diſceſſiſſent, ipſe in pugna cecidit. Eius cadauer ſublatum Epheſij ſepulturæ intra fines ſuos mandarũt. Oſtenditur Androcli ſepulchrum hac ætate in uia, quæ eſt inter Dianæ & Olympij Iouis, media ad portã Magnetidẽ. Inſigne ſepulchri eſt uir armatus.Iones poſtea Myunte & Priene colonijs deductis,Caras & ipſi finibus exegerunt ſuis:& Myûs quidem Cyareto Codri filio prouincia obtigit: Prienes deducendæ Ionibus permiſti Thebani,Philotan Penelei nepotem,& Aegyptum Nelei filium duces habuerunt. Et Prienenſes ſanè à Tabute prius homine Perſa,deinde ab Hierone ciue ſuo maximis affecti calamitatibus, ad Ionas deſciuere. At Myuntẽ oppidani, eo quem iam exponam caſu, urbem deſerere coacti ſunt. Paruus fuit in agro Myuſio ad mare ſinus, quẽ Meander fluuius aquarũ impetu latè ſummotis ripis, & oblimato oſtio, ſtagnum reddidit:excluſis itaq; marinis aquis,tanta repentè coorta eſt è palude culicũ uis, ut ea lue uicti homines, rebus omnibus ſuis, deorum etiam ſignis aſportatis Miletũ migrarint.Mea certè ætate Myunte nihil extat memoratu dignũ,

præter

præter Liberi templum è candido lapide. Eadē uerò calamitas quæ Myuntem deleuit, Atarnitis, qui infra Pergamum ſunt, exitio fuit. Colophonij, quod Clari eſt Apollinis templum, & oraculum ipſa antiquitate ſanctiſſimū ducunt. Tenentibus enim eos fines Caribus, ueniſſe primos è Græcia Cretas memorant: Rhacium coloniæ ducem fuiſſe, & eum quidem collecta undecunque multitudine, eam oram quô præualida appulerat claſſe occupaſſe, cùm incolerent etiamnum Cares magnam eius regionis partem. Thebas uerò cùm Therſander Polynicis filius & Argiui cepiſſent, inter captiuos Delphos abducta eſt ad Apollinem Mantò, cùm eius pater Tireſias in uia ad Haliartum diem obijſſet ſuum. Ii captiui, cùm iuſſiſſet oraculum coloniam capeſſere, nauibus in Aſiam trāſmiſere. Ad Claron expoſitis, Cretenſes armati accurrêre, à quibus ad Rhacium deducti illi ſunt. Is cùm ex puellæ oratione, & qui eſſent, & quæ fuiſſet in Aſiam ueniendi cauſa, cognouiſſet, Mantò, in domicilij ſocietatē eius comitatu recepto, uxorē duxit. Rhacij ſatu è Mantoë ortus Mopſus, Lelegas omnes è ditionis ſuæ finibus eiecit. At Iones icto cum Græcis, qui Colophone conſederant, fœdere, æquabili cum illis iure ciuitate eadem fruebantur. Regnum Ionum penes Damaſichthonem & Promethum Codri filios fuit. Promethus autem poſt hæc Damaſichthone fratre occiſo, in inſulam Naxum effugit, ibiq; diem ſuum obijt. Eius oſſa Damaſichthonis filij domum reportata recepere: extat in uico, cui Polytichides nomen, Promethi ſepulchrū. De Colophoniorum uerò excidio tunc egimus, cùm Lyſimachi res geſtas perſequeremur. Ex omnibus autem Aſiæ inquilinis cum Lyſimacho & Macedonibus bellarunt Colophonij. Extat commune Colophoniorum et Smyrnæorum,

qui in prælijs ceciderunt, ſepulchrum, aduiæ læuã quà Claron iter eſt. Lebediorum urbem euertit ſanè Lyſimachus, non aliam ob cauſam, quàm ut profugorum acceſſione creſceret Epheſiorum ciuitas. Eſt uerò ager inſigni fœcunditate, & calidarum in eo ſunt aquarum balneæ, & plurimæ, & corporibus ſuauiſſimæ. Lebedon initiò Cares tenuerunt, quos poſtea Andræmon Codri filius, Ionum dux, expulit. Eſt Andræmonis ſepulchrum ad militaris uiæ læuam Colophone diſcedentibus in ulteriore Calaontis amnis ripa. Teon Orchomenij deduxere, Minyæ duce Athamante in ea loca profecti. Fuiſſe hic Athamas dicitur Athamantis eius nepos, quem Aeolus genuit. In hac etiam ciuitate permiſti Græcis Cares cõſtitere. Taon quidem Ionas in coloniã deduxit Melanthi abnepos, neq; grauius omnino quicquã in Orchomenios & Teios conſuluit. Non multis pòſt annis eôdem inquilini deducti ſunt Athenis & ex Bœotia. Atticæ coloniæ Damaſus & Naoclus Codri filij, Bœoticæ Geres Bœotius duces fuere. Vtranq; gentẽ priores inquilini cum uetere duce ſuo haud grauatè acceperunt. Erythræi origines ſuas ad Erythrum referunt Rhadamanthis filium, à quo ſe Creta deductos memorant, & urbi à duce nomen impoſitum, cùm illam antè unà cum Cretenſibus Lycij, Cares, & Pamphylij tenerent: Lycij quidem ob Cretenſium conſanguinitatem: oriundi enim è Creta Lycij fuere, ab ijs ſcilicet qui cum Sarpedone profugerunt: Cares uerò propter ueterem cum Minoë amicitiam: & Pamphylij, quòd genere Græcos attingerent: ex eo nanq; hominum numero fuere, qui exciſo Ilio cum Calchante errarunt. Cùm omnes, quos enumeraui, populi Erythras incolerent, Cleopus Codri filius congregata ex Ioniæ urbibus eorum manu qui

nomi-

nomina in coloniam dediſſent, cum Erythræis eos mœnium cōmunione coniunxit. Clazomenij ſanè & Phocaēnſes, ante Ionum in Aſiam aduentum urbem planè nullam habuere. Ionum primùm pars poſt diutinos errores, accepto à Colophonijs Garphōro duce, oppidum ad Idam montem condiderunt: quo poſtea relicto, in Ioniam reuerſi, Scyppium in Colophoniorum finibus condiderunt: mox & inde migrantes, in ea, quam nunc colunt, regione conſederunt, oppidumq́; in continenti Clazomenas muniērunt: ſedenim Perſarum terrore in inſulam è regione ſitam tranſmiſerunt. Cogitabat Alexander Philippi filius, Clazomenas, ducto à continenti ſolo ad inſulam aggere, in peninſulæ formam redigere. Fuerunt autem magna Clazomeniorum pars non Iones, ſed Cleonæi, & Phliaſij, quotcunq; ſcilicet Dorienſibus poſtliminio in Peloponneſum reuerſis, ultro ſolum uertêre. Phocaēnſes ab ea nempe Phocide genus ducunt, quæ ad Parnaſſum montem eſt: Philogenem hi & Damonem ſecuti Athenienſium duces, in Aſiam traiecerunt, agro non armis, ſed Cumæorum conceſſu certis conditionibus potiti. Eos cùm Iones in concilij ſui communionem, quod Pamonium appellant, non admitterent, niſi reges è Codri genere creaſſent, ab Erythris & Teo Oeten, Periclum & Abartum accerſierunt. In ipſis uerò contra Aſiam inſulis ciuitates Ionum ſunt, Samus ſupra Mycalen, & Chius ex aduerſo Mimantis. Aſius filius Amphiptolemi Samius carminibus mandauit, Phœnici ex Perimeda genitas Aſtypalæan, & Europen. Neptuni ſatu ex Aſtypalæa natum filium Ancæum: hunc populis, qui Leleges dicebantur, imperaſſe, & amnis Mæandri filiam Samiam uxorem duxiſſe, quæ ei Perilaum, Enadum, Samum,

Alitherſen, & inſuper Parthenopen filiam peperit. E Parthenope Ancæi filia Apollini Lycomeden genitum. Hæc uerſibus teſtatus eſt Aſius. Ac eo quidem tempore qui inſulam incolebant, ui potius coacti, quàm beneuolentia adducti, in penatium ſuorum ſocietate Ionas receperunt. Fuit Ionum dux Procles Pityrei filius, et ipſe Epidaurius, & qui magnũ Epidauriorũ numerũ deducebat, eiectos nempe ex Epidauria terra à Deiphonte & Argiuis. Genus Procles ducebat ab Ione Xuthi filio. Huius filio Leogoro bellum intulerunt Epheſij, duce Androclo, cùm patri in Samiorũ regnum ſucceßiſſet: & prælio quidem uictos extra inſulã Samios expulerunt, crimini illud dantes, quòd cum Caribus de bello Ionibus inferendo cõſilia agitaſſent. Profugorum è Samo pars in Thraciæ inſulam è regione Dardaniæ, quæ duplicato nomine eſt poſtea Samothrace nuncupata, coloniam deduxere. At qui Leogorum ſecuti ſunt, ij ad Anæan in aduerſa continenti terra caſtellum permunierunt: unde decimo pòſt anno Samum adorti, pulſis Epheſijs, inſulam receperunt. Fanum Iunonis quod Sami eſt, ſunt qui dicant Argonautas ipſos dedicaſſe, illuc ſigno deæ Argis deuecto. Enimuero Samij ipſi, natam tradunt in ea inſula ad flumen Imbraſum Iunonem, ſub uitice, quæ hac ipſa ætate in Iunonis ſacro ſolo oſtenditur. Eſſe uerò templum maximè priſcum ex ipſo ſimulachro facilè conijci poßit: eſt enim Smilidis Aeginetæ Euclidis filij opus. Fuit Smilis Dædalo æqualis ætate, gloria multò inferior: nam Dædalus, cùm è regia ſtirpe, eius gentis qui Metionidæ ſunt appellati, Athenis ortum duceret, non magis artis præſtantia, quàm erroribus & caſuum uarietate, multa fuit apud omnes gentes nominis celebritate. Is enim quum occiſo ſororis filio, quam patrijs legibus no-

bus noxam meruiſſet, probè noſſet, in Cretam ad Minoëm confugit, ubi & regi ipſi, & eius filiabus miri operis ſigna fecit, ſicuti Homerus *in* Iliade *memoriæ prodidit.* Verùm po*ſtea à* Minoë *capitalis fraudis damnatus, & è uinculis cum filio elapſus,* Inycum *(ea* Siciliæ *urbs erat) euaſit ad regem* Cocalum. *Et ea fuit* Siculis *cum* Minoë *bellandi cauſa, quòd poſcente* Minoë Dædalũ *ſibi dedi,* Cocalus *recuſaſſet.* In tan*to uerò ob artis excellentiam apud* Cocali *filias honore fuit, ut de nece* Minoi *inferenda conſiliũ inierint.* Neq; *uerò quicquam fuit* Dædali *fama uel in* Sicilia, *uel in* Italia *illis temporibus clarius.* At Smilis *nuſpiam apud alias gentes quàm* Samios & Eleos *peregrinatus eſt, quod ſit memoriæ proditũ.* Samijs *certè* Smilis Iunonis *ſignũ fecit.* Ion *uerò* Tragœdia*rum ſcriptor hiſtoriarum monimentis mandauit,* Neptunũ *in deſertam aliquando inſulam ueniſſe: in ea cognitã ab ipſo* Nympham *quandam, & ea parturiente repentè multam è cœlo niuem effuſam, à quo rei euentu nomen filio* Chius *impoſitum fuerit. Eundem ex alia quadam* Nympha *filios* Angelum & Melana *ſuſcepiſſe.* Oenopionem *poſtea è* Creta *in* Chion *inſulam appuliſſe, & cum eo unà filios,* Talum, Euanthen, Melana, Salagum & Athamantẽ. Oenopione *regnante,* Caras & Abantas *eòdem ueniſſe: ſucceſſiſſe deinde in regnum* Oenopioni & *filijs* Amphiclum *aduenam hominem ab* Eſtiæa Eubœæ, *ex* Apollinis Delphici *oraculo.* Fuit Amphicli *abnepos* Hector: *is regno inito, cum* Caribus *et* Abantibus *inſulæ inquilinis bellauit, & eorum parte iuſto prælio fuſa, reliquos in deditionem acceptos à ſedibus ſuis expulit. compoſitis demum rebus in memoriam* Hectori *rediit, commune ſacrum fieri à ſe oportere cum uniuerſo* Ionũ *conuentu, & ab eodem conuentu tripodem illi ferunt uirtutis præ-*

mium delatum. Hæc Ionem tradidiſſe comperi, cùm cauſam tamen ille non expoſuerit, quamobrem cum Ionibus cœpti fuerint Chij cenſeri. Iam uerò Smyrna, cùm una eſſet de duodecim Aeolenſium urbibus, tamq́; frequens, quàm nunc eſt, tota eſſet regio, Iones è Colophone profecti, urbem quã Archæan, id eſt, priſcam nominãt, Aeolenſibus ademerunt. Inſequentibus deinde temporibus, concilij ſui ius cum Smyrnæis Iones cõmunicarũt. Huius uerò, quæ nunc extat, urbis cõditor extitit Alexander Philippi filius, per uiſum in quiete, ut id faceret, monitus. Venationibus enim intentũm Alexandrum in Pago monte, eo ipſo quo erat ornatu, ad Nemeſium fanum acceßiſſe tradunt: cùm uerò ad fontem ſub platano proximis aquis irrigua ſomnum caperet, obuerſatas in ſomnijs Nemeſes mandaſſe, ut eo in loco urbem conderet, atq; ut eò Smyrnæos deduceret: miſſos tunc Claron conſultores à Smyrnæis de ſumma rerum, quibus talis fuerit è templi penetralibus reddita uox:

Ter q́; quater q́; uiris aderit ſors læta beatis,
Vlteriora colent ſacri qui rura Meletis.

Facilè itaq; ſe deduci Smyrnæi paßi ſunt. Ac Nemeſes quidem plures, non unam tantùm uenerantur, & earum matrem Noctem perhibent: ſicuti Athenienſes eius, quã Rhamnunte eodem nomine colunt deæ, Oceanum patrem eſſe dictitant. Ionũ terra cœli clementia fruitur plurima. Templa in ea ſpectantur qualia non facilè alibi. Præſtat magnitudine & opulentia Dianæ Epheſiæ: proxima duo nõ perfecta illa quidem Apollinis, alterum in Mileſiorum finibus, Branchidæ, Colophone alterum Clarij. Duo Perſarum furor in eadem Ionia exußit, Sami Iunonis, ad Phocæan Mineruæ: utrunq; fanum igni corruptũ cum admiratione tamen ſpectatur.

ctatur.Erythris prætered Herculis, et Priene Mineruæ delubra magna cum uoluptate uiſas,hoc certè propter deæ ſignum,illud ob uetuſtatem.Ipſum ſanè ſimulachrum, non ijs quæ Aeginea uocantur, non Atticis, non poſtremò Aegyptijs,uel alijs quibuſuis elaboratè factis, conſimile eſt: in lignorum rate inſertus eſt Deus, uti è Tyro Phœnices, mari delatum, neq; qua tamen cauſa id acciderit, memorant Erythræi. Satis conſtat eam ratem per Ionij pelagus appulſam, primùm ad Heram, quæ Media appellatur, quòd ſcilicet è portu Erythræorum Chion ſoluentibus propémodum media eſt. Cùm iam terram attigiſſet, conſpecto ſigno, ſummis uiribus Iones & Chios certatim ad ſe illud pertrahere conatos. Erythræus poſtremò quidam, cui è mari & piſcatu uictus fuerat, ſed ex morbo erat oculis captus (nomen ei uiro Phormio fuit) quod per ſomnũ moneri ſibi uiſus fuerat, expoſuit, oportere Erythræorum fœminas comas tondere, è capillo earum ſi uiri funes contexuiſſent, non difficulter quô uellent ratem pertracturos. Ei ſomnio ut obtemperarent cùm ciues fœminæ in animum ſibi non inducerent,è Thracia mulieres, quæ uoluntaria ſeruitute, ingenuæ ortu cùm eſſent,uictum ſibi apud Erythræos quæritabant,ſe tondendas præbuerunt:quare iam rate potiti Erythræi,edixerunt ſolis è Thracia mulieribus in Herculis fanum introire ut liceret. Oſtendunt autem funiculum illum è comis, hac etiam ætate, à ſe diligenter conſeruatum: et piſcatorem illum oculorum calamitate liberatum, in reliquum omne uitæ tempus oculis probè uſum affirmant. Eſt Erythris ædes Poliadis Mineruæ, cuius è ligno ſimulachrum eximia magnitudine in ſolio ſedens,utraq; manu colum tenet,capite polum geſtat. Opus hoc fuiſſe Endæi & alijs argumentis

coniecimus, tum ex toto ſimulachri opificio, tum uerò maximè ex Gratiarum & Horarum ſignis, quæ ante aduentum illuc meum è candido lapide ſub diuo poſita fuerant. Smyrnæi Aeſculapij delubrum exædificatū ætate mea habuerunt inter montem, quem Coryphen, id eſt, Verticē, nuncupant, & alienæ aquæ impermiſtum mare. Ionia ipſa, præter templorum magnificentiam ac cœli ſalubritatem, multa habet quæ literis mandentur digniſſima. Epheſius ager Cenchriū amnem, Pionis montis, id eſt, Pinguis, fertilitatē, & fontem Alitæam, quæ meritò celebrentur habet. In Mileſiorum finibus Biblis fons, ad quem ea contigerunt, quæ ſunt de Biblidis amore olim decantata. Apud Colophonios lucus uiſitur Apollinis, fraxinis condenſus. Ab eo non longè fluuius Ales Ionicorum amnium frigidiſſimus, Lebediorū balneæ hominibus admirandæ, æquè ac ſalubres. Sua ſunt Teijs lauacra in monte Macria, partim illaborata è cauernoſo ſaxo erumpentibus aquis, partim ad opum oſtentationem exornata. Habent & Clazomenij lauacra, ad ea Agamemnon colitur, ubi antrum eſt Nymphæ, quæ Pyrrhi mater dicitur. Vulgatus eſt apud eos de Pyrrho paſtore ſermo. In Erythræis eſt Chalcitis regio, à qua tertia ipſorum tribus nominatur. Porrigit ſe inde in pelagus promontorium, in quo marinarum aquarū ſcatebræ balneas edunt omnium quæ in Ionia ſunt ægris maximè utiles. Apud Smyrnæos longè pulcherrimus eſt amnis Meles: ad eius caput antrū, in quo Homerū tradunt carmina ſua feciſſe. In Chijs eſt Oenopionis ſepulchrum, & opere ipſo, & ob rerum ab Oenopione geſtarū prædicationem ſpectandum. Sami in uia quæ Iunonis ducit, Rhadines & Leontichi ſepulchrū eſt, ad quod uota nuncupare ſolenne eſt Ionibus, quoties acri ſe amore affectos ſenſerint.

ſcrint. Sunt uerò rerum miracula in Ionia quamplurima, & haud multò pauciora, quàm in reliqua cuncta Græcia. Sed ut ad prima redeam, poſt Ionum profectionem, Achæi eorũ fines inter ſe diuiſerũt, diſpertito in duodecim urbes regno: ſunt uerò eæ urbes apud uniuerſos Græcos notæ et illuſtres. Prima omniũ Dyme ab Elide abeuntibus, tum Olenos, Pharæ, Tritia, Ripes, Thaſium, Cecyrina, Bura, Helice, Aegæ, Aegira, Pallene, ad Sicyoniorũ fines omniũ poſtrema. In his domicilia ſua cõſtituerant Achæi, cùm antè Iones eas incolerent. Primæ Achæorum imperij partes fuere penes Tiſameni filios, Dæmenen, Spartonem, Tellen, & Leontomenen: nam eorum natu maximus Cometes multò antè in Aſiam tranſmiſerat. Hi nempe quos enumeraui, & præterea Damaſias Pentilo Oreſtis filio genitus, Tiſameni liberûm patruelis, ſummæ rerum præfuerunt, æquo tamen in regno iure fuere à Lacedæmone profecti, & ipſi Achaici nominis Preugenes, & eius filius cui nomẽ Patreus: ei urbem Achæi aßignarunt, quæ à rege poſtea ſuo Patræ nominata eſt. De rebus bellicis Achæorũ hæc memorari poſſunt. Troicis temporibus Achæi, cùm eſſent eorum in poteſtate Sparta & Argos, Græci nominis pars maxima fuere. Perſis uerò cum Xerſe in Græciam inuadentibus, neq; Leonidæ ad Thermopylas, neq; Themiſtocli Athenienſium imperatori inter Eubœan & Salaminem claſſe prælianti, præſtò Achæi fuere: neq; enim ulla uel in Athenienſium, uel in Lacedæmoniorũ delectu, eſt eorum facta mentio. Quin & ad Platæas pugnæ tempus non obiere: quare in Græcorum cõmunibus donarijs, quæ Olympiæ ſunt, Achæorum nomen nuſpiam inſcriptum fuit. Eos ego exiſtimo patriam ſuam quoſq; tutari uoluiſſe. Simul etiam Troica uictoria elati Dorienſes, Lacedæ-

monijs parêre indignum ducebant, quod apertè longo pòſt tempore declararunt. Armis enim cùm de Græciæ imperio decernerent Lacedæmonij & Athenienſes, alacriter tulere auxilium Patrenſibus Achæi: ijdemq; animo fuere et ſententia in Atheniẽſes multò propenſiore. Cõmunibus uerò Græcorum expeditionibus neutiquã poſtea defuerunt: nam ad Chæroneam contra Philippum in acie ſtetere. Fatentur tamen idcirco ſe in Theſſaliam non mouiſſe, & prælio ad Lamon inito non interfuiſſe, quòd nõdum à Bœotica clade res ſuæ ſibi ſatis placerent. At omnis antiquitatis inter Patrenſes uirum conſultiſſimum mihi narrare memini, ex omnibus Achæis unum Chilonem palæſtritam priuatim ad Lamiam in certamen prodiſſe. Et ipſe ſatis ſcio Lydum hominem Adraſtum priuatis opibus & conſilio Græcos iuuiſſe. Huic Adraſto ſtatuam ex ære poſuere Lydi ante Dianæ Perſicæ ædem, addita inſcriptione, oppetiſſe mortẽ Adraſtum pro Græcis contra Leonnatum prælantem. Thermopylarum autem ſaltum iam ſuperantibus Gallis, non Achæi ſoli, ſed uniuerſi Peloponneſij occurrendum ſibi non putarũt. Nam cùm nullam omnino claſſem haberent Barbari, ſatis aduerſus eos magnũ ſe præſidium habituros ſperarunt, modò ut Corinthiacum Iſthmum, quantum inter utrunque mare à Lechæo promontorio ad Cenchræas intereſt, permuniſſent. Fuit hæc tunc cõmunis omnium Peloponneſiorum ſententia. Poſtea uerò quàm Galli nauigijs undecunq; contractis in Aſiam tranſierunt, tam grauiter ſunt uarijs acciſæ caſibus Græcorum res, ut nulla ſibi ciuitas poſſet aliarum imperium uindicare. Lacedæmonijs enim cùm Leuctrica clades, tum Arcadum in unicam ciuitatem (quæ Megalopolis fuit) conuentus, & Meſſeniorum uicinitas, quo minus pri

ſtinas

ſtinas uires reciperent, obſtiterunt. Thebanos adeò urbe ipſa euerſa afflixit Alexander, ut ne à Caſandro quidē reſtituti, quæ tamen amiſerant recuperare potuerint. Iam Athenienſibus Græcorū certè beneuolentia ex rerum geſtarū memoria non defuit: ſed nullo unquam tempore fuit à Macedonū armis ſecuritas. Quare ijs temporibus, cùm non in cōmune conſulerent Græci, ſed ſuum quiq; negocium agerent, non erant qui opibus cum Achæis conferri poſſent. Eorum enim omnes ciuitates, una excepta Pellene, nullo à multis retro annis deuinctæ fuerant tyrannorū dominatu. Porrò leuius etiā multò quàm alias Græciæ partes, uel bellorū impetus, uel peſtilentiæ acerbitas Achaiam uexarat. Nihil itaq; aut concilium, quod Achaicum uocabatur, aut quæ domi foriſq; geri oportebat, intermittebantur. Ac tunc quidem conuentum omnium ciuitatum Aegium edici placuit, quòd deleta eluuionibus Helice, iam tum ab initio cæteris Achaicis ciuitatibus hæc dignatione & opibus præſtabat. Ex alijs uerò Græcis primi omnium in eius concilij cenſum uenere Sicyonij: poſt eos & alij è Peloponneſo uel ſtatim, uel certè aliquandiu cunctati ſe Achiuis contribuerunt. Multos etiā ex ijs qui extra Iſthmum erant, in concilij ſocietatem acciuerunt ſecundi Achiuorum progreſſus, cùm eos in dies uiderent meliore uti fortuna. Soli Græcorum Lacedæmonij, & offenſioribus ſemper animis in Achæos fuerunt, & poſtremò apertè etiam contra eos arma ceperunt. Sed enim cùm Pellenem Achæorum urbem Agis Eudamidæ filius ui cepiſſet, mox inde ab Arato Sicyoniorum duce eiectus eſt. Cleomenes deinde Leonida Cleonymi filio genitus, ex altera quàm fuit Agis regia ſtirpe, Aratū et Achiuos collatis ſignis magno prælio fudit: pacem deinde Antigono & Achiuis

dedit. Antigonus Philippi adhuc impuberis tutor, Macedonum imperium regebat. Fuit Philippus Demetrij filius: eius erat Antigonus & patruelis & uitricus. Fœdere igitur cum Antigono & Achiuis perpetrato, Cleomenes Arcadum caput, fide mox uiolata, Megalopolin diripuit: & ſanè noxæ piaculum accepta ad Sellaſiam clade, Lacedæmonij & eorũ dux Cleomenes luiſſe iudicari meritò poſſunt. Sed in libro de Arcadum rebus ad Cleomenem redibit oratio. Philippus autem Demetrij filius cùm ad uirilẽ ætatẽ perueniſſet, accepto regno ab Antigono non ſanè inuito, magnum uniuerſis Græcis terrorem incuſsit, cùm ipſo Philippi ſuperioris nomine (à quo tamen oriundus non erat, nam Amyntæ filius Philippus, dominus planè huius gentilibus fuit) tum uerò quòd Philippi ipſius facinora æmulabatur. Fuit herculè utriq; cõmune, pecunia ſibi ciuitatum principes conciliare, quos intelligerent priuati ſui lucri quàm patriæ libertatis maiorem rationẽ habere. Hoc minori Philippo peculiare, in conuiuijs, dum mutuis de more poculis poſcerent, mortiferas potiones propinare, quod Amyntæ filio, niſi fallor, ne in mentem quidem unquã uenit. At huic Demetrij filio Philippo familiare hoc fuit ſcelus, & ſanè in leuiſsimis ducebat noxis, ueneno hominẽ tollere. Vrbes hic tres, quibus aduerſus Græciã pro militũ ſuorum receptaculis uteretur, præſidijs firmauit: eas in Græcorum contumeliã multa ſuffultus confidentia, Græciæ claues nuncupabat. Vnam in Peloponneſo Corinthum, cuius etiam arcem muniuit accuratius. Alterum fuit ei contra Eubœam, Bœotos & Phocenſes propugnaculum, Chalcis ad Euripum. Tertium oppoſuit Theſſalis & Aetolorũ nationi Magneſiã ſub Pelio monte. Præ cæteris uerò, cùm iuſtis exercituũ aggreſsionibus, tum repentinis

tinis latronum more excurſionibus, Athenienſibus & Aetolis infeſtus fuit. In Atticarũ rerum deſcriptione iampridem expoſui, quæ à Græcis uel Barbaris miſſa fuerint Athenienſibus contra Philippum auxilia, & quemadmodũ belli diuturnitate afflicti Athenienſes Romanorum fidem implorare coacti fuerint. Miſerãt & paulò antè Romani, uerbo quidem Aetolis cõtra Philippũ auxilia, re uerò Macedonicarũ rerum ſpeculatores: uerùm Athenienſibus pleniſſimum atq; inſtructiſſimum exercitum mittendum cenſuerunt. Decreta ea Prouincia eſt Atilio Cos. Nomen hoc ei uiro maximè inſigne fuit: non enim Romani Græcorum ritu unico à patribus accepto nomine appellãtur, ſed tria ferè ſingulis ut pauciora, plura etiã imponuntur nomina. Id negotij duntaxat à S.P.Q.R. Atilio datũ, ut Athenienſes & Aetolos cõtra Philippi arma tueretur. At ille è mandatorum præſcripto reliqua: illud nõ ex P.R. ſententia, ſed arbitratu ſuo geſſit, quòd Euboœnſium Heſtiæã, & Anticyram in Phocide, quæ oppida Philippi imperata facere coacta fuerant, expugnauit, & euertit. Quæ res ad Senatum delata, mea quidem ſententia, effecit ut Atilio Flaminius quamprimùm ſucceſſor mitteretur: qui primo aduentu ſuperato Macedonum præſidio, Eretriam diripuit: Corinthum, cui rex præſidium impoſuerat, & ſuis ipſe copijs circunſedit, & ab Achiuis ad eam obſidendam per legatos, cùm pro inita cum Romanis ſocietate, tum uerò pro ea quam in Græcos omnes præ ſe ferebant beneuolentia, auxilia poſtulauit. Sed illi quod antè in Atilio indignè tulerant, Flaminio etiamnum crimini dabant, quòd ſcilicet priſcas Græciæ urbes, quæ nihil in Romanos commiſerant, quæq; Macedoni inuitæ paruerant, eas armis adorti fuiſſent. Prouidebant autem facilè iam Ro

manos illud agere, ut pro Philippo & Macedonibus, Achaiæ & vniuerſæ Græciæ ipſi imperarent. Cauſa hæc in Achiuorum cōcilio magna inter diſsidentes ſententias cōtentione acta: euicere poſtremò, qui partis Romanorum fuere, ut ab Achæis ad oppugnandam obſidione Corinthū auxilia mitterentur. Corinthij quidem cùm in Macedonū poteſtate eſſe deſiiſſent, ad Achæorum ſe concilium aggregarunt, in quo et prius locum habuerāt, cùm Aratus Sicyoniorū dux è Corinthi arce Antigoni præſidium eieciſſet, Perſeo præſidij præfecto occiſo. In poſterū dehinc omne tempus Romanorum ſocij Achæi appellati ſunt, nempe qui ad omnia rerum momenta ſe promptos & alacres præſtitere. Nam & in Macedoniam cum Romanis contra Philippum penetrarunt, & ſuſceptæ in Aetolos expeditionis comites fuere: in Syriam deniq; contra Antiochū ſunt cum Romanis profecti: & Macedonico quidem atq; Antiochi bello interfuerunt, Romanorum amicitiam ſecuti. Cum Lacedæmonijs uerò iampridem ſimultates proprias exercuerant: quare Nabidis tyrannide, cuius intolerabilis fuerat crudelitas, ſublata, Spartam Achæi in ordinem ſtatim redactam, Achaico concilio ſubiecerunt, rebusq; per ſeueriſsima iudicia repetitis, mox urbis muros demoliti ſunt. Spartæ quidem muri, Demetrio & Pyrrho olim oppugnantibus, tumultuario opere extructi fuerant: Nabis poſtea tales faciundos curauit, ut nihil omnino ad eorū firmitatem deſideraretur. Eos itaque muros tunc Achæi deiecerunt, & Spartanorum liberis interdictam, quam legibus Lycurgus ſanxerat, diſciplinam, ad Achæorum puberes tranſtulerunt. Verùm hæc à me plenius exponuntur in eo, qui Arcadum rebus attributus eſt, libro. Lacedæmonij cùm Achæorum imperata grauiter

uiter

uiter ferrent, Metellum Romanorum legatum, & eius colle gas appellarunt: miſsi hi fuerant non ut Philippo bellum indicerent, cum quo ritè fuerat pax perpetrata, ſed ut de criminibus, quæ à Theſſalis & Epirotis Philippo obijciebantur, cognoſcerent. Et Philippus quidem maiorem multò re cladem, quàm uerbo à Romanis accepit: magno enim prælio ad Cynocephalas à Flaminio uictus, & exercitus robur amiſit, & deductis præſidijs earum, quas bello ſubegerat, Græciæ urbium, imperio concedere ex fœderis pacto conuento coactus eſt. Pacem certè nõ tam euentu utilem, quàm nomine decoram, precibus ac etiam precio impetrauit. Macedonum certè bellicam gloriam, & imperij magnitudinem Philippo Amyntæ filio regnante partam, alterius Philippi temporibus peſſum iturã, diuinitus his uerſibus prædixit Sibylla:

Hæmathiæ populi, Argeadæ quîs gloria reges
Cõmoda nunc pariet, regnans, nunc damna Philippus,
Nanq; duces maior populis, atq; urbibus unus
Imponet: ſed enim Heſperijs domitus minor armis,
Mox etiam Eois illuſtres perdet honores.

Romani enim, qui ad occaſum ſunt, Attali & Myſorũ, qui ad Solis ortum uergunt, auxilijs aſſumptis, Macedonũ regnum euerterũt. Sed ut unde huc digreſſa eſt oratio, redeã, Metellus cæteriq; legati non eſſe Lacedæmoniorum querelas contemnendas cenſuerunt: quare ab Achæorum magiſtratibus dari ſibi concilium poſtularunt, quò ſcilicet pro concione iure æquiore cùm Lacedæmonijs agendum Achæis perſuaderent. Atenim illi pernegare aut illis, aut alijs quibuſuis concilium ſe daturos, qui, de qua re miſsi eſſent, Senatus decretum non attuliſſent. Metellus, & collegæ,

quòd Achæi ſe dicto audientes non præbuerant, durius ac cepere: ac Romam *reuerſi, multa de illis ad inuidiam conflandam, neq; omnino uera omnia, ad ſenatum detulerunt. Sed inuidioſius multò* Achæos *criminati ſunt* Areus *&* Alcibiades, *illi quidē apud* Lacedæmonios *exiſtimatione ſumma, ſed in* Achæos *iniquiores: nam cùm eos* Nabis *eieciſſet, apud* Achæos *exularant, moxq; ab iiſdem,* Nabide *mortuo, in patriam contra populare* Lacedæmoniorum *decretum reducti fuerant. Verùm & ipſi in ſenatum* Romanum *intromiſſi, in magnam inuidiam* Achæos *uocarunt. Qua laceſſiti iniuria* Achæi, *ſimulac ex urbe* Romani *diſceſſiſſe eos audierunt, clarigatio uti eſſent edixerunt.* Romani Appium Claudium, *& alios legatos miſerūt, qui inter* Achæos *&* Lacedæmonios *diſceptarent. Sed minimè fuit eorum aduentus* Achæis *gratus: ſecum enim illi* Areum *&* Alcibiaden, *quos hoſtes* Achæi *iudicauerant, habebant. Illud certè homines multò grauius offendit, quòd in* Achæorum *conuentu* Romani *iracundius, & minimè ad perſuadendum accommodatè uerba fecerunt. In eo conuentu erat* Lycortas Megalopolitanus Arcadum *facilè princeps, & qui amicitia* Philopœmenis *fretus, animum paulò elatiorem ad ſententiam dicendam afferebat. Is cauſam* Achæorum *ſumma libertate dixit, &* Romanos *etiam oratione ſua nonnihil pupugit.* Legati Lycortæ *dicta quaſi illudentes pro nihilo habere: quin* Areum *&* Alcibiaden *ſententia ſua nihil graue in* Achæos *cōmiſiſſe declararunt: &* Lacedæmoniis *ut* Romam *legatos mitterent conceſſerunt, cùm tamen per fœderis conditiones cautum fuiſſet, ne ciuitas ulla, quæ cum* Achæis *faceret, ſeorſum ab uniuerſo concilio legatos mittendi liberam facultatem haberet. Miſſa etiam ab* Achæis *contraria legatio eſt.*

tio eſt. Cùm multis utrinq; diſceptationibus in ſenatu res agitata fuiſſet, eoſdem iterum legatos Romani *miſere, eiusq; legationis principem* Appium, *cum liberis mandatis de* A*chæis & Lacedæmonijs, quod uiſum eſſet, ſtatuendi.* Ii *primo ſtatim aduentu, & quos Achiui exilio multaſſent Spartanos reſtituere, & damnatos ab Achæis antequàm ipſi de criminibus cognoſcerent, omni ſcelere & pœna liberarunt. Immunitatem præterea omnium, quæ in cõmune pro concilio obeunda eſſent, muniorũ, Lacedæmonijs dederunt. Iudicia præterea capitis ab externis ut hominibus fierent decreuerunt, leuiorum cauſarum cùm Spartanis ipſis, tum* A*chæorum reip. cognitione relicta.* Nouo *deniq; murorum ambitu oppidum muniendum curarunt.* Recepta *exules patria, conſilia ſua ad Achæos exagitandos omnia contulerũt: quocirca hoc ſe illos pacto probè ulciſci poſſe ſperantes,* Meſſenijs *omnibus ijs, Achæis etiam, qui eo crimine hoſtes iudicati fuiſſent, quòd eius coniurationis, qua* Philopœmenes *occiſus fuerat, conſcij eſſent, perſuaſere, ut* Romam *querelas ad Senatũ deferrent.* Et *ijs quidem cùm & ipſi adfuiſſent, haud magno negotio reditum confecerunt.* Fauente *enim ſummo ſtudio Lacedæmonijs* Appio, *Achæorum uerò cauſam acriter impugnante, ea Senatus decreuit, quæ maximè uoluerunt* Meſſenij *&* Achæi *exules.* Miſſæ *itaque* Athe*nas & in Aetoliam literæ, quibus imperabant* Romani, *ut* Meſſenijs *&* Achæis *exulibus ſuum unicuique ius, ſuaq; bona reſtituerentur.* Vehementer *hæc res animos* Achæo*rum commouit, præſertim cùm ſe & antè iniurioſius à* Ro*manis tractatos interpretarentur, & ſua in* Romanos *priſtina merita, non fuiſſe qua ſperarant gratia excepta, uiderent, cùm qui cõtra* Philippum, Aetolos, Antiochum, *egre-*

giam Romanis *operam nauaſſent, iam exulibus, & ijs hominibus qui inceſtas manus haberent, impotentiæ ſubijcerentur: imperata tamen ſibi facienda, ac tempori parendum duxerunt. Atq; ea quidem perditiſſimorum hominum peruerſitas, qui patriæ ſalutẽ hoſtibus uendere nihil uerentur,* Achiuis *exitio fuit.* Neq; *uerò ſcelus hoc, ut ſemel in* Græcia *uſurpari cœptum eſt, ullum finem reperit.* Dario *primùm* Hyſtaſpis *filio in* Perſis *regnante,* Ionum *res afflictæ propè ſunt, claſſe prodita ab omnibus triremium præfectis, undecim duntaxat* Samijs *exceptis. Poſt oppreſſos* Ionas *diripuerunt* Eretriã Perſæ, *cùm ciuitatis ſuæ principes* Philabrius Cynei *filius, &* Alcimachi Euphorbus, *patriam ſuam hoſtibus prodidiſſent.* Nam Xerxi *in* Græciã *irruenti* Theſſaliam Aleuade, Thebas Attagilus, *&* Timagenidas Thebanorum *primores prodiderũt.* At Peloponneſiaco *bello, quod inter* Athenienſes *et* Spartanos *geſtũ eſt,* Agidi Lacedæmoniorũ *duci* Xenias Eleus Elin *ipſam tradere eſt aggreſſus.* Lyſandro *dehinc, qui hoſpites eius appellabantur, donec patrias proderent ſuas, quieſcere nunquã potuerunt.* Philippo *uerò* Amyntæ *filio ad* Græciæ *imperium aſpirante, unam inuenias proditionis immunem* Spartam. Cæteras Græcorũ *urbes non magis peſtilentia ſuperiorum temporum, quàm proditiones deleuerũt.* Alexandri *felicitas effecit, ut nullum magnopere inſigne proditionis exemplũ, quo res eius adiutæ fuerint, poßit cõmemorari. Poſt acceptam ad* Lamiã *cladem, cùm* Antipater *feſtinaret in* Aſiam *tranſmittere, conuerſiſq; ad illud bellum opibus, facilè uideretur* Athenienſibus *pacem daturus, quòd rationibus ſuis minimè alienum putabat ſi* Athenas *ipſas, atqueadeo uniuerſam* Græciam *liberam eſſe ſineret,* Demades, *& alij conſiliorum ſocij,*

cij,homini à ſententia oratione ſua deducto, nihil mite aut benignum in Græcos cogitandum perſuaſerunt: quin cum Athenienſem populum uehementer perterrefactũ uiderẽt, & Athenis, & in alijs urbibus ut Macedonum imponeren tur præſidia autores fuere. Confirmat orationem meam rerum euentus. Athenienſes enim etſi magnam acceperant in Bœotijs cladem, bis mille ex acie ſua captis, mille occiſis, non continuò tamen Philippi imperata fecerunt. Ad Lamiam uerò ductis fermè ac nihilo pluribus militibus amiſſis, Macedonibus ſuccubuere. Nullis deinde temporibus hæc proditionum quaſi peſtis quædam Græciæ deſijt nego cium faceſſere. Achæos quidem Callicratis Achæi hominis perfidia Romanis parêre coëgit. Initia tamen malorũ omnium Achæis, Perſei regis & Macedonici imperij exitium, importarunt. Nam cùm Perſeus ictum cum Rom. à Philippo patre fœdus uiolaſſet, regemq; Sapæorum, quorum facit in iambicis mentionẽ Archilochus, Abro urbe expugna ta, populi Rom. ſocium & amicum ſedibus expuliſſet ſuis, & Romani ulti ſociorum iniurias, Perſeum ipſum totumq; eius regnum in poteſtatem ſuam redegiſſent, miſſi à Romano ſenatu ſunt decẽ legati ad Macedoniæ res (uti in rem ſuã foret) maximè ordinandas. Eas omni obſequij, & ad aſſenta tionem appoſitæ orationis genere Callicrates circumuenire aggreſſus, ex illis etiam unum ad iuſtitiam tuendam minimè propenſum, in conſilium produxit: is frequentiſſimo Achæorum conuentu criminoſe queri cœpit, à potentioribus pecunia & alijs ſtudiorum ſignificationibus contra Romanos Perſeum adiutum: poſtulare ut capitalis rei damnarentur, ſe damnatos demum ſuo quenque nomine indicaturum. Id enimuero periniquum uniuerſæ concioni uideri,

contendere,ut quos diceret Perſeo fauiſſe, palàm nominaret:ius omnino non eſſe quenquam condemnari, cuius nondum eſſet nomen delatum. Ibi Romanus, cùm ab omnibus eius poſtulatio coargueretur,ex cōpoſito nominare non dubitauit omnes, qui prætores Achæorum exercitus duxiſſent,& omnes affirmare eam noxam commiſiſſe, quòd ſcilicet Perſei partes fouiſſent. Hæc ille à Callicrate ſubornatus. Tunc Xenon non minimæ inter Achæos autoritatis uir: Quod ad hoc(inquit) crimen attinet, ipſe etiā Achæorum copijs præfui, ſed neq; ulla unquam Romanos in re læſi, neq; ulla mihi omnino fuit cum Perſeo amicitia: atq; huius quidem criminis uel in Achæorum conuentu, uel in ipſo Romanorum Senatu non dubitarim iudicium ſuſtinere. Hoc à Xenone dictum ex innocentiæ conſcientia fidenter, arripuit Romanus tanquam accommodatum fraudi ſuæ conſilium: quare quotcūq; in proditionis crimen Callicrates uocarat, eos omnes Romam ad cauſam dicendam mitti imperat. Nouum id fuit, & inuſitatum Græcis. Neq; enim aut Philippus Amyntæ filius,aut Alexāder,qui Macedoniæ regum longè potentiſſimi fuere, aduerſarios unquam ſuos è Græcia in Macedoniā diſceptandi cauſa mitti poſtularunt, ſed facilè paßi ſunt,quibus de rebus ambigeretur,ab Amphictyonibus cognoſci. At Romani quencunq;,cuius modò nomen Callicrates detuliſſet, nocentem,innocentémue Romā edi cto ſuo deduci imperarunt.Fuerunt qui deducti ſunt plures ferè quàm mille, quos Senatus quaſi Achæorum præiudicio damnatos, in publicas cuſtodias per Hetruriæ oppida diuiſerūt. Alios deinde ſuper alios ab Achæis miſſos legatos, & deprecatores,nihili omnino fecerunt.Poſt ſeptimum ac decimum demum annum, triginta fermè uiros atq; eo

etiam

etiam pauciores, qui ex omni numero reliqui erant in Italia, è cuſtodijs dimiſerunt, ſatis iam eos pœnarum dediſſe rati. At eos qui effugere conati ſunt, uel ex ipſo itinere antequàm Romam *perducerentur, uel ex ijs, in quas relegati fuerant, urbibus à fuga retractos, capitali ſupplicio affecerunt. Miſerunt etiã* Romani *ad dirimendas inter* Lacedæmonios *& Argiuos de finibus cõtrouerſias, ſenatoriũ uirum* Sulpitium Gallũ, *qui multa & dixit & fecit inſolenter, & planè utranq; ciuitatẽ ludibrio habuit: nam quæ rerũ geſtarũ gloria aliquando floruerant, quæq; de agrorũ finibus magno & diutino bello certauerãt, eas hic dignas nõ putauit, quarum cauſam cognoſceret, cùm &* Philippũ *antea* Amyntæ *filium diſceptatorẽ habuiſſent. Sed eam* Gallus *totam cognitionem ad* Callicratẽ *impuriſsimũ hominem, cunctæq;* Græciæ *infenſiſsimũ, reiecit. Præterea cùm* Aetoli *è* Pleurone *ad eum uenientes, ſeiungi ſe ab* Achæorum *concilio poſtulaſſent, eis permiſit, ut ſuis proprijs auſpicijs legatos* Romam *mitterent.* Eſt *uerò* Senatus *autoritate eorum ab* Achæis *defectio comprobata, &* Sulpitio *mandatum, ut quàm poſſet plurimas ciuitates ab* Achæorum *conuentu diſiungeret: quod ille impigrè effectum reddidit.* Interea *cùm* Athenienſes *egeſtate potius, quàm libera uoluntate impulſi, ſociam ciuitatem* Oropum *diripuiſſent, nempe qui* Macedonico *bello rebus acciſis,* Græcorum *iam propè omnium eſſent egentiſsimi,* Romanum Senatum Oropij *appellarunt: qui cùm iniuriam factam illis cenſuiſſet,* Sicyonios *iuſsit ab* Athenienſibus *multam petere, quanti ſcilicet illatam* Oropijs *iniuriã ipſi æſtimaſſent.* Sicyonij, *cùm diem iudicij nõ obiſſent* Athenienſes, *multam illis talentûm quingentorũ irrogarunt.* Recuſantes *eam pendere* Athenienſes, *ad* Senatum Rom. *pro-*

uocarunt, cuius decreto omnis ea multa ad centū duntaxat talenta redacta eſt: quod ipſum etiam nō eſt perſolutū: quin Oropios *cùm promiſsis, tum muneribus delinitos adduxerunt* Athenienſes, *ut obſidibus datis præſidium intra oppidum acciperent, ea tamen lege, ut ſi nouæ factæ eſſent ab Athenienſibus iniuriæ, & præſidiū quod impoſuiſſent ultro deducerent, & obſides redderēt.* Non ita multò pòſt à præſidiarijs in oppidanos iniuriæ factæ: quocirca legatis expoſtulatū Athenas miſsis, cōtendebant Oropij ut ex pacto conuento, & præſidiū deduceretur, et obſides redderentur. Verùm nō eſſe publicas illas populi iniurias Atheniēſes reſponderūt, ſed paucorū qui in præſidio eo fuiſſent, & illos quam cōmeruiſſent pœnam ſuſcepturos. At Oropij Achæorū auxilium implorarūt: quod cùm illi ferendū non cenſerent, amicitiam, quæ ſibi cum Athenienſibus intercedebat, ueriti, Menalcidæ homini Spartano quidem, ſed qui tunc copijs Achæorū imperabat, decem talenta ſe daturos pollicentur, ſi Achæorum ſibi auxilium præſtò ut eſſet effeciſſet. Menalcidas cùm intelligeret magnas eſſe, propter Romanorum amicitiam, inter Achæos Callicratis opes, cum illo æqua parte precium cōmunicat. Porrò coniunctis ſtudijs efficiunt ut Oropijs auxilium decernatur. Id cùm reſciſſent Athenienſes, quanta maximè potuerunt celeritate Oropiū adorti, prædæ ſuperioris reliquijs, ſi quæ fortè ſupererant, aſportatis, præſidium deducunt. Achæis, cùm ſerius quàm oportuerat auxilium miſiſſent, perſuadent Menalcidas & Callicrates, ut Atticam terram hoſtiliter inuadant. Verùm cùm & ex alijs Græciæ partibus, & è Lacedæmone ad hoſtem repellendum auxilia conueniſſent, exercitum Achæi ſuum domum reportarunt. Ab Oropijs certè, etſi nulla ex

parte

parte ad eorum ſalutem quicquam profecerat Achæorum ſocietas, promiſſum tamen Menalcidæ precium perſolutum eſt. Quo ille accepto, alienum omnino rationibus ſuis putauit quæſtus participem Callicraten facere: quare hominem primùm expectationibus eludere, mox dolo circumuenire, poſtremò apertè etiam fraudare. Quæ res uetus illud uerũ eſſe declarauit:

Et ignis eſt alio magis qui urat igne,
Lupiſq; ſæuior lupus eſt alijs,
Accipiter ocyus accipitre uolat,
Si Callicratem ipſum immaniorem ante alios
Superauit perfidia Menalcidas.

Hominem enim omnium nequiſſimum Callicraten, perfidia facilè qui ſuperaret Menalcidas eſt inuentus. Callicrates, uti homo erat, cùm gratis habere ſe ſuſceptas cum Athenienſibus inimicitias permoleſtè ferret, Menalcidan iam abeuntẽ magiſtratu, capitis arceſſiuit: crimini dabat, legatione apud Romanos contra Achæos functum, ac operam enixè dediſſe, ut Spartanos ab Achæis abduceret. Ibi Menalcidas cùm ſe in fortunarum diſcrimen deductum uideret, Diæo homini Megalopolitano ſucceſſori ſuo ex Oropica illà pecunia talenta elargitur tria: hoc ille deuinctus munere inuitiſſimis ferè Achæis omnibus, Menalcidan capitis periculo eximit. Ea res cùm Diæo publicè ac priuatim magno eſſet probro, homo uafer auertendæ inuidiæ cauſa ad maiorum negotiorum cogitationes, & ſecundarum rerum ſpem Achæorũ animos erigit. Lacedæmonij ſuas de finibus agrorum controuerſias ad Romanũ Senatum detulerant: Senatus omnia omnium rerum, præterquàm capitis iudicia, ad Achæorum conuentũ reiecerat. At Diæus gratioſo menda-

cio multitudinis animos mulcens, iudicio Achæorum capitis etiam crimina permiſſa cõminiſcitur. Et *Achæi quidem cùm ei fidem habuiſſent, de* Spartanorum *capitalibus cauſis iudicia facere aggreßi ſunt*. Recuſabant Lacedæmonij, & *mendacij* Diæũ *arguentes, rurſus* Rom. *Senatum ea de re ſe per legatos conſulturos aiebant*. At *Achæi hoc ipſum arripere, & in crimen uocare, cùm dicerent, earum urbium quæ ſecum facerent, nullam omnino ſui eſſe iuris, aut poſſe earum aliquam ſine publico uniuerſi concilij decreto* Romam *legatos mittere*. Ex *his cõcertationibus belli cauſæ inter Achæos &* Lacedæmonios *extitere*. *Satis intelligebant Spartani, multò ſe eſſe* Achæis *opibus inferiores: quare dimißis per urbes, quæ Achaicæ ditionis erant, ad ipſum etiã* Diæum *priuatim legatis, bellum deprecabantur*. A *ciuitatibus reſponſum tulere, cùm iam prætor ſuus ut iuuentutem armatã educerent denunciaſſet, oportere ſe dicto audientes eſſe:* Prætor *ipſe* Diæus *non Spartæ aiebat ſe, ſed ijs qui eius ciuitatis otium turbarent, bellum illaturũ*. Ac *rogante Senatu quotnam eſſe putaret otij & tranquillitatis hoſtes, optimatum ille uigintiquatuor nomina edidit*. In *ea rerum trepidatione probata eſt Agaſiſthenis ſententia, hominis clari etiam prius & honorati, ſed ad cuius laudes ex hoc ipſo ciuibus ſuis dato cõſilio magnus acceßit cumulus*. Perſuaſit *illis ipſis primoribus, quos* Diæus *Achæis dedi poſtularet, ut uoluntario exilio, belli in patriam ſuam conflati, incendiũ reſtinguerent: futurum enim ut primo quoq; tempore à* Romanis *reſtituerentur*. Cùm *itaq; exilij cauſa ſolũ uertiſſent, abſentes capitis à Spartanis damnati ſunt*. Miſerũt *et Achæi* Romam Callicraten & Diæum, *qui in Senatu contra Spartanos exules cauſam dicerent; &* Callicrates *quidem cùm*

Rhodum

Rhodum diuertiſſet, ibi morbo interijt. Diæus & Menalcidas Romam *peruenerunt: ij cùm multa ultro citroq; per altercationem contumelioſius inter ſe iactata dixiſſent audiſſentq;, poſtremò reſpondit Senatus, legatos in* Græciam *uenturos, qui de quibus inter ſe diſsiderēt Lacedæmonij & Achæi rebus, cognoſcerent. Legati ex urbe otioſius iter fecerunt: quocirca tantum interfuit ſpatij, ut interea Diæus Achæos, Menalcidas Spartanos dolo circūuenire potuerint. Ille Achæis perſuaſit,* Romanorū *decreto Spartanos in Achæorum officio ac poteſtate fore. Lacedæmonios in eam facilè ſententiam adduxit Menalcidas, ut crederent à concilio ſe iam Achæorum ſeiunctum iri. Hæ controuerſiæ in cauſa fuerūt, ut renunciato nouo iam prætore* Damocrito, *Achæi denuò contra Lacedæmonios arma caperent. Eodem fermè tempore Metellus Cos. Pop. Rom. exercitū in Macedoniam tranſportauit: bellum enim ei decretum fuerat contra Andriſcum* Perſei *filium nouas in* Romanos *res molientem. Ibi non magno utiq; negotio cùm debellatum eſſet, Metellus ijs, quos miſerat Senatus in Aſiam cum imperio, perſuadet, ut priuſquàm tranſmittāt, cum ducibus Achæorum congreſsi, edicant, ne bellum contra Lacedæmonios ſuſciperent, atq; ut omnino expectarent legatos eos, qui à Senatu mitterentur, arbitri inter Achæos & Lacedæmonios futuri. Mandata illi quidem ad* Damocritū *& Achæos detulerūt, cùm iam illi contra Lacedæmonios exercitum ducerent: quare cùm nihil ſanè ſe ulla oratione contra Achæorum peruicaciam profecturos intelligerent, in Aſiam perrexerunt. Ipſi quoq; Lacedæmonij animi elatione magis quàm uiribus ſubniſi, cum ſuis copijs hoſti occurrerunt, ſatis illi quidem habituri, ſuos ſi fines defendere poſſent. Prælio dehinc ſuperati, cùm*

circiter mille & ætate & uiribus florentes milites occubuiſſent, intra mœnia ſe reliqui effuſiſſima fuga recepere. Quòd ſi hoſtem perſequi maturaſſet Damocritus, eodem tempore Achæi, quo fugientes Lacedæmonij apertis introrūpere potuiſſent portis: uerùm ille & tunc canere iuſſit receptui, & exinde ſe ab urbe obſidenda ad excurſiones & agri populationes conuertit. Is reportato domū exercitu maieſtatis damnatus eſt, multa quinquaginta talentûm irrogata. Eam cùm unde ſolueret non haberet, clanculū è Peloponneſo aufugit. In Damocriti locū prætor renunciatus eſt iterū Achæorum ſuffragijs Diæus. Ad eum cùm legatos rurſus miſiſſet Metellus, res ita conuenit: Induciæ ut inter Achæos & Spartanos eſſent, uſquedum adeſſent qui diſceptandi cauſa à Romanis miſſi fuerāt. Callidū interea aggreditur Achaicus prætor facinus. Oppida omnia quæ in orbem Laconibus finitima erant, uarijs artibus ad Achæorū amicitiā pellicit, et ea præſidijs firmat, quò unde erumperēt, quòue ſe reciperent, contra Spartanos caſtella haberent Achæi. Decreuerant & Lacedæmonij imperiū Menalcidæ, qui, etſi Lacedæmonios ad extremā cùm reliquarū copiarum, tum uerò pecuniæ inopiam redactos intelligebat, præſertim uerò cùm neq; coli, neq; ſeri ager potuiſſet, educto tamē, uiolata induciarū fide, exercitu, Iaſum oppidū, quod intra Laconiæ fines erat, ſed ad Achæorū ditionem pertinebat, ſubito impetu captū diripit. Non potuit alieniſſimo Lacedæmonijs tēpore, nouo bello cōcitato, ſuorū ciuium inuidiā Menalcidas ſuſtinere: quare epoto ueneno ſibi mortē cōſciuit. Hunc Menalcidas uitæ exitū habuit, uir ut in Lacedæmoniorū imperio minimè omnium prudēs, ſic dum Achæorū rebus præfuit ſingulari perfidia. In Græciā tandem peruenere ex Vrbe diſceptatores,

quorum

quorũ princeps Oreſtes fuit: ad eos Corinthũ cùm magiſtratus Achaiæ ciuitatũ ſingularũ ueniſſent, et in primis Diæus, Oreſtes renũciauit Senatũ cenſere, neq; Lacedæmonios, neq; Corinthũ ipſam Achæis cõtribuere ſe debere: Argos præterea, Heraclean, quæ ad Oetã eſt, Orchomenios Arcadici nominis ab Achæorũ concilio ſeiungendos: neq; enim his eſſe populis ullam cum Achæis cognationẽ: & eas ciuitates cœpiſſe cum illis ſerius facere. Hæc dum Oreſtes exponere, Achaici magiſtratus prius etiã quàm ille peroraret, è diuerſorio Oreſtis exiluerunt, cõuocarunt mox ad concionẽ multitudinem. Ea, cognita Romani ſenatus ſententia, repentè in Spartanos eos, qui fortè Corinthi erãt, impetũ fecit, omnesq; quos uel ex tonſura, uel calceatu, & reliquo ueſtitu Lacedæmonios eſſe uel agnoſcebant, uel ſuſpicabantur, ſpoliauit: quin eos etiã qui ſe fugientes in diuerſoriũ Oreſtæ recepiſſent, ui inde extractos uiolarunt. Legati furorẽ illum compeſcere conati, monere identidem & queri, ab ipſis prioribus iniuria ſe & cõtumelia laceſsitos. Paucis pòſt diebus Lacedæmonij omnes, qui deprehenſi captiq; fuerant, in carterem coniecti, dimiſsis ijs quos nõ eſſe Laconici nominis conſtitiſſet. Miſsi deinde Romã & alij primores, & Theridas legationis princeps: ij cùm in uia alijs legatis à Romanis eadem de cauſa poſt illã Oreſtis legationẽ miſsis obuij facti eſſent, pedem retulerunt. Iam Diæus imperij ſui tẽpus expleuerat: in eius locũ ſucceſſerat Critolaus: huic acris inceſſerat cupiditas cum Romanis bellandi. Quocirca cùm noui iam adeſſent à Romanis miſsi arbitri, occurrit illis quidẽ ad Tegean Arcadiæ urbem. Ne uerò in publico Achæorũ concilio mandata exponerẽt arte cauit: nam legatis quidem audientibus edici concilium iuſsit: clàm uerò per literas conſiliarijs ſuis

denunciauit, concilij diem ne obirent. Conuentu in diem dictam fruſtra expectato, ſe planè eluſos Romani *intellexerunt, præſertim uerò cùm aliud* Critolaus *iuberet legatos certum & ſtatum concilium in menſem ſextum expectare: neq; enim ius eſſe agendi ſibi aiebat de rebus publicis alibi quàm in concilio. Legati igitur cùm nihil omnino egiſſent, domum redierunt. Edicto Corinthum concilio, Achæis pro concione perſuadet Spartanis bellum inferant, atq; ut apertè contra* Romanos *arma capiant. Regem quidem, uel ciuitatem quampiam ſuſcepto bello male rem gerere, fortunæ uitio ſæpius contigit: atenim ſoli temeritati, ac furori ducis ſui euenta Achæorũ adſcribenda meritò fuere. Incitauit uehementer Achæos* Pythæas *Bœotorum magiſtratus, Thebanis ultro profitentibus belli ſe contra* Romanos *gerendi ſocios fore. Pecuniã ut* Phocenſibus *penderent* Metellus *imperarat, quòd in eorum fines armati excurrerant: alterã item multã* Eunoënſibus, *quòd agrum eorundem* Phocenſiũ *populationibus euaſtaſſent: tertiã* Amphiſſenſibus *debere* Thebanos *pronunciarat, quòd eorum ſub meßis tempus frumenta deſecuiſſent.* Romani *ex legatorum oratione, &* Metelli *literis edocti quæ egiſſent Achæi, bello eorum iniurias perſequendas cenſuerant. Creatus iam* Cos. *fuerat* Mummius, *& ei ad bellum Achaicum claßis, pedeſtres & equeſtres copiæ decretæ.* Metellus *accepto de ſucceſſore nuncio, omni ſtudio cõtendebat bello finem imponere, ne* Mummius *eius ipſe gloriæ compos fieret.* Per nuncios itaq; *Achæis edicit, ut Lacedæmonios, & alias omnes ciuitates, quæ ſe in* Pop. Rom. *clientelam tradidiſſent, ab* Achaici *conceſſus officio diſcedere æquo animo ferrent: id ſi facere non recuſaſſent, priſtinæ in* Romanos *cõtumaciæ ueniam pollicebatur. Eodem*

dem tempore in Macedoniam per Theſſaliam præter Lamiacum ſinum ducit. Critolaus tantum abfuit ut ullam orationem quæ ad otium ſpectaret, admitteret, ut Heraclean recuſantem Achæis parêre, circunſeſſam magnis Achæorũ copijs tenere auſus fuerit. Cùm audiſſet tamen de ſpeculatoribus Metellum cum exercitu Sperchion tranſiſſe, Scarphean (Locrorum ea urbs eſt) confugit: neque cùm poſſet in ijs quæ ſunt inter Heraclean & Thermopylas anguſtijs conſiſtere, Metellum auſus eſt expectare, cùm ex eo tamen loco Lacedæmonij contra Perſas, & cõtra Gallos Athenienſes præclara dediſſent uirtutis documenta. Fugientes priuſquàm Scarphean ſe reciperent Metellus aſſecutus, magnum eorum numerum cæcidit, uiui haud minus mille capti. Critolaus neq; poſt pugnam uſpiam uiuus, neq; inter cadauera repertus. Quòd ſi fortè in eam ſe maris demiſit paludem, quæ ſub Oeta monte eſt, mirũ nihil fuit cæca & profunda uoragine abſorptum euanuiſſe. Sed alia etiam de eius morte conijci poſſunt. Arcadum cohors lectiſſimorum hominum circiter mille Elateam in Phocidem contenderunt: in eam urbem cùm propter ueterem neſcio quam cognationem recepti fuiſſent, paulò pòſt Critolai & Achæorũ clade cognita eos inde Phocenſes eiecerũt. In Peloponneſum retrocedentes, in Metelli exercitũ ad Chæroneam inciderũt: ibi ad internitionem cæſi, diuinitus ſcelere ſuo dignas dediſſe pœnas uideri poſſunt, eo potiſſimũ loco à Romanis oppreſſi, quo Græcos cum Philippo Macedonum rege acie dimicantes deſeruerant. Achæorum imperium ad Diæum redijt, qui quod Miltiades ante pugnam Marathoniam fecerat, imitatus, uocatis ad pileum ſeruis, & ad arma omni militari ætate Achæorum & Arcadum conſcripta, exercitum contra

xit. Ex collectitia ingenuorum pariter & ſeruitiorum turba, equitum ſexcentorum, grauis armaturæ peditum quatuordecim millium. Ad imperatoris Achaici uecordiam nihil omnino addi potuit, qui cùm ante oculos propè haberet omnem Achæorum ſuperiorem apparatũ, & infelicem Critolai pugnam, ex illo tamen delectu ad quatuor millia hominum ſelegit, eosq́; duce Alcamene Megaram miſit, quò & urbi præſidio eſſent, & Metello in Peloponneſum iam inuadenti obſiſterent. At ille fuſis ad Chæronean Arcadibus, Thebas infeſto agmine contendit. Obſidebatur tunc à Thebanis unà cum Achæis Heraclea, & interfuerant ſanè ijdem prælio ad Scarphean. Metello iam appropinquante, Thebanæ mulieres, & cuiuſuis ætatis uiri urbe relicta, partim per Bœotiæ agros et oppida palantes dilapſi, partim in montiũ iuga confugêre. Vacuã urbem ingreſſus imperator Rom. neq; Deûm templa exuri, neq; domos euerti paſſus eſt: edicto etiam cauit ne quis fugiens occideretur: Pythean (ſi captus fuiſſet) ad ſe duci iuſſit: & is quidem ubi in hoſtiũ poteſtatem uenit, ad Metellum perductus, merito affectus eſt ſupplicio. Cùm iam propè ad Megaræ mœnia Romanus accederet, ſtatim Alcamenes cum præſidiariorum manu Corinthum in Achæorum caſtra confugit. Megarenſes urbem ſine certamine Romanis dediderunt. Metellus ubi primùm Iſthmum attigit, etſi proſperè ei omnia euenerant, ad pacis tamẽ cõditiones ultro Achæos inuitabat: uehementius enim ſolicitabat hominem utriuſq; belli, Macedonici ſcilicet & Achaici, conficiendi ſpes: huius quo minus fieret uoti compos, Diæi ſtultitiæ plenum conſiliũ obſtitit. Dum hæc aguntur, Mummius Oreſtem, qui antè inter Achæos & Lacedæmonios arbiter fuerat, ſecum habens, ad exercitũ peruenit.

Et Metel-

Et Metello quidem cum ſuis copijs in Macedoniam amandato, ad Iſthmũ ipſe uniuerſum agmen coëgit. Fuit militum numerus, equites ter mille & quingenti, peditum uiginti tria millia. Præſtò fuerũt Cretenſes ſagittarij, et è Pergamo, quæ ſupra Caicum eſt, ab Attalo miſſam manum adduxit Philopœmen. Secuta etiam auxilia Mummium fuerant ex Italia. Aberant caſtrorum excubiæ duodecim fermè ſtadia: eas Achæi adorti præ nimia fiducia diſsipatas, multos occìdunt, plures loco pulſos uſque in caſtra perſequuntur, ſcuta ferè quingenta capta. Hoc elati ſucceſſu, priores pugnã poſcere ſunt auſi: uerùm ubi Mummius in hoſtẽ aciẽ direxit, Achæorum equitatus ad primam Romanorum equitum, contra quos ſteterat, impreſsionem, in fugam ſe dedit. Suſtinuit grauis hoſtium armatura primum Romani peditatus congreſſum, etſi animos non mediocriter fregerat ſubita illa equitum fuga, & ſola quidem audacia, longè impares numero, & iam dimicando fatigati, reſtiterunt tamen, quouſq; mille hominum lectiſsimorum globus è tranſuerſo in latera inuaſerunt: tunc enim ex omni parte effuſiſsimam fugam fecere. Quòd ſi Diæus ab aduerſo prælio Corinthum ſe recepiſſet, eòdemq; diſperſas ſuorum reliquias coëgiſſet, potuiſſent fortaſſe Achæi à Mummio obſidionis moram non ſatis æquo animo patiente, mitius aliquid impetrare. At ille ut primùm ſui terga hoſti uertere cœperunt, rectà Megalopolin euaſit: in Achæis ſeruandis haudquaquam ea uſus animi magnitudine, qua Calliſtratus Empedi filius olim ſuorum ſaluti conſuluerat. Is enim in Sicilia ad Aſinarum amnem Athenienſium, & eorum qui eius expeditionis ſocij fuerãt copijs propè ad internitionẽ deletis, per medios hoſtes equitibus, quorum ipſe dux erat, uiam fecit, ac deinde Catanen

cum magna ſuorum parte incolumis elapſus, mox eadem
uia Syracuſas pergens, eos opprimere eſt conatus, qui ca-
ſtra Athenienſium diripiebant. Ibi quinq; ex hoſtium nume
ro cæſis, ipſe equo ſaucio aliquot lethalibus uulneribus ac-
ceptis, parta & Athenienſibus & ſibi inſigni gloria, ſerua-
tiſq; quibus imperarat equitibus, mortẽ oppetijt. At Diæus
illius uirtutem minimè æmulatus, amißis Achæorũ copijs,
Megalopolitanis imminentis calamitatis nunciũ attulit: ac
poſtremò manu ſua uxore, ne captiua in hoſtiũ poteſtatem
ueniret, occiſa, hauſto ueneno occubuit: & ſanè uti pecuniæ
cupiditate Menalcidæ par fuit, ſic propémodum uitæ exitũ
habuit mortis turpitudine conſimillimũ. Achæi qui Corin
thum confugerant, intendentibus ſe noctis tenebris, clàm
abiere, & cum illis Corinthiorũ longè maximus numerus.
Mummius, etſi apertas uidebat portas, ſuorum tamen celeri
tátem cohibuit, quòd ne intra muros inſidiæ cõparatæ fuiſ-
ſent, metuebat: tertio demum poſt pugnam die Corinthum
funditus euertit, cremauitq;: uiri omnes trucidati, fœminæ
& pueri Mũmij iuſſu ſub corona uenditi: uenditi etiã ſerui
quicunque manumißi in Achæorũ acie ſteterãt, neq; in præ
lio ceciderant. Ornamenta, & ſigna admiratione quæque
dignißima, Romam aſportata: reliqua Attali auxiliorum
duci Philopœmeni donata, & hac ipſa etiam ætate apud
Pergamenos inter cætera Corinthiorũ ſpolia uiſuntur. Alia
rum urbium, quæ contra Romanos bellum ſuſceperant, mu
ros Mummius deiecit, arma ciuibus ademit: atq; hæc omnia
egit priuſquàm ab urbe mitterentur, quorum conſilio in
Græciæ rebus ordinandis uteretur. Vbi uerò adfuerunt illi,
ſtatim omnem è ciuitatibus popularem adminiſtrationem
ſuſtulit. Magiſtratus ex cenſu inſtituti. Tributa uniuerſæ
Græ-

Græciæ impoſita. Locupletibus extra fines ſuos agri poſſeſſione interdictum. Concilia omnia ſingularum Achaiæ nationum, ſiue in Bœotia, ſiue in Phocenſibus haberentur, abolita. Non multis pòſt annis Romanos Græcorum miſericordia cœpit: quare & priſca concilia ſua cuiq; genti reſtituta, & agros extra fines habere permiſſum: remiſſæ etiam, quas Mummius ciuitatibus conſtituerat, multæ. Bœotios enim ille, & Eubœenſes Heracleotis talenta centum, Achæos Lacedæmonijs CC. pendere iuſſerat. Hæc illis ciuitatibus pecunia omnis à Romanis condonata. Porrò redacta uniuerſa Græcia in prouinciæ formam, mittitur ad eam obtinendam ex Vrbe Prætor, quem Achaiæ, nõ Græciæ appellant, quòd ſcilicet Græci ſubacti ſunt principatũ obtinentibus Achæis. Confectum eſt Achaicum bellum, ſummum magiſtratum Athenis gerente Antitheo, Olympiade CLX. qua de ſtadio uictor eſt renunciatus Diodorus Sicyonius. Atq; his quidem temporibus Græcia iampridem multis lacerata & uexata aduerſis rerum caſibus, ſerpente à ſingulis membris fati ſui quaſi tabe quadã, ad ipſa uniuerſi corporis, ut ita dixerim, uitalia, quod reliquũ fuit opum atq; imperij amiſit. Argos, quæ heroicis olim temporibus potens & opulenta fuerat ciuitas, tranſlato ad Dorienſes regno, acerbiorẽ experiri fortunam cœpit. Athenienſium remp. poſt Peloponneſiaci belli & peſtilentiæ cladem reſpirantem, & quaſi exorientem, Macedonum impotentia oppreſſit. Bœotijs Thebis Alexandri iracundia exitio fuit. Lacedæmonios Thebani Epaminundæ uirtus, ac deinde Achæorum arma perculere. Poſtremò Achæorum imperium, cùm quaſi ex intermortua materie rediuiuum ſarmentum, ſurgere conaretur, quo minus inualeſceret imperatorum ſuorum obſtitit improbitas. Mul

tis pòſt ætatibus cùm ad Neronem Romanorum *imperium peruenißet,is* Græciæ *ſine* Romani *imperij detrimento ſuã reddidit libertatem: pro ea enim* Sardiniam *prædiuitem inſulam in prouinciæ formam redegit.* In hoc Neronis *factũm cùm intueor, rectißimè mihi uidetur* Plato *Ariſtonis filius dixiſſe,grauißima quæq;, & maximè inſignia peccata,non eſſe leuiorum aut mediocrium ingeniorum offenſiones, ſed ab animi præclara quadam indole, uitioſa educatione deprauata,proficiſci conſueuiſſe.Sedenim non fuit hoc beneficium Græcis ad diuturnitatem ſtabile.* Nam *cùm* Imperij *gubernacula* Veſpaſianus *teneret, is Græcos, quaſi patrio morbo ſeditione laborantes, coërcuit, & annuo uectigali impoſito* Romanis *magiſtratibus parêre iußit, quòd diceret, libertate uti Græcos iam dedidiciſſe.* Et *hæc quidem de Achæorũ rebus geſtis quæ cõmemorarem habui.* Agri *fines inter* Eleos *& Achæos* Lariſſus *amnis eſt, & in ipſa ferè flu minis ripa* Mineruæ *templum, quod* Lariſſæũ *dicitur.* Ab*eſt à* Lariſſo *Achæorum urbs* Dyme *ſtadia fermè quadringenta: hanc* Philippus Demetrij *filius bellũ cum Achæis gerens,unam ex omnibus,quæ Achæis parêrent,dicto audientem habuit:& hanc unam ob culpã* Vlympicus,*& ipſe* Ro. *dux militi* Dymen *diripiendam dedit.* Auguſtus *eam poſtea* Patrenſibus *attribuit. Priſcis tẽporibus* Palea *eſt àppellata.* Hoc *quod nunc habet nominis,tunc accepit,cùm in* Ionum *iura conceßit.* Neq; *uerò ſatis mihi liquet utrum à* Dyme *fœmina indigena,an à* Dymante Aegimiti *filio ſit nuncupata.* Quòd *ſi quis fortè elegos legerit qui ad* Oebotæ *ſtatuam in* Olympia *inſcripti ſunt, is facilè de huius urbis nomine ambigere poßit.* Oebotæ *quidem* Dymæo *palma de ſtadio data* Olympiade VI. *Statua tamen ex* Delphico *quodam re-*

dam reſponſo Olympiade non niſi octogeſima erecta: ad eam hi uerſus inſcripti:

Oeniæ Oebotus ſtadium qui uicit Achiuus,
Per quem Palea clarius enituit.

Sed nihil nominis hæc commutatio, quòd ſcilicet nō Dyme, ſed Paleam hi uerſus nominent, quenquam conturbarit: priſca enim nomina carminibus aptiora iudicantur: & ea in primis uſurpant Græci poëtæ, qui Amphiaraum & Adraſtum Phoroneadas, Erechthiden Theſeū ſolent appellare. In ſuburbano Dymes agro ad uiæ dexteram Soſtrati ſepulchrum extat. Fuit hic indigena adoleſcentulus, Herculi, ut aiunt, in amoribus, et ſuperſtitem illi Herculem ipſum tumulum puero feciſſe memorant, capillumq́; inferias miſiſſe. ætate etiamnū mea imminet terræ aggeri pila, cui Herculis ſignum inſiſtit. Parentare uerò Soſtrato populares ſuos accepi. Habent ijdem Dymæi Mineruæ ædem, et ſignū, priſci utrunq; operis. Aliud etiā apud Dydymeos Didymænæ matri & Attæ dedicatū eſt fanum. Attes quidem hic quiſnā fuerit, nihil omnino arcani uſpiam comperi. Hermaſianax elegorū ſcriptor uerſibus prodidit, Calai Phrygis filiū fuiſſe, & ad ſobolē ſuſcipiendā planè inutilem editū à matre. Cum iam adoleuiſſet, in Lydiā migraſſe, ibiq́; Magnæ matris cæremonias monſtraſſe: tanto uerò in honore apud deam fuiſſe, ut id moleſtè ferens Iupiter, immanem aprum in Lydorum ſegetes immiſerit, à quo & alij è Lydis, & ipſe Attes interemptus fuerit. Fidem rei faciunt Gallogræci Peſinuntis incolæ: ſue enim tanquam impura beſtia omnino abſtinent. Sed alius longè ſermo de Atte eſt apud ipſos memoriæ conſecratus. Iouem fabulantur per ſomnum in terram ſemen profudiſſe, ex eo terræ conceptu genium humana quidem figu-

ra,ſed ambiguo ſexu,in lucem prodijſſe, Agdiſten *appellatum:* Deos *monſtro exterritos uirilem ei partem execuiſſe: ex ea amygdalum enatam, cuius cùm maturos fructus appetiſſet* Sangarij *amnis filia, eosq; in ſinũ abdidiſſet, euanuiſſe illos quidem: uerùm puellam grauidam factam, puerum enixã:hunc in ſylua expoſitũ,à capella educatum, cùm adoleuiſſet,eximia fuiſſe,& multò quàm humana excellentiore pulchritudine: quocirca acri eius amore captum* Agdiſtin, *cùm ad uirilẽ ætatẽ perueniſſet,* Peſinuntẽ *eum propinqui ſui miſerũt:ibi cum regis filiã uxorem eſſet ducturus,et iam nuptiale carmen cantaretur, repentè* Agdiſtis *interueniens tantũ* Attæ *immiſit furorem,ut ibi pudenda præcideret:hoc item ſocer ipſius fecit.* Agdiſtin *facti pœnituit, quare à* Ioue *impetrauit,ne qua in poſterum corporis* Attæ *pars corrumperetur, aut tabeſceret.* Hæc de Atte *memoriæ prodita.* In Dymæorũ *finib.* Oebotæ *curſoris uictoriæ monimentũ extat,qui cùm primus ex* Achæis Olympiæ *coronã meruiſſet, neq; ullũ apud ciues ſuos eo nomine præcipuũ honorẽ eſſet adeptus, imprecatũ* Achæis *aiunt, ne quis ipſorum unquã palmam* Olympicam *ferret. Extitit omnino deorũ aliquis, cui fuit curæ ratam facere eam* Oebotæ *execrationem: id tum demum reſciuerunt* Achæi, *cùm ſe mirantes* Olympicarum *palmarũ compotes fieri nunquã amplius potuiſſe,* Delphos *ad oraculũ miſerunt:& tunc quidẽ cùm & alia in* Oebotæ *honorẽ inſtituiſſent, uiriq; ſtatuã in* Olympiã *miſiſſẽt,mox* Soſtratus Pellenæus *in ſtadio pueros uicit.* Et *hac etiamnum ætate* Achæis Athletis *ſolenne, ut priuſquàm in certamen deſcendãt,* Oebotæ *parentent,eiusq; ſtatuæ uictores coronã imponant. Stadia fermè* XL. *progreßis à* Dyme, Terus *amnis in mare decurrit, in cuius propè ripa* Achæo-

rum urbs Olenus *olim incolebatur.* Et Herculis *ſanè qui uitam ac res geſtas uerſibus cõmemorarunt, propè omnes in eo nõ minimam carminũ ſuorum partem conſumpſerunt, à quo* Oleni *rege, & quibus muneribus hoſpitaliter fuerit acceptus.* Ac *paruũ certè ab initio olim fuiſſe oppidum teſtantur elegi, quos in* Eurytionem Centaurũ *fecit* Hermeſianax: *inſequentibus dein temporibus ex* Oleno *propter ciuitatis imbecillitatẽ,* Peras & Euryteas *ſe incolas recepiſſe.* Ab *amne* Pero *ſtadia fermè* LXXX. *diſtat* Patrenſium *urbs, à qua non procul in mare* Glaucus *amnis erumpit.* Qui *de* Patrenſium *antiquitate monimenta conficiunt, eam regionem primùm omnium incoluiſſe indigenam* Eumelum *tradunt: ad eum ex* Attica *ueniſſe* Triptolemum, *à quo & fruges accepe rit* Eumelus, *& rationem urbis condendæ: & primam quidem urbem ſumpto nomine de terræ cultu* Aroan *appellatam.* Triptolemo *conſopito* Eumeli *filium* Anthean *ad illius currũ dracones iungere auſum, & ex eo frumenta ſerere, de curru uerò excuſſum diem obiſſe:* Eumelum & Triptolemum *de pueri nomine cõmuni conſilio à ſe cõditam urbem* Antean *nuncupaſſe: quo tempore tertiam urbem inter* Aroan, Anthean, Meſſatin *erectam memorant.* Quæ *uerò* Patrenſes *prædicant de* Libero Patre, *quòd intra* Meſſatin *oppidũ educatus, quodq́; ibidẽ* Panũ *inſidijs propè fuerit circumuentus, nihil ſermones de* Meſſatis *nomine refellens, ipſiſmet rem totam exponendam relinquo.* Eiectis *deinde ab* Achæis Ionibus, Patreũs Preugenis *filius,* Agenoris *nepos,* Achæos *edicto uetuit* Anthean & Meſſatin *incolere:* Aroës *uerò pomœrio ampliato ueterem oppidi ambitum nouo incluſit, &* Aroën *de ſuo nomine* Patras *uocauit.* Agenor *fuit* Preugenis *pater,* Arei *filius, qui* Ampycis *nepos fuit,*

Ampyx Peliæ filius: is ab Aegineta, Dereto, Harpalo, Amyclа, Lacedæmone ordinē gentilitatis ducebat. Hi Patreo natales fuere. Patrenſes quidem priuatim aliquando ſoli ex Achæis omnibus in Aetoliā tranſmiſerūt, quò Aetolis ueteribus amicis aduerſus Gallos auxiliū ferrent. Inſigni uerò clade pluribus prælijs accepta, fortunis propè omnibus euerſi; Patras longè maxima pars reliquere: hi per agrū diſperſi, quò ſe à terræ cultu reciperent, oppida incolere cœperunt. Meſſatim, Anthean, Bolimen, Argyran, Arban. Auguſtus deinde, uel quòd ad nauiū appulſum Patras ualde eſſe appoſitas iudicaret, uel alia quacūq; de cauſa, remigrare omnem illam multitudinem ex illis oppidis Patras iuſsit: quin eòdem Rhypis Achæorū urbe funditus euerſa multitudinē omnem traduxit. Et ſolis certè Patrenſibus, ex Achæis omnibus, ut ſua libertate uterentur cōceſsit, atq; alia in eam ciuitatem beneficia contulit, quibus à ſe deductas colonias Romani afficere conſueuerunt. Eſt Patrenſibus in arce Laphriæ Dianæ fanum: peregrinū Deæ cognomen, & ipſum Deæ ſignum aliunde huc deportatum. Calydonem enim, atqueadeo uniuerſam Aetoliā cùm peruaſtaſſet Auguſtus, quò Nicopolin à ſe conditā urbem ad Actiū promontoriū nobilitaret, Aetolicum hoc Laphriæ ſimulachrum Patrenſibus datum. Nam cùm multa, quæ Aetolis & Acarnanibus ademerat, ſigna Nicopolin tranſportanda curaſſet, de ſpolijs Calydonis, & alia ornamenta Patrenſibus, & hoc ipſum Laphriæ Dianæ ſignū donauit, quod hac ipſa etiā ætate à Patrenſibus in arce colitur. Cognomen deæ inditū à Phocenſi homine tradūt: Laphriū enim Caſtalij fratrem, priſcum Dianæ ſignū apud Calydonios dedicaſſe. Sunt qui ex eo id cognominis extitiſſe putent, quòd temporis longiore ſpatio fuiſſet leuior in Calydonios

donios Deæ ira, quam antè grauiſsimã aduerſus Oeneã exercuerát. Præfert ſignũ uenatricis habitũ, ex ebore uerò et auro eſt fabricatum: opifices fuere Naupactij Menæchmus & Soidas, quos Canacho Sicyonio & Callone Aegineta non multò ætate fuiſſe inferiores conijciunt. Laphriæ anniuerſarium ſacrũ patrio ritu Patrenſes faciunt. Viridia ligna ſedecim cubitûm longitudine circa aram in orbem diſponũt, intra aram aridiſsima: cliuũ ad aram ſub feſtum diem ſubacto limo ad gradus aggeſto extruunt: pompam deæ magnificentiſsimo apparatu tranſmittunt: in ea uirgo, quæ ſacerdotio fungitur, poſtrema omniũ ceruorũ bijugo curru inuehitur: poſtero die ſacra ritè celebrantur magno cùm publico, tum priuato omniũ ſtudio. Intra aræ ſeptum uiuentia animalia conijciunt, eſculentas aues, & cuiuſuis generis uictimas, apros etiam, ceruos, capreas, luporũ & urſorum catulos, nõnulli prægrandes et adultas iam feras. Addunt & pomiferarum cuiuſuis generis arborum fructus. Immiſsis ignibus, urſos uidi & alias feras in exteriorem aræ partem flammarũ impetu eiectas, nõnullas etiam è uinculis elapſas. Omnes è fuga reportatas in rogum reponunt, neq; omnino unquã ut à fera quiſquam ulla læderetur, uti ipſi aiunt, contigit. Eſt inter Laphriæ Dianæ ædem & aram Eurypyli monimentũ. Hic quiſnam fuerit, & quam ob cauſam huc uenerit, iam exponã, ſi prius tamen ſub Eurypyli aduentũ, qui fuerit in his locis hominũ ſtatus enarrauero. Tenentibus Aroën, Anthean & Meſſatin Ionibus, in domo quadam ſacra fuit area, & ædes Dianæ cognomento Triclariæ: huic quotannis feſtos dies agitabant, & lectiſterniũ faciebant Iones. Sacerdotium penes uirginem erat, uſquedum illa nuberet. Accidiſſe autẽ aiunt, ut cùm hoc fungeretur ſacerdotio uirgo eximia

admodũ ſpecie Comæthò nomine, eius amore Melanippus caperetur adoleſcens cùm cæteris laudibus, tum uerò corporis forma æqualium ſuorum longè præſtantiſsimus. Hic cum amore ſibi mutuo puellam deuinxiſſet, uxorẽ eam à patre ſibi popoſcit. Enimuero eſt ita natura comparatum, ut ſenes quauis in re iuuenibus aduerſentur, atq; in primis, obliti ſe iuuenes aliquando fuiſſe, eorum ſint amoribus oppidoquàm infenſi: quare nihil iuuenis æquum aut mite uel à ſuis, uel à puellæ parentib. impetrare potuit. Sed enim quantam cùm ad humana, tum ad diuina iura uiolanda uim habeat amor, et alia ſæpe rerũ euenta, & Menalippi caſus facilè declarauit. Etenim in ipſa Dianæ æde iuuenes congreſsi, cupiditatẽ ſuam explerũt, ac ſæpius deinde templo æquè ac thalamo geniali abuſi ſunt. Atq; illi quidẽ breui morbo conſumpti, impietatis pœnas Dianæ dedere. Conſecuta uerò eſt ex læſi numinis ira ſumma terræ ſterilitas, & miſeranda hominum lues: indicauit tandem Delphici oraculi uox, Melanippi & Comæthûs libidinẽ tantæ calamitatis cauſam fuiſſe: & ſimul Dianam placari poſſe docuit, ſi quotannis uirgo, & puer, qui forma eſſent præſtantiſsima, deæ mactarentur. Cùm ſacrum itaq; fieri inſtitutũ fuiſſet, ex eo fluuius, qui Triclariæ Dianæ templum præterlabitur, Amelichus, quod eſt ac ſi immitem dixeris, eſt appellatus: nam antè ſine ullo fuit nomine. Attulit Melanippi & Comæthûs inceſtum facinus, pueris & uirginibus qui nulli ipſi culpæ affines fuerãt, perniciem, & eorũ parentibus luctum: ipſi uerò quos maximè noxios eſſe oportuit, pœnã omnem morte effugerunt: ſed amatoribus longiſsimæ uitæ inſtar fortaſſe fuit fructus is, quem ex amoribus ſuis capere potuerunt. Sacri tam immanis eum memorant finem fuiſſe, quòd cùm ex Delphici

Apollinis oraculo cognouiſſent, à peregrino aliquando rege, peregrinum item deum importatum iri, ac tunc demum deſituros humana hoſtia facere: Ilio capto in diuiſione prædæ Eurypylo Euæmonis *filio arca obtigit, in qua incluſum fuerat* Liberi Patris *ſignum, quod à* Vulcano *fabricatum putabant, dono uerò à* Ioue Dardano *datum.* De *ea arca duplex ſermo proditur: alij enim ab* Aenea *in fugã iam ſe conijciente relictam, alij à* Caſſandra *dedita opera abiectam dixere, cùm ſciret illa magno* Græcorũ *alicui, qui eam fortè ſuſtuliſſet, malo futurã.* Arca Eurypylus *aperta, ſtatim ut ſimulachrum cõſpexit, mentis impos eſt factus, atq; adeò, ut cùm perpetua propè agitaretur inſania, raro admodum ratione uteretur: quare cùm ita eſſet affectus, non in* Theſſaliam *ſuæ curſum nauigationis direxit, ſed cùm* Cirrhã *per* Cirrhæũ *ſinum applicuiſſet, oraculum quanam ratione furoris illo morbo liberari poſſet, cõſuluit: reſponſum uerò ei redditũ, ut quo in loco homines offendiſſet externo ritu ſacrum facientes, ibi arcam expoſitã dedicaret, & ipſe ſedem ibidem ſuam ſtatueret.* Delatus *inde uentis* Aroën Eurypylus, *cùm in litus deſcenderet, fortè in illud incidit tempus, quo ad* Triclariæ *aram puer & uirgo propè erat ut mactarentur: atq; ille quidem haud magno negotio ſacrum illud animaduertit cum oraculi uoce congruere.* Redijt *& incolis in memoriã, cùm regem, quem antè nunquã uiderant, & arcã ſimul conſpexiſſent, quod iampridem & ipſis prædictum fuerat, ac, quod res erat, illa arca dei cuiuſpiam ſignum cõtineri ſuſpicati ſunt.* Hic *rei fortuitus euentus* Eurypylum *inſania, ſacri infamia oppidanos liberauit, & fluuius mutato nomine,* Melichus, *quod mitem ſignificat, cœptus eſt appellari.* Scripſere *nonnulli non accidiſſe quæ cõmemorauimus* Eurypylo

Theſſalo, ſed Eurypylum Dexameni Oleni regis filium ab Hercule, cuius in oppugnatione Ilij comes fuerat, arcam accepiſſe. Quadrant alia cum ſuperiore expoſitione. Sedenim neq; Herculem adduci poſſum quid in arca abditũ eſſet ignoraſſe, uel id ſi reſciſſet, fatale donum belli duntaxat ſocietate ſibi coniuncto homini daturum fuiſſe. Patrenſes quidem ipſi Eurypylum unum ex antiquitatis patrijs monimentis norunt Euæmonis filium, cui parentalia faciunt aniuerſaria poſt Liberi Patris ſacrum. Deo cognomen, qui in arcam fuerat abditus, Aeſymnetes. Præſunt eius religioni nouẽ uiri è ciuitatis principibus, & fœminæ primariæ totidem: ac per dies quidem feſtos, nocte una ſignum ex arca depromit ſacerdos. Ea nox hanc habet ſolennis pompæ quaſi prærogatiuam: deſcendunt ad Melichum fluuium oppidanorũ liberi cum ſpiceis coronis, & eodem omnino ornatu, quo ad aram Dianæ qui mactandi erant, deducebantur: eas coronas deæ ſuſpendunt, ac deinde ubi ſe flumine abluerint, nouis ex hedera abſumptis coronis rectà ad Aſymnetæ fanũ procedũt. Ad hunc propémodum ritum ſacrum peragitur. Intra Laphriæ ambitum Mineruæ etiam ædes eſt cognomento Panachæidis, cuius ſignum ex auro & ebore. Deſcendentibus ad inferiorem urbis partem, eſt matris Dindymenes delubrũ, in quo Attes etiam colitur, etſi nullum eius monſtratur ſignum: nam Magnæ matris ipſius marmoreũ eſt. In foro Iouis Olympij templum eſt: ſedet ipſe in ſolio, propè adſiſtente Minerua. Secundùm Olympij Iunonis eſt ſimulachrũ. Apollini etiam fanum dedicarũt: dei nudum eſt ex ære ſignũ, pedibus tantùm calceatis, quorũ altero bouis caluæ inſiſtit. Delectatũ uerò bobus Apollinem, in hymno, quem in Mercurium fecit, docet Alcæus, boues ereptas Apollini à Mercu

rio

rio memorans. Sed ante Alc*æum uerſibus prodidit ſuis* Ho*merus, certa mercede Laomedontis armenta* Apollinem *pa uiſſe, idemq́; ita loquentem* Neptunum *fecit:*

Ipſe ego Troianam uallabam mœnibus urbem
Tam latis pulchrisq́; ut inexpugnabilis eſſet,
Ac tu Phœbe boues Camuras tunc paſtor agebas.

In foro ſub diuo poſitum eſt Mineru*æ ſignum, in cuius fron te eſt* Patrei *ſepulchrũ. Cum foro* Odeum, *quod eſt ac ſi* Can*tilenarium dixeris, coniunctum eſt: in eo* Apollinis *ſimulachrum eximia admodum ſpecie: de manubijs illud* Patrenſes *fecere, cùm ex* Ach*æis omnibus ſoli,* Aetolis *contra* Gallos *auxiliũ tulere.* Exornatum Odeum *illud eſt omniũ, quæ in* Gr*æcia ſunt, magnificentiſſimè, excepto duntaxat eo quod* Athenis *eſt: illud enim & magnitudine, & ornamentorum inſignibus facilè ſuperat quorumuis operum ſplendorẽ: ab* Herode *uerò* Attico *in mortuæ uxoris memoriã eſt dedicatum.* Eius *certè operis in cõmentario de rebus* Atticis *idcirco nullam fecimus mentionẽ, quòd eam hiſtoriã antè quàm* Herodes Atticus *exædificationem illam inſtituiſſet, perſcripſeramus.* Sed *ad* Patrenſes *redeo.* E *foro abeuntibus, qua parte eſt* Apollinis *ædes, porta eſt in eo urbis exitu, et ſupra portam inauratæ ſtatuæ puerorũ eminent,* Patreus, Preugenes, Atherion, *qui dum* Patreus *puer eſſet, eius æquales fuere.* In *aduerſa fori regione fanum eſt cum area ſacra* Dian*æ* Limnatidis. *Aiunt, tenentibus iam tum ab initio* Laced*æmona &* Argos Dorienſibus, Preugenẽ *ex quodam ſomnio* Limnatidis *ſignũ* Spartanis *eripuiſſe: in ea re ſerui, cui fidẽ habebat maximã, opera uſum:* Meſo*æ reliquo tẽpore ſeruatur, quo à* Preugene *primùm eſt è* Sparta *deportatũ: uerùm ipſo* Limnatidis *feſto die è ſacris ſeruis unus transfert illud*

Patras, in aream deæ. In ea area ſunt & aliæ ſacræ ædes in operto, ad quas per porticus quaſdam eſt aditus. Ibi Aeſculapij ſignum, præter ueſtem, è marmore, Mineruæ ex ebore & auro eſt fabricatum. Ante Mineruæ templum Preugenis ſepulchrum eſt, ad quod anniuerſaria fit parentatio, eo ipſo tempore, quo Limnatidi ſolennia peraguntur ſacra. Nō longè à theatro ædes duæ ſunt, Nemeſis una, Veneris altera, utraq; inſigni magnitudine. Dearum ſigna è candido marmore ſunt. In eadem urbis regione Liberi Patris, cui cognomen Calydonio (eſt enim dei ſignū è Calydone deportatū.) Fuit dum Calydon ſtetit, inter alios Liberi ſacerdotes Coreſus, cui ex amore acerbiſsimi caſus euenere. Amabat hic Callirrhoën uirginē, & quanto erat Coreſi amor uehementior, tanto erat puellæ animus ab eius cupiditate alienior. Quare cùm neq; precum, neq; munerū ullo genere, omnia expertus Coreſus, uirginē flectere potuiſſet, poſtremò ſupplex ad Liberi ſignū confugit, ueniā poſcens. Non fuit irrita ſacerdotis precatio, ſiquidem inceſsit ſtatim Calydonijs ebrietati perſimilis quidam furor, ex quo paſsim populari ueſaniæ morbo interibant. In ea lue Dodonæ oraculum conſulendum cenſuerunt: erat enim illis temporibus apud eius oræ incolas Aetolos, & eorū finitimos Acarnanas & Epirotas columbarum, quæ è quercu reſponſa dabant, eorum populorum fide ſancita, ualde inclyta fama. Reſponſum qui miſsi fuerant tulere, placandum Liberum, cuius ira tantā apportaſſet perniciem. Eſſe uerò placandi numinis unam illam rationē, ſi ad eius aram Coreſus uel Callirrhoën immolaſſet, uel aliū, qui ſe pro illa deuouiſſet. Puella cùm fruſtra deprecando, ne impetrato quidem eorū à quibus educata fuerat, auxilio, cædi deſtinata eſſet, & ijs omnibus comparatis quæ

ad ſa-

ad ſacrum ritè peragendum in promptu eſſe oportere Do-*donæi* Iouis *oraculũ monuerat,cum infulis uictimæ ornatu ad arã iam deducta fuiſſet, Coreſus ipſe,qui ſacris præerat, amore uictus,nihil iam priſtinæ in puellam iræ indulgens, ſeipſum pro illa occidit:ac dedit ille omnium,quorum extet memoria,maximè ſæuum amoris ſpecimen.Cõmota rei ſpe ctaculo Callirrhoë, animum flexit, & in cõmiſerationem tam diri caſus uerſa,et ipſa ſemet ad fontem,qui non procul abeſt à Calydonis portu, iugulauit.*Eum *fontem poſteri de puellæ nomine nuncuparunt. Eſt apud* Patrenſes *nõ longè à theatro indigenæ cuiuſdam fœminæ ſacrarium, in quo* Li*beri ſigna totidem, quot ſunt oppida* Achæorum,*& iiſdem propè nominibus,* Meſateus, Antheus,*&* Areus.*Signa hæc, ipſis* Liberalibus,*in* Aeſymnetæ *deportant. Templũ in maritima urbis parte ſitũ eſt, ad eius uiæ,quà è foro exitus patet, dexteram. Deſcendentibus ab* Aeſymnetæ, *aliud conſpi cias è lapide ſignum, quod* Salutis *nuncupatur: dedicatum aiunt iam tum ab* Eurypylo, *cùm inſaniæ morbo liberatus fuit.* Proximè *ad portum* Neptuni *ædes eſt,cum ſigno marmoreo, cuius rectus eſt ſtatus. Neptunum quidem, præter ea cognomina quæ à poëtis ficta ſunt,ornandi carminis cauſa,ſuis gentes propè ſingulæ patriis appellarunt nomini bus. Cõmunia uerò ferè omnibus, & maximè inſignia,* Pela*gæus,* Aſphaliæus,*&* Hippius.*Ad mare,& portuũ ſecurita tem,priora uidentur cognomẽta pertinere: hoc poſtremũ, quod equeſtrem ſignificat,alius alia de cauſa* Deo *inditũ ſuſpicari poſſit.*Ego ex eo cõiicio, *quòd equitationem primus* Neptunus *inueniſſe dicatur.* Homerus *quidem,quo loco cer tamen equorum deſcribit,* Menelaum *facit iuſiurandum con cipientem,per huius ipſius dei numen:*

En agè equos tangens Neptuni numina iura,
Fraude meos nulla prudens tardare iugales.

Pamphus uerò, apud Athenienſes hymnorum maximè priſcus autor, Neptunum appellat equorum ac turritarum uelatarumq; nauium largitorem. Satis itaq; probabile, non aliunde eum, quàm ab equitatione nomen adeptum. Patris quidem non procul à Neptuni, Veneris templa ſunt: deæ ſignum è duobus, quæ ibi dedicata ſunt, alterum è mari piſcatores funda extraxerunt, aliquot ante ætatem meam annis. Sunt & ante portum ex ære Martis ſigna. Eſt ſacra etiam Apollini et Veneri cõmunis arèa, cum ipſo ferè portu cõiuncta. Simulachris os, manus, et imi pedes è marmore, reliquæ partes è ligno ſunt. Eſt etiam in ipſa maritima ora lucus, in quo curricula luculenta, & æſtiuæ ſtationes ualde elegantes. In eodem luco Apollinis & Veneris delubra ſpectantur cum ſignis marmoreis. Proximũ luco eſt Cereris fanum: dea ipſa & Proſerpina ſtant, Telluris effigies in ſolio ſedet. Pro Cereris æde fons eſt, qui à templo lapideo pariete ſecluditur: ad eum fontem per exteriorẽ tramitem deſcenditur. Ibi oraculum maximè ueridicum eſt. Cognoſcuntur ex eo non rerum omnium, ſed morborum duntaxat euenta. Speculum tenui ſuſpenſum funiculo demittunt, ut in fonte omnino non mergatur, ſed imo ambitu ſummam aquam contingat. Vbi odores adoleuerint, & ritè deam precati fuerint, inſpiciunt in ſpeculum, & ex eius imaginibus, periturúsne an uicturus is æger ſit, de quo conſuluerũt, diuinãt. Neq; latius omnino huius aquæ diuinatio patet. Eſt uerò in Cyaneis ad Lyciæ fines Apollinis Thyrxei oraculum, Cyanæis petris proximum, ubi qui in fontem deſcenderit, planè omnia quæcunq; uelit præſcire poſſe dicitur. In Patrenſi luco duo

ſunt

ſunt Serapidis templa, in quorum altero Aegypti Beli filij ſepulchrum. Aegyptum Aroën ueniſſe tradunt Patrenſes, filiorum luctu confectũ, cùm ipſum Argorũ nomen exhorreſceret, & in primis à Danao ſibi plurimùm metueret. Eſt etiam apud Patrenſes ſupra arcem, ad ipſam oppidi portã, per quã exeũt qui Meſſatin iter habent, Aeſculapij templũ. Fœminarum Patris quàm uirorum duplo ferè maior eſt numerus, & hæ quidem ſi quæ aliæ ad Venerem pronæ: texendis è byſſo Eliaca reticulis, & alia ueſte, earum complures uictũ quæritant. Pharæ Achæorũ oppidum Patrenſibus eſt ab Auguſto attributum. Via intereſt ſtadiûm centũ & quinquaginta: à mari uerò ad continentem, ſuperiorem oram, ſtadiûm interuallum circiter LXX. Præterfluit Pharenſium agrum fluuius Pierus, idem opinor qui & Oleni ruinas præterlabitur, quem maris accolæ Perum nominant. In eius ripis platanorum lucus eſt, tanta arborum magnitudine ex ipſa uetuſtate, ut intra cauernas (multæ enim concauæ ſunt) qui uelint, & epulari & recumbere poßint. Fori area magno & latè patenti ambitu eſt, quo ſcilicet ſpatio eſſe cõſueuerant priſcorũ fora. In medio Mercurij marmoreũ ſignũ, cum barba, è quadrata baſi eminens, modica magnitudine. Teſtatur inſcriptio à Meſſenio Simulo dedicatũ. Cognomen ei eſt Agoræo, quod idem omnino eſt ac ſi Forenſem dicas. Proximo loco oraculum eſt. Ante Mercurij ſignũ Veſta, & ipſa marmorea: adpoſitæ ei ſunt plumbo ferruminatæ æneæ lucernulæ. Qui Deum conſulunt, Veſtam primùm thure incenſo placant, deinde oleo infuſo lucernas accendunt, tum uerò in aræ dextera parte nummum patria nota ſignatum, appellant Aereum, dedicant. Vbi quod ex uſu fuerit rogarit, aurẽ ſimulachro admouet, inde è foro abiens.

manibus aures premit: ubi è foro exceſſit, amota manu quã primùm excepit uocem, eam ſibi oraculi loco ducit. Eadem *apud Aegyptios in Serapidis celebratur oraculi religio.* Eſt *item* Pharis *aqua* Mercurio *ſacra,* Hama *fonti nomen.* Piſcibus *parcunt, quòd ſacros* Deo *putant.* Prope *ipſum* Dei *ſignũ lapides ferè* XXX. *erecti ſunt quadrangula figura: ſingulos certis deorum nominibus appellantes uenerantur.* Et *ſanè* Græcis *olim omnibus patrium fuit rudes lapides pro* Dis *perinde ác ſimulachra ipſa colere.* Eſt *procul ab oppido ſtadia fermè* XV. Caſtoris *&* Pollucis *lucus, lauris conſitus plurimis: ædes uerò aut ſigna in eo omnino nulla: aiunt incolæ,* Romã, *quæ fuerant, fuiſſe deportata: ara tantùm extat lapide exquiſito extructa.* Oppidani *pro certo non habent,* Pharés *ne* Philodamea Danai *filia natus, an alius quis illi cognomen, eam urbem condiderit.* Tritia *quidem* Achæorum *& ipſa urbs à litore interior,* Patrenſibus *hæc quoque attributa* Cæſaris *uoluntate.* Abeſt *à* Pharis *ſtadia centum & uiginti.* In *ſuburbano agro ſepulchrum uiſitur candido lapide extructum, inſigne illud quidem cùm reliquo opere, tum maximè quòd in eo* Niciæ *oſtenduntur picturæ.* In *ſella ſedet eximia ſpecie puella: adſiſtit puellæ ancillula cum galericulo, & adoleſcentulus planè impuber tunica amictus, & ſupra tunicam punicea chlamyde.* Sequitur *eum ſeruulus cum iaculo, uenaticos canes ducens.* Nomina *certè cognoſcere non potuimus, ſed facilè fuit conijcere illud eſſe uiri & uxoris monimentum.* Tritiæ *quidem conditorem* Celbidan *ſunt qui dicant fuiſſe: ueniſſe uerò illum è* Cumis Opicæ *terræ.* Alij *à* Marte *tradidere* Tritiam Tritonis *filiam compreſſam.* Fuiſſe *eam* Mineruæ *ſacerdotem dum uirgo eſſet:* Melanippum Marte *&* Tri-

tia na-

tia natum, urbem condidiſſe, & à ſe auctam de matris nomine appellaſſe. Eſt Tritiæ *fanum quod* Maximorum *deorum uocatur. Simulachra fictilia ſunt. Sacra his non alio ritu fiunt, quàm* Libero Patri apud *cæteros ferè* Græcos. Mi*neruæ etiam ædes extat: deæ ſignum marmoreum hac ætate cernitur: priſcum* Romam *fuiſſe deportatum* Tritæenſes *ipſi memorant.* Eodem *in templo* Marti *etiam &* Tritiæ *ſolenne habent rem diuinam facere. Atq; hæ quidem procul à mari, & planè interiores in continenti terra urbes ſunt.* Nauigantibus Aegium *à* Patris *diſtat ſtadia quinquaginta promontorium, cui nomen* Rhion. Portus *ab opportunitate* Panormus, *longè abeſt à promontorio ſtadia* XV. Totidem *à* Panormo *diſtant qui* Mineruæ *muri dicuntur: à quibus ad portum cui* Caprifici *nomen, oram legentibus interuallum ſtadiûm* XC. Inde *ad* Aegium LX. *pedeſtre iter breuius ſtadiûm* XL. Paululum *abeſt ab ipſo* Patrenſium *oppido* Melicus *amnis, &* Triclariæ *templũ, in quo ſignũ omnino nullum reliquum eſt.* Ad *uiæ dexterã hæc ſunt.* Paulò *longius progreßis alius eſt amnis, cui* Charadrus *nomen, è quo, quæ potarint pecudes mares gignere creduntur fœtuũ partem maximam, eáq; de cauſa paſtores aliorſum greges agunt, præter bouillum tamen pecus. Id ab eo flumine idcirco non reijciunt, quòd mares & ad uſum ſacrorum, & ad agrorum cultum magis idoneos eſſe arbitrantur.* Cæteri *pecoris fœminas maiore multò æſtimatione dignantur.* Secun*dum* Charadrũ *ruinæ ſunt nõ magnopere inſignes* Argyræ *urbis, & ad dexteram uiæ popularis fons* Argyra, & Sele*mnus fluuius in mare ea parte exit.* De *eo indigenarum eſt peruulgata fabula,* Selemnum *egregia forma puerũ amatũ ab* Argyra Nympha, *illam è mari ſubnatantem, in fluminis*

alueo cum puero cubare ſolitam: non longo pòſt temporis interuallo, cùm pueri forma defloruiſſet, ad eum accedere Nympham deſiſſe: deſiderio puerum contabuiſſe, & à Venere in amnem mutatũ. Verùm cùm in aquã etiã uerſus puellæ amore teneretur (hæc enim ipſi Patrenſes *memorant) ad eam (uti de* Alpheo & Arethuſa *proditum eſt) aquas ſubiens penetrabat, donec* Veneris *munere* Nymphæ *puerũ cepit obliuio.* Inde *eam uim* Selemnum *habere creditum, ut qui uiri, quæ ue fœminæ ſe in eo abluerint, amorum ſuorũ obliuiſcantur: quod niſi cõmentitium eſſet, quantauis pecunia uideri poſſet ea* Selemni *aqua precioſior.* Ab Argyra *modico interuallo fluuius abeſt* Bolinæus. Fuit *ei proxima olim* Bolina *urbs. Virginem ab* Apolline, *cui* Bolina *nomẽ, amatam tradunt, quæ fugiens in mare ſe proximum abiecerit, ac poſtea* Apollinis *miſeratione immortalitatem ſit adepta.* Promontorium *inde mari imminet.* In *hoc ipſum mare fabula uulgauit, Saturnũ falcem abieciſſe, Cœlum patrem cùm execuiſſet, & ex eo promontorium* Drepanum *uocatum.* Paululum *ſupra militarem uiam cernuntur* Rhypum *ruinæ: ab illis diſtat* Aegium *ſtadia circiter* XXX. Agrum *præterlabitur fluuius* Phœnix, *et item* Meganitas: *ambo in mare influunt.* Porticus *ſuburbana* Stratoni Athletæ *erecta, qui* Olympiæ *eodem die pancratij & luctæ coronas cepit, quò certum ubi ſe exerceret locum haberet.* Habent Aegienſes *uetuſtũ* Lucinæ *fanum: deæ ligneum ſignum à uertice ad calcẽ tenui carbaſo uelatũ, præter os tamen, ſummas manus, et pedes. Sunt uerò quæ non teguntur partes è marmore* Pentelico. Alteram *manum porrigit, altera facem præfert. Attributas ei faces ex eo ſuſpicari poſsis, quòd parturientes dolores urere uideantur, uel quòd ipſa in lucẽ fœ*

tus

tùs profert. Simulachrum illud fecit Damophon Meſſenius. Nõ longè à Lucinæ, eſt ſacra Aeſculapio ara, in qua Hygeæ ſunt & Aeſculapij ipſius ſigna. In baſi inciſi iambi indicant, Meſſenij Damophontis opus eſſe. In hoc Aeſculapij templo altercatio mihi fuit cum Sidonio homine, qui & rerum omnium diuinarum peritiores eſſe Phœnicas quàm Græcos contendebat: tum uerò & inter ipſos aiebat Aeſculapij patrem Apollinem celebrari, matrem uerò ei mortalem fuiſſe negabat. Aeſculapium enim aliud nihil quàm aërem eſſe, ex quo bona ualetudo, quam Græci Hygiean appellant, tam homini, quàm cunctis alijs animantibus, exiſteret. Apollinem, qui Sol ipſe eſt, iurè patrem Aeſculapij perhiberi, quòd anniuerſarias uiciſsitudines curſu conficiens ſuo, aëri ſalubritatem impertiat. Hæc ego illi facilè aſſentiebar, ſed non eſſe magis Phœnicum eam opinionem, quàm Græcorum oſtendebam, cùm Titane etiam, quod eſt Sicyoniorum oppidum, Aeſculapij ſignum, ſalubritatis dicatur. Eſſe uerò uel puero manifeſtum aiebam, corporũ ſalubritatem Solis curſu effici. Eſt item apud Aegienſes Mineruæ delubrum, & Iunonis lucus. Mineruæ ipſius duo ſunt è candido lapide ſigna. At Iunonis nemini, præter eam mulierem cui ſacerdotium obtigit, fas aſpicere. Liberi etiam ædes proxima theatro: ſignum impuberi ore eſt. In foro Iouis eſt area, cognomento Seruatoris, & in primo ſanè fori aditu ad læuam ſimulachra ænea duo, quorum alterũ imberbis effigiem præ ſe ferens, multò eſſe uidetur antiquius. At ænea ſigna, quæ rectà per militarẽ uiam progreßis, in cella quadam Neptuno & Herculi dicata ſunt, Argeos nuncupant, uel quòd (ut Argiui dicũt) Argis fabricata fuerint, uel (quod Aegiẽſes ipſi uulgarũt) depoſita illa apud ſe ab Argi-

uis, aſſeruarint: quibus cùm iuſsi eſſent quotidie ſacra facere, quò id ſine publica impenſa fieret, excogitaſſe, ut ea ipſa, quibus poſtea in epulationibus ueſcerentur, diisq́; rem diuinam facerent, conſecrarent: ſedenim cùm depoſitum aliquando repetiſſent Argiui, ſe quoque repetiſſe, quam in ſacra erogaſſent pecuniam: illos cùm ſoluendo non eſſent, ſigna reliquiſſe. Prope forum communis Apollini & Dianæ ædes dedicata eſt. In foro etiam eſt Dianæ templum, ſagittas dea eiaculantis effigiem præ ſe fert. Eſt etiam Talthybij caduceatoris ſepulchrum, cui Spartæ quoque tumulus eſt aggeſta terra extructus. Vtraque ciuitas Talthybio parentat. In maritima Aegij parte Veneris delubrum eſt: Neptuni deinde, Proſerpinæ etiam, & Ioui Homagyrio, quod eſt ac ſi Congregatori dicas, templa dedicata fuere. In Iouis, dei ipſius, Veneris, & Mineruæ ſigna extãt. Homagyrium cognomine appellarunt, quòd in hunc locum Græciæ principes Agamemnon coëgit, quò de illorum ſententia conſilium caperet, quæ foret Priami regnum bello adoriendi optima ratio. Agamemnoni ipſi & aliæ potuerunt laudes attribui, & ea ſumma fuit omnium, quòd ſemel habito delectu, cum iis tantùm qui nomina dederant, nullo euocato è Græcia ſupplemento, & Ilium & finitimas urbes expugnarit. Proximum eſt Homagyrij Panachææ Cereris fanum. Sunt in Aegienſium littore eodem in quo templa, hæc memoratu digna. Aqua perennis, & ex ipſo capite bibentibus ſuauiſsima. Salutis fanũ, in quo ſignũ cernere fas nemini præter eos, qui ſacerdotio funguntur. Ibi ſacra, & alia ritè peragunt, & ex ara ſumpta liba in mare porriciũt, mittere ſe illa Arethuſæ Syracuſas teſtantes. Sunt & alia apud Aegienſes ex ære fabricata ſigna, Iupiter pueri

rili facie, & Hercules impuber, Ageladæ Argiui opera: his deliguntur quotannis ſacerdotes, quorũ in ædibus aſſeruantur ſigna. Priſcis quidem temporibus decernebantur Iouis ſacerdotia pueris, qui primas pulchritudinis tuliſſent: quibus iam pubeſcentibus alij ſuccedebant. Hæ patriæ Aegienſibus religiones. Conuentus autem apud eos Achæorum, hac etiam ætate celebratur, uti ad Thermopylas & Delphos, Amphictyonum. Hinc progreßis, amnis Selinus, & ab Aegio ſtadiûm interuallo XL. *uicus eſt Helice, frequentis olim urbis nomen. In ea fuit Ionibus religioſiſſimum Neptuni Heliconij templum. Manſiſſe apud ſe cultum eius dei memorant, à quo primùm tempore ab Achiuis eiecti, Athenas primùm, atq; inde poſtea ad maritimam oram confugêre. In Mileſijs etiam, qua ad Bibliadem fontem iter eſt, ante ipſam urbem ara monſtratur Heliconij. Et item apud Teios ambitus, & ara Heliconij eſt planè operè ſpectando. Quin & Homerus Helices, & Heliconij Neptuni mentionem uerſibus inſeruit ſuis. Interiecto dein tempore, cùm Achæi ſupplices è templo abſtractos trucidaſſent, non fuit lenta aut ſegnis Dei ad pœnam repoſcendã ira: ingens enim terræ ac repentinus motus non ipſa tantùm mœniá, & ædificiorum ſuperficiem ſubuertit, ſed urbis etiam totius aream ita obruit, ut ne ueſtigia quidem ulla poſteris agnoſcenda relinquerentur. Et antè quidem quoties labes huiuſmodi aliqua inſignior facta eſt, quæ terram longè lateq; concuſſerit, præceſſerunt certa quædam diuinitus rerum miracula, perpetui imbres, diuturnæ ſiccitates, tepidæ hyemes, æſtate anni Solis orbis uel caligine obductus, uel incẽſus rutilo, uel ſubatro liuidus fuit colore: fontes exiccati: uentorum turbines, quocunq; uehementius irrupiſſent, præualidas arbores ra-*

dicitus conuellerunt. Iam uerò ignes longo flammarum tractu per cœlum diſcurrêre. Siderum etiam non antè conſpectæ formæ, ſæpe hominibus pauorem incuſſere. Denſiores præterea ab ima terra halitus erupere. Tam multis prodigijs antequàm terræ tam uiolenti motus euenirent, homines præmonitos dij uoluere. Huius tantæ motionis nō unam nobis quaſi formam, aut ſimplex genus, ij quibus hæc iampridem inueſtigare curæ fuit, & eorum diſcipuli ac ſectatores prodidere: pluribus enim modis tremente terra, affici quæ moueantur animaduertêre. Leuiſſima eſt omnium motio (ſi quid tamen leue eſſe poßit in tam atroci malo) quoties quæ in partem unam impulſa fuerint, & propè iam ſolo æquata, obnitens ab imo contrarius quidam motus ſurrigat & reſtituat. Videre itaq; eſt cùm terra in hunc modum mouerit, columnas à recto ſtatu iam penè humi deiectas, erigi, & diſtractas parietū partes denuò coagmentari, trabes etiam loco dimotás in priſtinam ſedem reponi: ad hæc fiſtulas, & qui faſtigio ducendis aquis defodiuntur, tubulos, ſi fortè conuulſi diſceſſerint, ad unguem rurſus compingi, ut nō aptius fabrorum arte cohærere poſſe uideantur. Diuerſus eſt ab hoc impetus, quo irruente, nulla eſt tectorum aut mœnium tam firma ſuperficies, quæ non corruat ac ſternatur, æquè ac ſi fuiſſet bellicis tormentis labefactata. Omnium eſt in hoc genere pernicioſiſſimus ille motus, quem cum uitali ſpiritu ſimilitudinem quandā habere autumant. Sicuti enim ille, febris ui è corporis intimis quaſi penetralibus quādoq; erumpens, tum alibi, tum uerò maximè in uenis, quæ circa articulum eum ſunt, quo extremum brachium cum manu coniungitur, motus uehementiores ciet: ita propèmodum terræ cauernis incluſum ſpiritū, dum ſibi eruptionem molitur,

tur, ædificiorum fundamenta magno impetu ſubruere, non alio fermè modo, quàm terram talpæ ſubpellentes egerant. Atq; hac quidem ſæuientis ueluti terræ trepidatione adeò quaſi abſorpta mœnia domosq́; ſubſidere, ut nulla ferè reliqua fiant habitaculorum ueſtigia. Hoc *uaſtitatis genere perculſam ab imo ſolo* Helicen *memorant.* Acce*ßiſſe uerò & alteram huiuſcemodi cladem:* Maris *eluuione hyeme anni* Helicen *totam circunquaq; incinctam, ipſumq́;* Neptuni *lucum ita inundatione ea obrutum, ut uix ſumma extarent arborum cacumina: quo factum ut repentè cùm terræ motione uiolentißima, tum uerò effuſtus maris æſtu ſtagnante, urbs tota cum omni ciuium numero peſſum ierit.* Talis *& urbem, quæ fuit olim in* Sipylo *monte, caſus deleuit, etſi fuit ille aperientis ſe terræ hiatus, ac montis quidem ipſius labe facta, defluentes aquæ portum efficere in extremis eius uoraginis faucibus, cui nunc* Saloë *nomen.* Et *ſanè in portu cernebantur eius urbis ruinæ, priuſquàm omnia torrentiũ limo obducerentur.* Ruinæ *etiã quædam* Helices *eminent, ea facie, qua eſſe conſueuerũt, quæ marinis exeſa ſunt aquis.* Ob *uiolatos quidem ſupplices implacabilem eſſe numinis iram, non* Helices *modò exitium, ſed alia etiam talium euentorum exempla documento eſſe poſſunt: extat enim* Dodonæi Iouis *oraculum* Athenienſibus Aphidantis *ætate redditum, quo ſupplices ſacroſanctos eſſe debere his uerſibus monentur:*

Ara tibi Eumenidum *fumans, & curia* Martis
Sint cordi: huc bello domiti nam fortè Lacones
Suppliciter triſtes uenient, tu proijce tela
Supplicibus parcens, diuûm quos iura tuentur.

Hæc redierũt in memoriã Græcis, *cùm eſſent* Peloponneſij

Athenas adorti regnante Codro Melanthi filio: tunc enim ex Attica reliquæ Peloponneſiorũ copiæ retroceſſerunt, audita Codri morte, cognitoq; mortis genere: neq; enim ulla fuit uictoriæ reliqua ſpes, cùm ex Delphici Apollinis reſponſo ſe Codrus deuouiſſet. Ibi qui è Spartanis iam intra portas irruperant, ubi ſe deſtitutos animaduerterunt à ſuis, nocte ea delituerunt: iam uerò cùm illuxiſſet, & in eos Athenienſium ex omni urbis parte cõcurſus fierent, ad aras dearum, quæ Seueræ appellantur, in Areopagũ ſe receperũt, et tunc quidem incolumes dimiſſi ſunt. Poſt aliquot deinde annos cum ijdem magiſtratus eos, qui cum Cydone in arcem ad Mineruæ ſupplices confugerãt, uiolaſſent, & ipſi, & omnes eorum poſteri uiolatæ per cædem religionis damnati, obnoxij deæ fuere. Lacedæmonij etiam cùm in eos uiros ſæuiſſent qui ſupplices in templum Neptuni, quod ad Tænarũ eſt, euaſerant, Sparta tam uehementibus, tamq; crebris terræ impulſibus concuſſa eſt, ut nulla propè domus ruinæ expers fuerit. Deleta eſt ad internitionem Helice, Aſtro Athenis ſummũ magiſtratum gerente, Olympiadis primæ & centeſimæ anno quarto, qua Damon Thurius uictor primùm renunciatus eſt. Ab Helice & eius maritima ora diuertens dextrorſum ad oppidum peruenias in monte conditum ſupra militarẽ uiam, cui Cerynea nomen, ſiue ab eorũ locorũ regulo, ſiue ab amne proximo, qui Cerynates dicitur. profluit is è Cerynea Arcadiæ monte, & Achæorũ finitimos agros præterlabitur. Huc aliquando cõmigrarunt Mycenæi ex Argiuorum finibus profugi: cùm Mycenes enim muros Argiui deijcere non potuiſſent, quòd ualidiſſimi eſſent, atqueadeo ut à Cyclopibus, ſicuti Tirynthis etiã muri, extructi dicerentur, poſtremò fame uicti urbem deſerere Mycenæi

næi coacti ſunt: eorũ alij Cleonas,ſed maior dimidia ferè populi pars in Macedoniã ad Alexandrũ regem, eum nempe cui Mardonius Gobriæ filius mandata ad Athenienſes dedit:reliqua multitudo Cerynean confugit. Ea inquilinorum acceßio,opulentiorem multò & clariorem Cerynean reddidit.In eo oppido Eumenidum fanum eſt,dedicatũ ab Oreſte tradunt. Huc ſi quis uel cæde, uel quouis inceſti aut impietatis genere pollutus intrarit,ſpectandi cauſa,ſtatim eum mente capi diris terroribus exagitatum credidere: quare omnibus etiam aliò contendentib.templi aditu interdictũ.Dearũ ſigna è ligno, modica magnitudine, elaborata. Intra templi ueſtibulũ poſitæ ſunt muliebres imagines marmoreæ exquiſitæ artis.Sacerdotes eas fuiſſe Eumenidũ putant.E Cerynea reuerſos in militarẽ uiam, atq; illinc aliquanto longius progreſſos,relicto ad dexteram mari,deuius trames Buram ducit,quæ in monte ipſa etiã ſita fuit : appellatã uerò aiunt à Bura Xuthi & Helices filia. Oppidũ hoc idem terræ qui Helicen deleuit motus, tam uehementer perculit, ut in templis priſca omnia deorum ſigna corruerint. Hominũ ij duntaxat reliqui fuere,qui fortè uel militiæ,uel negotij cuiuſpiã obeundi cauſa domo abſuiſſent:atq; ij quidem lapſam & penè exciſam ciuitatẽ reſtituêre. Buræ ædes eſt Cereris,Veneris,Liberi Patris, & Lucinæ. Horum numinũ ſimulachra è Pentelico lapide ſunt,Athenienſis Euclidæ opera. Ceres ueſte uelatur.Habet etiã Iſis templum. Quà ad mare deſcenditur, amnis eſt Buraicus nomine. In proxima ſpelunca non utiq; magnũ Herculis ſignum, Buraico & ipſi cognomen. Oraculi ſortes capiuntur ex tabula per talos. Qui conſultũ uenere,precatione ad ſignũ peracta, uotisq; nuncupatis,talos ex ea quæ in promptu eſt copia iaciunt quatuor ſuper

*menſam.Inſcripti ſunt certis notis tali ſinguli: earum illi notarum interpretationem in tabulis ſimilitudinem ſecuti requirunt.*Ab Helice ad Herculis,*uia ducit rectà ſtadiũ fermè* XXX. *Ab* Hercule *diſcedentes perennis aquæ fluuius excipit,ex* Arcadiæ *monte in mare defluens:nomen & monti in quo fons, & flumini, Crathis, à quo* Italiæ *fluuius* Crathis *nomen accepit. Ad hunc Achaicũ amnem celebris olim fuit urbs* Aegæ, *quam poſtea deſertam,cùm priſtinis fuiſſet ſpoliata opibus,ferunt.Huius urbis mentionem* Homerus *fecit, eo quem* Iunoni *tribuit ſermone:*

Aſt hi grata ferent Helicen *tibi munera,&* Aegas.

quòd ſcilicet æquè Helice *atq;* Aegis, Neptunus *coleretur.* Non *ita procul à* Crathide *ad dexterã uiæ ſepulchrũ offendas, cum equeſtris uiri iam penè abolita pictura. Ab eo tumulo triginta circiter ſtadium uia* Gæum *ducit: Telluris id fanum eſt, quam* Euryſternon, *id eſt, Lati deam pectoris, cognomento nuncupant. Sacerdotium mulieri decernitur, quo ſtatim ſuſcepto,uitam illa agit cœlibem omne ætatis reliquũ tempus:quanquã & ante eam oportuit cum uno tantùm uiro matrimonij cauſa fuiſſe. Taurini ſanguinis hauſtu periculũ faciũt, quo illa epoto,ſi legi fraudem fecerit,ſtatim flagitiũ dicitur morte luere.Quòd ſi plures fortè ſacerdotiũ petant, ſorti creatio cõmittitur. Ad* Aegiratarũ *nauale, cui idem quod* Aegiris *urbi nomen eſt,ſtadia interſunt* LXXII. *ab* Hercule Buraico.*Nibil uerò in maritima ora habent* Aegiratæ *memoratu dignum. A nauali ſuperior urbs ſtadia abeſt* XII.*appellata ab* Homero *eſt* Hypereſia.*Recentius enim nomen ea urbs quã* Iones *antè coloniã deduxerant, ob huiuſcemodi cauſam accepit.Cùm* Sicyonij *comparato exercitu agrũ inuaſuri eſſent,intelligerentq;* Hypereſienſes *nul-*

lo ſe

lo ſe pacto pares illis numero futuros, capras omnes quæ intra fines erant, in unum coëgerunt, adligataſq; ad cornua faces, intempeſta nocte accendêre. Hoſtes ignes eos eſſe ab auxiliaribus Aegiratarũ ſuſpicati, retro agmen egêre. A Capris itaq;, mutato ueteri nomine, urbs Aegira eſt appellata: quóque loco ex illis una eximia ſpecie, quæq; cæteris dux erat, procubuerat, ibi templũ Dianæ Agreſtis erexere, quòd illius propitio numine in mentẽ ſibi ueniſſe interpretati ſunt, eo dolo hoſtem eludere. Neq; uerò continuò nouum nomen inoleuit: nam ſic propémodũ Hypereſiæ nomen manſit, ut Oreũ in Eubœa nõ deſunt qui hac ipſa ætate ueteri nomine Eſtiæan appellent. Habet Aegira quæ literis mandentur digna, Iouis templũ, & in eo ſignũ Dei ſedens è Pentelico lapide, Euclidæ Athenienſis opus. Ligneũ etiã Mineruæ ſignũ, facie, ſummis manibus ac pedibus eburneis: reliquũ corpus inauratũ, & coloribus diſtinctũ eſt. Habet & Dianæ ædem cum ſimulachro, quod tẽporis noſtri artem præ ſe fert. Rem diuinã facit puella ad nubilem uſq; ætatem. Extat priſcũ ſignum, quod Iphigeniæ eſſe dictitant Aegiratæ Agamẽnonis filiæ: id ſi ita eſt, credi facile poteſt, iam tum ab initio ædem fuiſſe Iphigeniæ dedicatã. Spectandũ ipſa maximè antiquitate Apollinis delubrũ. Vetera ſunt teſtudinis ornamenta, uetus ipſum Dei maximè ſignũ: nudum id eſt, atq; inſigni magnitudine, neq; quis fecerit opifex populares habent dicere: qui tamẽ Sicyone Herculẽ uiderit, facile ex operũ ſimilitudine cõijciat, utrũq; opus fuiſſe Phliaſij Laphais. Sũt præterea in eodẽ delubro ſigna aliquot Aeſculapij ſtantia, et ſeorſum Serapidis & Iſidis, è lapide omnia Pentelico. Præ cæteris quidẽ dijs religioſiſſimè Cœleſtẽ Venerẽ colunt, in cuius ædẽ penetrare uiris nefas. In eius uerò, quã Syriã nominãt, deæ,

nõ niſi ſtatis diebus intrãt, ubi ſe & reliquis certo ritu expiationibus, & uictus præcipuè moderatione luſtrauerint. Aedicula etiã quædam Aegiræ eſt, in qua Fortunæ ſignum ſum conſpicatus Amaltheæ cornu præ ſe gerens, cui adſiſtit uolucer Cupido. Significat hæc nimirum Amoris cum Fortuna coniunctio, plus ferè in amore homines ope Fortunæ, quàm pulchritudine proficere. Facilè aũt mihi Pindarus cùm alia multa perſuadet, tum uerò unam eſſe Parcarum Fortunam, & eam quidem poteſtate ſororibus antecellere. Eſt in eadem ædicula uir ſenex iam propémodum, lugentis facie: mulieres tres armillas ſibi detrahunt, & adoleſcentes totidem. Vir ille loricã induit. Hunc Achæi bellica uirtute omnibus Aegiratis præſtitiſſe tradunt, qui cùm fortiſsimè pugnans cecidiſſet, fratres eius mortem domum nunciarunt: ſorores itaq; luctus cauſa, uſitati cultus ornamenta abijciunt. Patrem ipſum populares miſerabilem nuncupant, quòd ipſa etiam effigies miſerationem ſibi conciliat. Rectà ſanè ab Aegira diſcedentes à Iouis templo, & per montes ardua ſtadiũ XL. *nihilo breuior Phelloën uia ducit. Caſtellum id eſt minimè clari nominis, nam neq; Ionibus quidem ea loca tenentibus incolebatur. Ager uites feliciter educat, ea qua maximè ſaxoſus eſt parte. Multæ paſsim quercus, multæ item feræ, ceruí in primis, & apri. Ac ſi ulla Græcorum caſtella maximè ſunt perennibus aquis irrigua, inter ea meritò fuerit Phelloë numeranda. Sunt illic deorũ templa, Liberi, & Dianæ. Diana ex ære fabricata, ſagittã è pharetra promẽs. Liber Pater è ligno, cinnabari illitus. Ab Aegira deſcendentibus ad nauale, atq; illinc progreſsis paulò longius, ad uiæ dexteram eſt ædes Agreſtis Dianæ, quo loco capellã procubuiſſe memorant. Aegiratis contigui Pellenenſes, Achæorum poſtremi*

inter

inter Sicyonem & Argolicæ terræ fines. Appellatos ipſi ſe prædicant à Pallante, qui fuerit de Titanibus unus: at Argiui à Pellene putant Argiuo, Phorbantis filio, Triopæ nepote. Inter Aegiran & Pellenen caſtellum eſt ſub ditione Sicyoniorum, cui Donuſſa nomen, deleta ab ipſis olim Sicyonijs: & eius mentionem ab Homero factam affirmãt in Agamemnonis delectu, eo ſcilicet uerſu:

Quiq; Hypereſiam, atq; altam coluere Donuſſam.

Sed enim Piſiſtratum, cùm diſsipata Homeri carmina, & paſsim per alia literarum monimenta diſperſa, in unum collegiſſet, uel ipſum, uel operis illius adiutorem loci ignoratione nomẽ immutaſſe. Suũ Pellenæorũ nauale Ariſtonautæ appellatur. Diſtat ab Aegiræ maritima parte ſtadia cxx: dimidio breuior à nauali Pellenen uia. Hoc nominis inditũ ferunt, quòd in eum portum appulerint Argonautæ. Eſt oppidum ipſum in iugo ſitum. Iugi ſupremus uertex in acutiſsimum aſſurgit faſtigium, ſed nullæ ea in parte, quòd maximè ardua & prærupta eſt, domus. In planiore cliui parte infra montis cacumẽ utrinq; habitatur. Quà Pellenen iter, in ipſa uia Mercurij ſignũ eſt, cui cognomẽ Dolio: hominũ uota maximè rata facere creditur: figura eſt quadrãgula, barbatus, galero caput uelante. In eadẽ uia eſt Mineruæ templũ, lapide extructũ uernaculo: deæ ſignũ ex ebore & auro: artificem Phidian fuiſſe dicunt, atq; hanc quidem Mineruã elaboraſſe illum antequàm uel Athenienſibus eam quæ in arce collocata eſt, uel ſuam Platæenſibus Mineruam feciſſet. Aiunt Pellenæi ſub ipſa Mineruæ baſi altè deſcendere adytũ, atq; ex eo humidum halitũ efflari, qui ſit ebori tuendo peridoneus. Supra Mineruæ delubrum lucus eſt muro circunſeptus, Dianæ Soſpitæ ſacer: per huius numen de rebus maxi-

mis iuſiurandum concipiunt: nulli uerò cuiquam hominum præterquàm ſacrificulis illuc aditus patet. Præſident *ſacris indigenæ homines, generis dignatione clariſsimus quiſq;.* Contra lucum, Soſpitæ & Liberi Patris *templum, quem* Lamptera *à luminibus nuncupant, feſtumq; ei diem* Lampteriam *celebrant, illatis noctu intra ædem accenſis facibus, paßimq; per urbem diſpoſitis uini cadis.* Eſt *etiam apud* Pellenæos Apollinis Theoxenij *templũ, cuius ex ære ſimulachrum: ludos uerò faciunt in honorem* Apollinis Theoxenia*: argentum uictoribus præmium exponitur: deſcendunt in certamen ſoli ciues.* Prope Apollinis, *ædes* Dianæ *eſt: iaculatricis ornatum dea præ ſe fert.* In *foro erectum uideas aquæ per occultos meatus ductæ conceptaculum.* Ad *lauacra ex imbribus collectitia utuntur: nam poculentæ pauci ſunt infra urbem fontes, eo loco, quas à dulcibus aquis* Glyceas *appellant.* Priſcum *ibi gymnaſium, ubi ſe ephebi exercent: neq; uerò ad rempub. quiſquam admittitur, niſi antè puberum exercitationes obierit.* Hoc *in gymnaſio poſita ſtatua eſt* Promacho Pellenæo Dryonis *filio, una ex* O*lympicis, tribus ab* Iſthmicis, *duabus è* Nemeis *ludis de pancratio palmis reportatis.* Vnam *ei ſui ciues ex ære* Olym*piæ, alteram è marmore, quo antè diximus loco ſtatuam dedicarunt.* Hunc Promachum, *bello quod inter* Pellenæos & Corinthios *geſtum eſt, unum hoſtes quamplurimos pugnantem occidiſſe memoriæ proditum: ab eodem etiam* Olym*piæ ſuperatum* Polydamantem Scotuſſæum, *quo tempore à* Perſarum *rege in patriam reſtitutus* Polydamas, *in* Olym*picum certamen iterum deſcendit.* At Theſſali & Polyda*mantem ex ullo unquam certamine inferiorem diſceßiſſe minimè confitentes, & alia eius rei afferunt argumenta, &*

in

in primis elegos ad Polydamantis ſtatuam adſcriptos:

Tuq; Scotuſſa altrix inuicti Pulydamantis.

Pellenenſes uerò magno Promachũ honore proſequuntur, duaſq; eius de lucta ad Chæroneam, quatuor Olympiæ acceptas palmas prædicant. Nominare tamen eum reſpuũt, ob eam cauſam credo, quòd Pellenenſium remp. ſuſtulerit: corruptus enim ab Alexandro Philippi filio inuidioſiſſimo dominationis munere, ſe patriæ ſuæ tyrannum imponi facilè paſſus eſt. Eſt Lucinæ etiã ædes, à Pellenenſib. in parte oppidi minore dedicatũ, Poſedion, id eſt, Neptuniũ dicitur. Fuit olim curia, ætate noſtra deſertus planè locus, infra gymnaſium, coli tamen in hunc uſq; diem tanquam Neptuni fanũ nunquam deſitus. A Pellene ſtadia circiter ſexaginta abeſt Myſæum Myſiæ Cereris ſacrarium: dedicatum ferunt à Myſio Argiuo homine, & ab eo quidem hoſpitio Cererẽ acceptam Argiuorum ſermo uulgauit. Lucus eſt in Myſæo condenſus multis ac uarijs arboribus, & perenniũ fontiũ aquis irriguus. Feſtos dies agitant ſeptẽ, quorũ tertio è templo uiri omnes exeunt, mulieres uerò intus relictæ, ritu à maioribus tradito nocturnũ peragunt ſacrũ. Neq; uerò uiros tantùm excludunt, ſed canes etiam maſculos eijciunt. Poſtero die reuiſunt fœminas uiri, multoq; cum riſu ultro citroq; ſales & dicta iaciuntur. Modico à Myſæo interuallo ſurgit Aeſculapij templũ, Cyrũ appellant. Multa hîc monſtrantur morborũ remedia. Leniter fluentis aquæ aliquot ibi fontes, ad quorũ maximũ Dei ipſius poſitũ ſignũ. Flumina itẽ aliquot deſcendũt è montibus qui ſupra Pellenen ſunt: eorũ unus ad Aegyras defluẽs, Crius appellatur, à Crio Titane nomen inditũ putant. At Alſus nominatur, qui è Sipylo deſcendens in Hermũ influit. Qua uerò parte finitimi ſunt Sicyo

nijs Pellenenſes, amnis quidam Achaicorum poſtremus in Sicyonium mare decurrit.

PAVSANIAE ARCADICA, SIVE LIBER OCTAVVS.

ARcadiæ partem eam quæ fines Argiuorum
cõtingit, Tegeatæ & Mantinenſes tenent: &
Arcadici quidẽ nominis populi omnes mediterraneũ Peloponneſi agrũ colunt: Corinthij
enim primi Iſthmũ occupãt. His cõtigui Epidaurij, qua par
te ad Aegeũ ora eſt expoſita. Medius inter Epidaurũ, Troë-
zenen & Hermionen Argolicus ſinus, cuius accolæ Argiuo
rum mari quiq; proximi. Adiacent circunquaq; Lacedæmo
niorũ ciuitates. His finitima Meſſenia, quæ ad mare deſcen-
dit Methonen uſq;, Pylon, & Cypariſſias. Ad Lechæũ uicini
Corinthijs Sicyonij, poſtremi hi Argolicorum hac in parte
finium. Sicyonũ excipiunt Achæi litoris accolæ. Ad id Pelo-
ponneſi latus, quod Echinadibus inſulis ex aduerſo eſt, habi
tant Elei. Elei agri fines cum Meſſenia iunguntur, qua parte
Olympia eſt, & Alphei oſtium: nam inter Eleam terram &
Achaiam medij Dymæi ſunt. Pertinent populi quos enume-
raui ad mare omnes. Interiores Arcádes à mare undecunq;
ſecluſi. quare Homerus profectos ad Troiam dicit, non ſuis
ipſorum, ſed acceptis ab Agamemnone nauibus. Ac primũ
quidem omniũ Pelaſgum memorant Arcades in hac terra
extitiſſe: ſed conſentaneum certè eſt non ſolùm illum, ſed a-
lios etiam in ijſdem locis unà cum eo fuiſſe: nam quibus om-
nino imperaſſet hominibus? Crediderim ego Pelaſgum ma-

gnitu-

gnitudine,robore,uirtute ac forma cæteris præſtitiſſe,eámque ob rem ei à ſuis regnum decretum: quod ei teſtimonium ſuis uerſibus Aſius dedit:

Montibus alticomis peperit nigra terra Pelaſgum
Dis ſimilem,& generi tribuit noua regna futuro.

Pelaſgus igitur cùm regnare cœpiſſet, primũ quidem rudes homines docuit tuguria,ad frigoris, imbriũ, & æſtus incõmoda arcenda,ædificare.Idem tunicas facere inſtituit è ſuillis corijs,qualibus his ipſis temporib.in Eubœa & Phocide tenuiores homines utuntur. Ad hæc cùm uulgò uirente adhuc fronde,herbiſq; ac radicibus non modò nõ cibarijs, ſed plerunq; pernicioſis incautius ueſcerentur, ſalubriores multò glandes eſſe, neq; omnes,ſed quæ è ſola fago legerentur, perſuaſit.Fuit uerò tam frequens ac diuturnus hic glãdium cibus Arcadibus,ut quo tẽpore monuit Apollo Lacedæmonios,ne Arcades bello laceſſerent,hunc illis uictum è glandibus hiſce uerſibus attribuerit:

Glande ſatur multa,obſiſtet tibi plurimus Arcas.
Noſtra tuis non ſunt contraria numina cœptis.

Ab hoc rege totam regionem eam Pelaſgiam appellatam ferunt.Huius filius Lycaon nonnulla uel ſapientius quàm pater ſuus excogitauit.Lycoſuram hic urbem in monte Lycæo condidit,Iouem Lycæum appellauit,ludoſq; in eius honorẽ Lupercalia inſtituit.Facilè ut credam adducor,nondũ apud Athenienſes Panathenæa celebrari cœpta:ſiquidem cùm antea ludi Athenæa dicerentur,autore uerò Theſeo Athenienſis populus, qui antè diſperſus uicatim habitabat, in unam fuiſſet ciuitatem atq; intra una mœnia congregatus,apparatius facti, ab Athenienſiũ cõmunione Panathenæa inſequentibus dehinc temporibus nuncupata.Nam Olympici ludi,in

quibus Iouem cum Saturno luctatum, & Curetas curſu certaſſe memoriæ proditum, cùm ad ultimas ferè hominum ætates referantur, eorum ego antiquitatem oratione mea in dubium non reuocarim. Eadem uerò ætate & Cecropem Athenis, & Lycaonem in Arcadia regnaſſe comperio: prudentia tamen rerum diuinarũ multò Lycaonem inferiorem fuiſſe cenſeo. Ille enim cùm primus Ioue͂ cognomine Supremum appellaſſet, nihil uita præditũ ei immolandum duxit, ſed liba tantùm patria, Pellanos Attici uocant, ut ad aram porricerentur ſanxit. At hic ad Iouis Lycæi arã infante mactato, humanũ ſanguinem libauit: quare inter ipſa ſacra in lupum mutatum tradunt, cui certè famæ facile poſſum aſſentiri: nam præterquàm quod Arcadum ſermonibus iam tum ab initio uulgatis prodita poſteris eſt, à ratione etiam non abhorret. Erant enim priſci illi homines dis ipſis hoſpites & conuiuæ, pro iuſtitiæ & pietatis merito. Et ſanè bonis & pijs præmia certiſſima, ſontibus ex deorũ ira ſupplicia erant expoſita. Quin etiam recepti cœlo multi ex hominibus, quibus & adhuc ſui permanent honores: in quo numero fuere Ariſtæus, Britomartis Cretica, Alcmenæ filius Hercules, & Ioclis Amphiaraus, in primis uerò Pollux & Caſtor. Quare neq; abſurdũ dictu uideri poſſit, Lycaone͂ in feram, & Nioben Tantali filiã in ſaxum cõuerſam. Atenim ætate noſtra, qua gliſcens fraus & audacia omnes propè orbis terræ partis, urbesq; occupauit, nulli iam homines in deorum numerũ ueniunt, niſi fortè per inanes titulos, & immodicæ adulationis licentiam: & noxam cõmeritis, cùm demum è uita exceſſerint, feræ deorum iudicio pœnæ irrogantur. Ac omnibus quidem ſeculis, ueteribus & obſoletis iam rerum euentis, fides eorũ culpa in uulgus eſt abrogata, qui

ueritatis

ueritatis tanquã fundamẽta ſuperſtructis fabulis obruerũt. Nam et poſt Lycaonẽ in iiſdem Lycæi Iouis ſacris alios fuiſſe ex hominibus lupos factos tradunt: non tamen in reliquũ omne uitæ tempus, ſed decimo tandẽ anno, ſi interea humana carne abſtinuiſſent, priſtinã hominis figuram recepiſſe: ſin hominis carnes guſtaſſent, lupos eſſe nunquam deſiſſe. Eadem uanitate Nioben illachrymari æſtate anni fabulantur. Audiui etiam quoſdam cùm narrarent & alia quædam rerum miracula, & gryphibus uti pardis ſegmentatam & maculis diſtinctam eſſe pellem. Iam uerò Tritones uoce humana præditos, & eoſdem conchã inflantes canere. Ita uerò comparatum eſt, ut qui huiuſmodi figmentorum portentis aures præbent, & ipſi mox aliquid adfingãt, quo fit ut mendaciorũ quaſi colluuie ueritas uitiata, ſuam prorſus autoritatem perdat. Tertia poſt Pelaſgũ ætate, regio tota & urbium & hominum numero magnos habuit proceſſus. Nam cùm Nyctimus Lycaonis liberûm natu maximus, paternum imperium adiſſet, reliqui ſibi diuerſis, arbitrio quiſq; ſuo, agri partibus occupatis, oppida muniere: Pallantium Pallas, Oreſteus Oreſthaſiũ, Phigaliam Phigalus excitarãt. Et Pallantij quidem Steſichorus Hymeræus in Geryone Ioue mentionem fecit: ſed Oreſthaſij nomẽ uetuſtate immutatũ, et ab Oreſte Agamemnonis filio Oreſteum eſt oppidum illud appellatũ. Quin & Phigalia à Bucolionis filio Phialo minore, mutato nomine, Phialia eſt uocitata. Reliqui fuere Lycaonis filij, Trapezeus, Eleatas, Macareus, Eliſſon, Acacus, Thnocus: horũ poſtremus urbẽ Thnociã cõdidit, Acacus Acaceſium. Ab eodem ſanè Acaco cognomen Mercurio ab Homero datũ Arcadum ſermo aſſeuerat. A cæteris Eliſſon urbs, et eodem nomine fluuius, tum Macaria, Elea, Trapezus nomi-

na nactæ. Sed & alij Lycaonis liberi numerantur, ſinguli urbium conditores. Orchomeno Methydrion, et Orchomenij quos Polymelos, hoc eſt, pecudũ diuites, Homerus nominauit: Hypſunti Melenææ, et Hypſus: ad hæc Thyræum, quod hac etiamnum ætate extat: quin & Arcadum opinione Thyrææ in Argiuorũ finibus, à qua ſinus, Thyræatæ adſcribuntur. Iam uerò celebri maximè nomine urbem Mænalum, Tegean, et Mantinean, Mænalus, Tegeus et Mantineus conſtituere. Chromi à Chromo nomen habuere. Chariſia Chariſium autorem perhibet. Tricoloni à Tricolono, Peræthenſes à Perætho, Aſæa ab Aſæate, à Lycco Lyceatæ, à Sumateo Sumatia: poſtremò ab Aliphthoro & Hereo urbes nomina & origines accepere. At natu minimus Oenotrus, pecunia et uiris à fratre Nyctimo acceptis, claſſe in Italiã trãſmiſit, à quo fuit ea, in qua cõſedit, terra, de regis nomine Oenotria uocitata. Atq; hæc prima à Græcis colonia deducta. Porrò neq; Barbaræ gentes ante Oenotrũ (ut accuratiſſimè omnis antiquitatis memoria reuoluatur) ad exteras gentes cõmigraſſe reperiuntur. In liberûm tanto ſobolis uirilis numero unica Lycaoni filia fuit, Calliſto nomine: eam (quæ inter Græcos decantata ſunt memoro) uitiauit amore captus Iupiter: deprehenſam Iuno in urſam uertit, ac deinde in gratiam Iunonis puellam ſagittis confixit Diana. Iupiter quem illa ferebat utero puerum Mercurio ſeruandum mandauit, matre in ſiderum numerum relata, quæ Vrſa maior dicitur: cuius Homerus, quo loco Vlyſsis à Calypſoë nauigationem exponit, his uerſibus meminit:

Pleiadasq; aſpectantem, tardumq; Booten,
Atq; Vrſam, quam Plauſtrum etiam cognomine dicunt.

Sed probabilius fortaſſe fuerit, quò honos puellæ haberetur, ſidus

ſidus illi dicatum, præſertim cùm ſepulchrum eius oſtendant Arcades. *Mortuo* Nyctimo Arcas Calliſtûs *filius regnum ſuſcepit: hic & frumentum à* Triptolemo *acceptum popularibus ſuis tradidit, panem facere docuit, ueſtiũ texturam, totumq; lanificiũ, quod ab Adriſta didicerat, monſtrauit. Ab hoc rege & ipſa, quæ antè* Pelaſgia *dicebatur,* Arcadia *terra, & gens* Pelaſgi *qui fuerant,* Arcades *nominati. Duxiſſe uerò illum uxorem non mortalem fœminã, ſed unã è Dryadibus* Nymphis *tradũt:* Dryadas *enim ipſi ſuas, et* Epimeliades, *quæ ab alijs* Naiades *dicuntur, patria uoce appellitant:* Homerus *quidem* Naiadas *crebrò nominat. Eius uerò Nymphæ quæ cum* Arcade *nupta fuit,* Eratò *nomen fuiſſe memoriæ prodiderunt.* Ex ea genitos Arcadi, Azana, Aphidanta, Elatum: *nam ante nuptias* Autolaũ *ſuſcepiſſe. Ac filijs quidem regnum trifariam diuiſit. Ab* Azane *itaq;* Azania, *quæ ei euenit pars appellata: ex qua deducti colonia ij omnes populi, qui circa* Phrygiæ *antrum, cui* Steunos *nomen, et amnem* Pancalã *habitant.* Aphidas Tegeã, *et quæ adiacent, ſortitus eſt: hinc poëtæ* Tegeam *ſolent* Aphidantiã *ſortem nuncupare.* At Elatus *montem quæ* Cyllene *nunc uocatur, obtinuit: tunc nondum ei nomen inditum fuerat.* Is *in eam terram inde abijt, cui* Phocis *nunc nomen eſt: cumq;* Phocenſes *cum* Phlegyis *minus æquo certamine bellantes armis iuuiſſet, in eorũ finibus de ſuo nomine oppidũ* Elateam *muniuit.* Filium Azani Clitorem, Aphidanti Aleũ, *quinq;* Elato *genitos memorant,* Aepytum, Pereum, Cyllena, Iſchyn, Stymphalum. Azani *uitæ muneribus perfuncti, ludi funebres primùm facti, haud ſcio an & alij, de equirijs certè affirmare poſſum.* Clitor Lycoſuræ *regiã conſtituit, & ſanè fuit regum, ut illis temporibus, omniũ potentiſſimus, urbemq;* Cli

tora de ſuo nomine condidit. Aleus intra eam, quā pater aſſignauerat, regionem ſe continuit. Quod uerò ad Elati *filios pertinet, à* Cyllene *mons nomen accepit.* A *Stymphalo fons, & fonti cognomen urbs* Stymphalus. De *Iſchyis uerò* Elati *filij morte egimus, dum res* Argolicas *exponeremus.* At *Pereo nullam fuiſſe uirilem prolem aiunt, filiā habuiſſe* Neæram, *quā Autolycus* Parnaſi *montis incola uxorē duxerit:* Mercurij *is filius dicebatur, cùm re ipſa* Dædalionis *eſſet.* Atenim *cùm* Clitor *Azanis filius nullos reliquiſſet liberos, ad Aepytū* Elati *filium* Arcadum *regnū peruenit. Hunc uenatum egreſſum, nō ferocior aliqua bellua, ſed incautū ſeps confecit.* Vidi *& ipſe aliquādo ſerpentē hanc: magnitudine eſt minimæ uiperæ, cineris colore, notis interpunctta uarijs, capite lato, gracili collo, aluo obeſiore, perbreui cauda.* In *ſerpentum genere ſeps & ceraſtes, quo fermè modo gradiuntur cancri, in obliquum repunt. Aepyto ſuccedit Aleus: nam* Agamedes et Gortys *filij* Stymphali *quarto poſteritatis gradu ab* Arcade *aberant, à quo* Aleus Aphidantis *filius tertius duntaxat numerabatur.* Exædificauit *Aleus uetuſtum illud quod* Tegeæ *uiſitur,* Aleæ Mineruæ *fanū, ibidemq; regiam ſuam conſtituit.* Gortys *uerò* Stymphali Gortyna *urbem ad proximū amnem coloniam deduxit: amni etiā ipſi fuit* Gortynius *nomen.* Mares *habuit liberos* Aleus Lycurgum, Amphidamantem, & Cepheum: *filiam* Augen: *cum hac, quod ſcriptum* Hecatæus *reliquit,* Hercules *concubuit, cum fortè* Tegeam *ueniſſet: id ubi ex puerperio filiæ reſciuit* Aleus, *puerum cum matre in arcam concluſos in mare abiecit: delata æſtu arca eſt ad* Theuthrantem *pollentē dominatu hominem in campis ad* Caicū *amnē: is puellæ forma allectus, ſibi matrimonio iunxit.* Extat Pergami, *quæ ſupra* Caicū *urbs*

eſt,

eſt, Auges ſepulchrum, terræ tumulus lapidea circunſeptus crepidine: inſigne eius tumuli nuda mulier ex ære fabricata. Aleo mortuo regnat Lycurgus, *eius liberũ natu maximus. Is nihil ad memoriã aliud edidit facinus, quàm quod* Arethũ *hominem bellica uirtute clarum, non æquo marte, ſed dolo perculit.* Filios habuit duos, Ancæum & Epochũ. Epochus *morbo eſt abſumptus:* Ancæus *cùm expeditioni* Colchicæ *particeps fuiſſet, ac deinde* Meleagro *in pugna* Calydonij *apri operã nauaſſet ſuam, ab eadem ſtratus bellua occubuit.* Lycurgus *quidem ipſe exacta iam ætate utroq; orbatus filio, diem ſuum obijt: poſt quem* Arcadum *regnum ad* Echemum *peruenit* Aeropi *filium,* Cephei *nepotem,* Alei *pronepotem.* Hoc regnante Achæi Dorienſes *ad* Iſthmum Corinthiorum *prælio fuderunt, reditũ ſibi in* Peloponneſum Hyllo Herculis *filio duce molientes.* In ea pugna Echemus Hyllum *occidit, cum eo ſingulari certamine ex prouocatione cõgreſſus.* Hæc *mihi propiora uero uiſa ſunt, quàm quod à nonnullis ſcriptum comperi, penes* Oreſtem *tunc* Achæorũ *regnum fuiſſe, atq; eius maximè temporibus* Dorienſes *reditum tentaſſe.* Verùm *ſi maior habeatur ſuperius expoſitæ rei ratio, credendum illud etiam eſt apud* Echemum, *à quo* Hyllus *occiſus, matrimonij cauſa* Timandram *fuiſſe* Tyndarei *filiam.* Agapenor *dehinc regnat* Ancæi *filius,* Lycurgi *nepos, quo duce* Arcades *ad* Troianum *bellum profecti:* Ilio *uerò euerſo, quæ* Græcos *domum redeuntes diſiecit tempeſtas,* Arcadum *claſſem ab inſtituto nauigationis curſu* Cyprum *auertit.* Ibi Agapenor Paphum *urbem coloniam deduxit, & in ea* Veneris *fanum erexit, cùm antè apud* Cyprios *dea hæc in modico oppido, cui* Golgi *nomen, coleretur.* Interiecto *dein tempore,* Laodice Agapenoris

filia Mineruæ donũ Tegean peplum miſit:id ipſius doni inſcriptio,& ſimul unde eſſet Laodice oriunda,indicabat:

Laodices peplum hoc,ſacrum ut foret illa Mineruæ,
E Cypro celebrem tranſtulit in patriam.

Cùm ad ſuos non reuertiſſet Agapenor, ſuſcepit Arcadum imperiũ Hippothous Cercyone patre,auo Agamede,Stymphalo proauo genitus. Huius uita nullo celebratur inſigni rerum euentu, præter illud unum,quòd regni ſedem Tegea Trapezuntem tranſtulit.Hic regnũ filio Aepyto per manus tradidit. Et Aepyto quidem regnante Oreſtes Agamemnonis filius Mycenis oraculi Delphici monitu in Arcadiã demigrauit. Aepytus cùm in templum Neptuni quod Mantineæ eſt, penetrare eſſet auſus, quò nulli cuiquã homini hac ipſa etiã ætate fas eſt accedere, oculis primũ captus, deinde non ita multò pòſt è uita exceſſit.Eius filio Cypſelo regnum adepto,Dorici nominis exules copijs contractis,non ut tribus antè ætatibus per Iſthmum, ſed claſſe Rhion promontorium præteruecti,in Peloponneſum inuaſerũt. Fortè Cypſelus dum ſtudioſius omnia exquirit, cognoſcit Creſphontem Ariſtomachi filium nullis etiamdum nuptijs illigatum: quare deſponſa ei filia,ſe,omnemq; regni partem noua affinitate contra eius belli terrorem facilè tutatus eſt. Cypſelo ſucceſſit Olæas: is Aepytũ ſororis filiũ cum Herculis poſteris, qui Lacedæmone & Argis in auxilium uenerãt, Meſſenem reduxit. Bucolion dehinc patris regnũ excipit, idemq; filio relinquit Phialo. Hic Phigaliam urbem, erepto ſuæ laudis monimento conditori Phigalo,Phialiam de ſuo nomine uoluit appellari, quod tamen non eſt omnino conſtanter uſurpatum. Iam regnabat Simus Phialij filius, cùm Cereris cognomento Nigræ peruetuſtum ſignum, quod religione ue-

neraban-

nerabantur Phigalenſes,*eſt igni conſumptum:quæ res* Simo *uitæ finem, qui breui conſecutus eſt,facilè uideri potuit por tendiſſe.*Paternum *regnum adijt* Pompus. Eo *regnante* Aeginetæ *nauibus primùm* Cyllenen *appellere cõmercij cauſa inſtituêre: inde uerò ad* Arcadas *iumentis impoſitas merces peruehebant:ea erga ſe,popularesq́; ſuos* Aeginetarum *ſtudia tam illuſtri gratia* Pompus *excepit, ut filio etiam* Aeginetæ *nomen impoſuerit.* Aeginetam *cõſecutus eſt eius filius* Polymeſtor.*tunc primùm* Lacedæmonij Charilli *ductu* Tegeatarũ *fines cum exercitu adorti ſunt: eos non uiri ſolùm, ſed fœminæ etiã ſumptis armis prælio fuderunt,& cum magna hoſtium manu ipſum quoq; ducem uiuũ cepere.* Verùm *de* Charillo, *totáq; hac eius expeditione plura memorabimus, ubi res* Tegeatarum *fuerint explicandæ.* Polymeſtori *ſucceßit* Aechmis, Polymeſtoris *fratre* Briaca *genitus: fuit uerò* Aeginetæ Briacas *etiã filius* Polymeſtore *natu minor.* Dum Aechmis *regnum obtineret, bellum inter* Lacedæmonios *&* Meſſenios *geri cœptũ.* Fuerat *antiquitus* Arcadibus *cum* Meſſenijs *amicitia: quocirca tunc minimè occultè cum* Ariſtodemo Meſſeniorum *rege in acie contra* Spartanos *ſtetere.*Aechmidis *uerò filius* Ariſtocrates,*& alia fortaſſe contra ſuos populares inſolenter egit:ſed quod in* Deos *ipſos immortales eum admiſiſſe nefariũ facinus compertum habeo, hoc loco non prætermiſerim.*Eſt *inter* Orchomeniorum *&* Mantinenſiũ *fines* Dianæ Hymniæ *cognomento, priſca accolarum,& in primis* Arcadum *religione ſacroſanctum fanum.* Deæ *ſacris tunc uirgo præſidebat:eam cùm ad ſtuprũ pellicere* Ariſtocrates *non potuiſſet, poſtremò ad aram deæ cõfugientem uiolauit.* Scelere *patefacto, inceſtum hominem* Arcades *lapidibus obruerunt, & à uirgine ad nuptam mu-*

lierem ſacerdotij honorē tranſtulerūt. Huic filius fuit Icetas: Icetæ minor Ariſtocrates, auo tam exitu uitæ, quàm nomine ſimilis: nam et hunc lapidū coniectu necarunt Arcades maniſeſtæ proditionis damnatum: conſtabat enim dona eum à Lacedæmonijs cepiſſe, eiusq; maximè ſcelere inſigni clade Meſſenios ad Magnā foſſam affectos. Effecit hoc flagitiū ut à Cypſeli domo Arcadū imperiū remoueretur. Atq; hæc quidem quæ de regum ſerie ac gentilitate ſum accuratè perſecutus, omnia mihi ſtudioſe percontanti Arcades quidam, quibus erant hæc cuncta diligentiſſimè explorata, enarrarunt. Quod uerò ad res eorum publicis totius gentis auſpicijs geſtas attinet, antiquiſſima memoria eſt Iliacæ expeditionis. Alterum obtinet antiquitatis locum Meſſenici belli ſocietas. Fuerunt & ipſorum partes aliquæ in pugna Platæenſi, qua Perſæ fuſi fuere. Spartanis contra Athenienſes non partium ſtudio adducti, ſed neceſſitate potius coacti auxilia miſere. Tranſmiſerunt etiam in Aſiam cum Ageſilao: quin & Leuctricæ pugnæ interfuerūt. Fuiſſe tamen ſemper ambiguo ſe animo in Lacedæmonios, & aliàs declararunt, & tunc maximè cùm poſt Leuctricā cladem primi ſtatim omnium ad Thebanos deſciuerunt. Iidem cum reliquis Græcis neq; contra Philippum Macedonū regem ad Chæroneā, aut Antipatrum in Theſſalia arma cepere, nō tamen hoſtile quicquā in Græcos admiſere. Quòd uerò ipſi quoq; ad Thermopylas contra Gallos non prodierint, eam nempe afferunt cauſam: Veritos ne interea dum militaris ætas abeſſet, Lacedæmonij agrum populationibus uexarent. Hæc in cōmune ab Arcadibus diuerſis temporibus geſta. Quæ uerò geſſiſſe priuatim urbes acceperim, ſuis illa locis referentur. Ducit in Arcadiā ex Argiuorum finibus trames is, qui ab Hyſijs ad Parthenium

montem

montem in agrum Tegeaticum peruadit. Duo uerò alij acceſſus circa Mantinean, *per* Primũ*(loco ab ilice opinor nomen)* & Scalas:*ſed poſterior hic latior,& ex eo nomen habet, quòd olim gradus in ea ſemita per quos deſcendebatur, de induſtria facti fuerãt. Perueniũt qui hinc deſcenderint ad uicũ, cui nomẽ* Melangea,*unde poculenta aqua* Mantinenſibus *intra oppidum defluit. Abeſt à* Melangeis *ſtadia* VII. *aquæ conceptaculum, &* Liberi *templũ, ubi uicini* Maliaſtæ Orgia *celebrant. Eſt ibidem etiã* Veneris *cognomine* Melænidis,*id eſt,* Nigellæ *ædes. Cognominis cauſam nõ aliam eſſe arbitror, quàm quòd homines noctu maximè liberis operã dent, cùm pecudes interdiu ferè ſui quæq; ſemper generis fœminas ineant. Trames alter, qui per* Artemiſiũ *ducit, longè eſt anguſtior. Huius montis & antè mentionem feci, in quo eſſe dixi* Dianæ *templum, & ſimulachrũ. Fons etiam in eo* Inachi *amnis. Is quà per montem decurrit, inter* Argiuos & Mantinenſes *terminus eſt. Ab hoc uerò diuerticulo ſolùm iam* Argiuorũ *agrum præterlabitur: quare & alij, &* Aeſchylus *poëta,* Argiuũ *fluuium appellant. Hinc* Artemiſio *ſuperato in* Mantinenſium *fines deſcendentes planities excipit, re æquè ac nomine iners,* Argum *uocãt. Cultus immune ſolũ efficit è proximis montibus defluens aqua pluuia. Quo minus totus omnino campus ſtagnũ fiat, illud unum obſtat, quòd aqua ſpecum nacta ſe è conſpectu eripit, rurſus uerò circa* Dinen *erumpit. Eſt* Dine *ad* Genethlium *(in* Argolica *terra hoc nomine uicus dicitur) dulcis aquæ è mari per ſubterraneos meatus erumpentis lacus. In* Dinem Neptuno *equos porriciunt frænatos, & ad ſpeciẽ phaleris exornatos.* Dulcis *uerò aquæ uenas è mari effundi nõ in* Argolicis *tantùm finibus, ſed in* Theſprotide *etiam prope eum locũ, quod*

uocant Chimerium, ſatis conſtat. Mirabilius tamen quod in Mæandro partim è ſaxo quo amnis circunfluit, partim etiã è fluuiali limo ferues aqua profluit. Sicuti & iuxta Dicæarchian Tyrrhenorum oppidum, qui Puteoli iam recentiore nomine appellantur, calidæ efferueſcunt in mari aquæ: ubi iactis molibus de induſtria extructa eſt inſula cum balneis aquarũ calidarum, ne planè naturalis eius muneris nullus eſſet uſus. Ad læuam eorum camporũ, quos Argos diximus appellari, mons in Mantinenſibus eminet, in quo Philippi Amyntæ filij caſtrorũ, & pagi, cui nomẽ Neſtane, reliquiæ extant, quòd illic caſtra Philippus habuerit. Fontem etiam proximum ex eo Philippeum nominãt. Venit in Arcadiam Philippus, ut cùm à reliquis Græcis Arcadas diſiunxiſſet, eos imperio ſuo adijceret. Et Philippũ quidem facile quiuis ſibi perſuadeat, rerum geſtarum magnitudine omnes Macedonum reges, qui antè fuerunt, quiq; ipſum conſecuti ſunt, ſuperaſſe: nemo tamẽ, qui recta ſit in rebus exiſtimandis ſententia, ei boni imperatoris laudem tribuerit, nempe qui iuſiurandum ſemper contempſerit, fœderum religionem nunquam ſanctam habuerit, unusq; omnium in minimis fidem duxerit: pœnas tamen non utiq; feras dis, quorũ læſerat maieſtatem, dedit: neq; enim natu grandior annorum XLVI. Delphici oraculi uocem uitæ exitu comprobauit. Conſulenti de Perſico bello redditum fuerat reſponſum:

Serta gerit taurus, finem manet, adſtat aruſpex.

Quod nõ ad Perſarũ regem, ſed ad ipſum Philippũ referendum fuiſſe rei euentus ſatis perſpicuè demonſtrauit. Philippo intercmpto, paruulum eius filium, quem ille ex Cleopatra, cui pater fuerat Attali frater, ſuſceperat, in ænea pelui ignibus circundatis cruciatum, Olympias enecuit. Eadem

paucis

paucis pòſt annis Aridæū etiā de medio ſuſtulit. Deleuit aūt infenſiſſima fati uis Caſſandri etiā ſobolē, extinctis filijs quos ille ex Theſſalonica Philippi filia ſuſceperat: Theſſalis quidem matribus Theſſalonice & Aridæus geniti fuerant. Iam qui Alexandro contigerit uitæ exitus, uel pueris notiſſimū. Quòd ſi Philippus, quoties aliquid moliretur, elogium illud in Spartanum Glaucū editum in memoria habuiſſet, eiusq; ſibi rationem habendam duxiſſet,

Caſta patris melior ſequitur ueſtigia proles,

cauſa opinor non fuiſſet, quamobrem deorum quis Alexandro extincto, Macedonum etiam opes euerteret. Sed fuerit hæc nobis nō intempeſtiua digreſſio. Poſt Neſtanes ruinas, Cereris fanū eſt multæ religionis: in eo Mantinenſes feſtos dies quotannis agitāt. Subiacet Neſtanæ planities inertium camporum pars, Mœras ei loco nomen: ab eo ſtadia x. patet egreſſus ex inertibus campis. Vbi paululum hinc proceſſeris, ad alios campos uenias: in his fons eſt prope militarem uiam nomine Arne. Cauſam nominis talem Arcades prodidere. Rhea cùm Neptunū peperiſſet, puerū in ouili abditū, opilionibus educandum inter agnos tradidit: pro eo uerò equinū pullum, quem ſe enixam ſimularat, Saturno uorandum obtulit, ſicuti eadem dicitur pro Ioue lapidem faſcijs inuolutum appoſuiſſe. Porrò in prima ad hos cōmentarios aggreſſione poëtas, quibus hæc fabulari in mentē ueniſſet, futilitatis plurimæ arguebā: ſed enim ad Arcadū iam res progreſſus, huiuſmodi figmentorū cauſa attentius conſiderata, ſic ſtatuo: Qui apud Græcos ſapientiæ nomen meruerunt, eos de induſtria quarundā rerū narrationes ambagibus inuoluere uoluiſſe: à quo ſanè Græcorum ſapientū conſilio, id ipſum quod modò de Neptuno memoraui, profectum conij

cio, Sed nimirum de rebus diuinis non aliter omnia atque à maioribus accepimus, exponenda. Mantinenſiũ *urbs ab eo, de quo iam locuti ſumus, loco ſtadia nõ amplius duo abeſt.* Mantinenſiũ *Lycaonis filium alia in regione urbem olim muniſſe conſtat, quam hoc etiamnũ tempore de illius nomine appellant* Arcades. *Verùm poſtea* Antinoë *Cepheo* A*lei filio genita, ex quodam oraculo huc ciuitatem tranſportauit, ſerpentem itineris ducem (quod genus fuerit non tradunt) ſecuta.* Ex eo qui oppidum præterfluit amnis, Anguis *nominatur.* Quòd *ſi ex* Homeri *uerſibus coniecturam aucupamur, draconem illum fuiſſe exiſtimare poſſumus: is enim cùm in enumerandis* Græcorum *nauibus, relictum in* Lemno *inſula* Philoctetem *memoret, grauiter ex hydri morſu laborantem, ſerpentis eo loco nomen non uſurpat: at idem draconem ab aquila demiſſum in* Troianorum *concionem fingens, ſerpentem uocat: quare & hunc* Antinoës *ducem, draconem fuiſſe, facilè ut credamus adduci poſſumus.* Mantinenſes *quidem in* Dipœenſium *finibus contra* Lacedæmonios *cum cæteris* Arcadibus *non ſunt præliati: bello tamen* Peloponneſiaco, *cum* Eleis *pro* Athenienſibus *contra* Lacedæmonios *arma tulere,* Athenienſiumq; *auxilijs freti, ſigna cum* Lacedæmonijs *contulere.* Iidem *uerò cum* Athenienſibus *in* Siciliam *pro priſtina amicitia ſuſceptæ expeditionis conſortes nauigarunt.* Interiectis *temporibus* Lacedæmonij *duce* Ageſipolide Pauſaniæ *filio,* Mantinenſium *fines hoſtiliter ingreſſi, hoſtes prælio ſuperatos intra mœnia compulerunt, neque ita multò pòſt oppidum non obſidionis aperta ui, ſed militari aſtu ceperunt.* Ophin *enim fluuium ad muros detorſerunt, quo factum ut muri, cùm eſſent è crudo laterculo extructi, ea alluuie reſoluerentur:*

tur: ut enim ſtructura hæc tormentorum impetum debilitet (duriores enim lapides concuſsi infringuntur, & è ſuis diſsiliunt compagibus) ita tamẽ aquis diluitur, ut cera igne uel Sole liqueſcit. Hanc expugnandi artem non primus excogitauit Ageſipolis, ſed eam antè uſurparat Cimon Miltia dis filius, in Eione ad Strymonem amnẽ obſidenda, propugnante Boë Medo homine cum Perſarũ præſidio. Hoc illius factũ cùm ex Pellenenſibus audiſſet, imitatus eſt Ageſipolis. Et captã quidem Mantineã magna ex parte diruit, paucis relictis ad habitandũ ædificijs, reliquã multitudinẽ in proximos uicos diuiſit. At Thebani poſt Leuctricam pugnã, è uicis, in quos fuerant diſsipati, rurſus in priſtinas ſedes Mantinenſes reduxere. Non tamen illi ſatis gratos ſe præbuerũt: nam per legatos pacem cum Lacedæmonijs ſeorſum ab Arcadum concilio pepigerunt: apertè quidem ſocietatem cum Spartanis profiteri, Thebanorũ ſimultatem ueriti, non ſunt auſi. In Mantinenſi certè pugna Lacedæmonijs contra Epaminundam præſtò fuere: à quibus poſtea, diſsidio orto, deſciuere ad Achæos, Aginq́; Eudamidæ filium, Spartanorum regem, prælio fuſum, extra fines ſuos eiecere, non ipſi quidem per ſe, ſed accitis in auxiliũ Achæis, eorumq́; duce Arato. Iidem cum Achæis aduerſum Cleomenen arma tulére, & Lacedæmoniorũ opes infregere. Antigono uerò, dum Philippi, qui Perſei pater fuit, tutelam gereret, quòd is Achæorum perſtudioſus eſſet, & alios honores habuere, & in eius gratiã Mantinean mutato nomine Antigonean appellarunt. Iam uerò multis pòſt ætatibus in pugna Actiaca ad Apollinis promontoriũ Auguſti ſtudia ſecuti ſunt, cùm cæteri Arcadici nominis populi cum Antonio facerent, nõ aliã, opinor, ob cauſam, quàm quòd Lacedæmonij in Auguſti erãt

partibus. Aetatibus deinde poſt hæc amplius x. cùm ad imperium Adrianus acceßiſſet, aduentitium cognomen urbis illud Macedonicũ ſuſtulit, eamq́; ſuo priſtino nomine iußit uocari. Mantineæ ædes geminæ ſunt, medio pariete diſpertitæ: in una Aeſculapij ſignum uiſitur, Alcamenis opus: in altera Latonæ, eiusq́; filiorum cella eſt. Signa fecit Praxiteles tertia poſt Alcamenen ætate. In baſi Muſa inſcalpta, et Marſyas tibijs canẽs. Pilæ inſiſtit Polybius Lycortæ filius, de quo alio loco nobis erit mentio. Habent & alia Mantinenſes delubra: Iouis Seruatoris, & eius quem idcirco, quòd hominibus fortunas exauget, Epidoten nuncupãt. Gemellorũ etiã, & in diuerſa urbis parte Cereris ac Proſerpinæ. Hoc in fano ignem accendunt, cui ſumma religione ne extinguatur cauent. Vidi etiam prope theatrũ Iunonis ædem: Deam Praxiteles in ſolio ſedentem fecit, eiq́; aßiſtentes Mineruam & Heben. Ab ara deæ proximè abeſt Arcadis Calliſtûs filij tumulus: huc enim ex Delphici Apollinis oraculo è Mænalo ſunt Arcadis oſſa deportata. Oraculi uox fuit:

Frigida Mænaliæ regio eſt, ubi conditus Arcas,
Arcades à cuius dicuntur nomine cuncti.
Huc ego ferre pedem iubeo te, & pectore læto
Arcada ſublatum pulchram tranſponere in urbem,
Quæ triuia eſt, quæ quadriuia, & quæ quinq; uiarum.
Hîc Arcas lucum, ſacrorum hîc munera habeto.

Locum, ubi Arcadis eſt ſepulchrum, Solis aras uocant. Non longè à theatro illuſtria extant monumenta. Inter ea focus, qui cõmunis dicitur, rotunda figura, in quo ſitã Autonoën creditum Cephei filiam. Eminet pila ſupra tumulum cum equeſtri ſtatua: Gryllus is eſt Xenophontis filius. A tergo theatri reliqua adhuc ſunt tẽpli ueſtigia, quod Veneri olim

dicatum

dicatũ fuit Sociali, & in eo ſigna quædã. Indicat in baſi inci ſa inſcriptio, dedicaſſe Nicippen Paſcæ filiã. Templum ere- xere Mantinenſes, quò monimentũ eſſet poſteris cùm naua lis ad Actiũ pugna cõmitteretur, in quibus Romanorũ ipſi partibus fuiſſent. Mineruam præterea Alean cognomento uenerantur, cui templum & ſignũ dedicarunt. Antinoi etiã religio eſt diuinis honoribus ſancita. Eſt Antinoi ædes Man tinenſibus recentiſsima, quã præcipua quadam cura Adria- nus Imp. exornauit: illum ego uiuentem non uidi, ſtatuas cer tè & pictas imagines ſum conſpicatus. Habentur ei cùm ali- bi honores, & in Aegypto apud Nilum urbs de eius nomine eſt appellata. Colitur Mantineæ ob huiuſmodi cauſam. Pa- tria ei fuit Bithynia ſupra Sangariũ amnem. Bithyni ipſi ex Arcadia oriundi, Mantinenſes olim fuere. Ob eam rem diui nos ei honores à Mantinenſibus haberi uoluit Imperator Rom. annua præterea initia, & quinquennali ludicrum ce- lebrari. Domus in gymnaſio eſt, in qua Antinoi ſigna ſer- uantur, tum reliquis ornamentis, tum lapidum nobilitate, tum uerò pictis Antinoi imaginibus inſignis. Earũ imaginũ multæ Liberi Patris inſignia præ ſe ferũt. Et ſanè quæ in Ce ramico Athenis picta eſt pugna ad Mantineam, ab hoc uelu ti exemplari ſumpta uideri poteſt. Eſt præterea in Manti- nenſium foro mulieris ænea effigies, Deomenean uocant, et Arcadis filiam dicunt fuiſſe. Sepulchrum etiam heroicum Podaris, quem in acie cecidiſſe aiunt, contra Epaminundam ac Thebanos pugnantem. Tribus autem ante me ætatibus in ſcriptionem tumuli ad minoris Podaris, qui ſuperioris ne- pos eodem fuit nomine, tranſtulerunt. Vixit hic ijs tempori- bus, ut Romanorum etiam reipublicæ particeps fuerit. Sed- enim ætate mea apud Mantinenſes antiquior Podares cole-

batur: in ea enim pugna, cùm uirtute ciues ac ſocios omnes anteiſſe Gryllum Xenophontis filium fateantur, alterã quidem palmam Cephiſodoro Marathonio, qui Athenienſium equeſtres copias duxit, tertiã huic ipſi Podari, de quo nunc loquimur, tribuũt. In reliquã Arcadiã uiæ ex Mantinea ducunt, in quarũ unaquaq; quæ ſpectantem detinere poſſint, iam perſequar. Tegean contendentibus ad læuam militaris uiæ ante ipſos Mantineæ muros campus eſt, ubi equorũ curriculum, & ſtadium ludicro, quod in Antinoi honorẽ celebratur, attributum. Supra ſtadium mons eſt Haleſium, ab erroribus Rheæ ſic appellatum tradunt. In eo monte Cereris lucus, & ubi mons deſinit, ædes cõſurgit equeſtris Neptuni, nõ procul à ſtadio: de qua æde nihil ego præter auditum habeo: ſed neq; quiſquã alius qui eius mentionẽ fecerit. Quod enim ætate noſtra extat templum, exædificandum curauit D. Adrianus, adhibitis inter fabros ſpeculatoribus, ne quis aut intra uetus templum aſpiceret, aut ruderis ex eo quicquam ſineret aliò tranſportari. Priſcũ illud templum quernis inter ſe arctè compactis trabibus, Agamedes et Trophonius erexiſſe dicuntur. Aditu autẽ homines prohibuiſſe, nõ obicis ullius oppoſitu, ſed laneũ duntaxat funiculum obtendiſſe, ſiue quòd, uigente tunc religione, ſatis ſancroſanctum eſſe deûm metu locũ putarint, ſiue quòd ei funiculo occulta ineſſet ad homines arcendos uis. Vulgatũ eſt certè Aepytũ Hippotæ filiũ cùm neq; ſubiſſet, neq; tranſiluiſſet, ſed filium cõſcidiſſet, ubi primùm templũ intrauit, marinæ aquæ è ſacris ſcatebris erũpentis ui ſubita obcæcatũ, neq; multò pòſt ſuo oppreſſum fato. Peruetus fama prodidit in hoc templo marinæ undæ conceptaculũ eſſe. Idem eſt etiã de aqua marina Athenienſiũ arcis, proditum memoriæ: deq; eo fonte, qui apud

apud Mylaſenſes, quæ Cariæ ciuitas eſt, in eo templo quòd ipſi patria lingua Ogoa nominant: tantùm intereſt, quòd Athenæ à Phalero (ab ea enim parte mare proximum eſt) abſunt ſtadia haud amplius XXX. *Mylaſenſium uerò naua le abeſt ab oppido ſtad.* LXXX. *At Mantinenſibus cũ plurimùm à mari recedant, nõ niſi diuinitus extitiſſe eam in templo aquam exiſtimandum.* Vbi *Neptuni templum præterieris, tropbæum lapideum uideas de Lacedæmonijs uictis, eorumq́; duce Agide erectum. Pugna ad hunc modum cõmiſſa narratur. Dexterum cornu tenuere Mantinenſes ipſi, habito ex omni ætate delectu: dux fuit Podares, Podaris illius pronepos, quem paulò antè cum Thebanis ſtrenuè pugnaſſe memorauimus. Aderat uates Eleus Thraſybulus Aenei filius ex Iamidarum gente, qui & uictoriã prædixit, & periculi ſocius Mantinenſibus fuit. Stetere in læuo cornu reliquæ Arcadici nominis copiæ. Suos ciuitates ſingulæ duces habuere: duos Megalopolitæ, Lydiadẽ & Leocydẽ. Media acies Arato Sicyoniorum & Achæorum duci cõmiſſa fuerat. Lacedæmonij phalangem ſuam dilatarant, quò in hoſtilem aciem omni ex parte frontem obuerterent. In medio agmine Agis cum ſuo globo cõſtiterat. Ibi Aratus (re ita cum Arcadibus compoſita) cum ſua manu fugam ſimulat, quaſi uerò impreßionem Spartanorũ ſuſtinere nõ poſſet. Ea fugæ ſpecie acies in Lunæ modum incuruata eſt: Agis cum ſua cohorte uictoriæ ſpe incitatus, fugientes urget. Iam & à cornibus utrinq; imperatorem ſuum cupidius ſecuti in eandem incumbunt partẽ, quippe qui confectũ negotiũ interpretabantur, ſi Arati manũ fudiſſent, à tergo inconſultius progreſſos Mantinenſes adorti, mox denſa incingũt corona. Spartanorum magnus numerus cum Agide Eudamidæ filio rege ſuo*

cæſi. Viſum in eo prælio Neptunum dimicantē pro ſuis partibus memorant Mantinenſes, ob idq́; erga ſe meritū ei tropæum dedicarunt. Ac deos quidem prælijs hominum ac cædibus intereſſe ſolitos teſtantur, quicunq; heroum apud Ilium caſus perſecuti ſunt. Prædicant Athenienſes, ad Salaminem & Marathonem præſtò ſibi deos fuiſſe: nihil uerò certius quàm ab Apolline, & patrijs dis deletum apud Delphos Gallorū exercitū. Quo minus mirū uideri debet, ſi Neptuni præſenti ope Mantinenſes tunc proſperè pugnarunt. Leocyden nempe eum, qui Lydiade collega Megalopolitanis eo bello præfuit, nono gentilitatis gradu oriundū ab Arceſilao fuiſſe tradunt, eo ſanè, qui cùm Lycoſuræ domiciliū haberet, ceruam uidiſſe dicitur, ei quam Dominā nominăt, deæ ſacram, confectā iam ætate, cum torque, in quo inciſæ erant literæ:

Hinnulus excipior ſoluente Agapenore Troiam.

Argumento uerſus hic eſt, multò eſſe quàm elephantum ceruum uiuaciorem. A Neptuni fano in ſaltum peruenias quercubus condenſum, Pelagus nominant. Per medias quercus uia à Mantinea Tegean ducit: & inter Tegeatas quidem ac Mantinēſes terminus eſt, rotūda in populari uia, ara. Quòd ſi à Neptuni ad læuam deflectere malueris, ſtadiûm V. itinere confecto, ad Peliæ filiarum tumulos peruenias: has Mantinenſes narrant paternæ necis inuidiam fugientes huc ſe recepiſſe. Medea enim ubi primùm Iolcon uenit, Peliæ inſidias machinata eſt, re quidē Iaſoni ad regnū uiam muniens, cùm in eum tamen uerbo hoſtili animo eſſe uideretur. Perſuadet itaq; regijs puellis, earum parentē ſe medicamentis à ſumma ſenectute ad iuuentutem reuocaturam. Nam & uetulum arietē dedita opera iugulatum, cùm inter uenena coxiſſet, te-

nellum

nellum agnũ dicitur è lebete eduxiſſe. Mox uerò cùm Pelian *ipſum in fruſta diſſectum in feruentis aquæ lebetem immiſiſſet, ſenis corpus filiæ ita reſolutum recepere, ut ne reliquũ quidem quicquã eſſet, quod ſepulturæ traderent.* Hic caſus *ut in Arcadiã exilij cauſa abirent puellas adegit: ac fato quidem ſuo perfunctis, ſepulchra congeſta terra ab* Arcadibus *extructa.* Nomina *uirginum, poëtarum indicauit nemo, eorum quos ipſi legimus.* Micon *certè pictor earum imaginibus* Aſtropean *&* Antinoën *adſcripſit. Ab ijs tumulis ſtadia fermè* xx. *diſtat locus qui* Phœzorũ *dicitur: ibi* Phœzorum *tumulus crepidine circunſeptus, modicè à terra ſurgit. Eſt ea in parte uia ualde anguſta: monſtrãt incolæ* Areithoi *ſepulchrum, cui* Corynetæ, *à claua, qua in pugna utebatur, cognomen fuit. Iam ſecundùm eam uiam, qua* Pallantiũ *iter eſt, à* Mantinea *ſtadia fermè* xxx. *progreſſos, iuxta militarem uiam ſaltus excipit, quem* Pelagi *nuncupant. In eo loco equeſtres* Athenienſium *&* Mantinenſium *copiæ, cum* Bœotiorum *equitatu conflixere, cùm in eo prælio* Epaminundas *cecidiſſet.* Mantinenſes *à* Machærione *ſuo ciue occiſum prædicant.* Lacedæmonij Machærionẽ *hunc* Spartanũ *fuiſſe cõtendunt. Sed* Athenienſes, *quibus aſſentiuntur* Thebani, *transfoſſum à* Gryllo *dictitant, atteſtante id pictura, in qua* Mantinenſis *pugna expoſita eſt. Id &* Mantinenſes *uidentur ſenſiſſe, qui cùm* Gryllum *publico funere extuliſſent, eidem ſtatuã poſuerunt erecta pila, quòd præ omnibus ſocijs uirtus eius enituiſſet.* Machærionẽ *uerò uerbo potius quàm re, nouere* Lacedæmonij: *nam neq;* Spartæ, *neq; apud* Mantinenſes *ipſos, cuiquã uirtutis ergò, cui fuerit* Machærioni *nomen, honorẽ habitũ comperi.* Epaminundas *quidẽ cùm ſaucium ſui ex acie retuliſſent, uulnus oppoſita manu com-*

preſsit, pugnamq́; proſpectans ex eo loco, quem Speculam poſtera ætas ab ipſius facto appellauit, dolorem eouſq; pertulit donec æquatum uidit pugnæ exitum: inde cùm amota manu animam efflaſſet, eo ipſo in loco, quo fuerat prælium cõmiſſum, eſt ſepulturæ mandatus. Eius tumulo impoſita eſt columna cum ſcuto, in quo ſerpens cælatus eſt. Indicat hoc inſigne Epaminundam ab ijs ortum ducere, qui Sparti ſunt nuncupati, quòd editi in lucem dicantur è draconis dentium ſatione. Pilæ uerò duæ eminẽt, priſci operis altera cum Bœotica inſcriptione, alterã Adrianus Imperator dedicauit, & inſcriptionem ipſe addidit. Et Epaminundã quidem gloria præſtantibus apud Græcos imperatoribus, iure optimo parem potius, quàm inferiorẽ quouis ducas. Nam cùm Lacedæmoniorũ & Athenienſium ducibus priſcus patriæ ſplendor magno fuerit ad res magnas capeſſendas adiumento, militesq́; ipſi ducum magnitudini uirtute ſua facilè reſponderint, Epaminundas Thebanos, quos rebus ſuis maximè diffidentes nactus fuerat, & aliorum Græciæ ciuitatũ imperijs aſſuefactos, ad principatus gloriã euexit. Acceperat is iampridem ex Delphici Apollinis oraculo, Pelagus ſibi cauendum: quare fuit illi præcipua cautio, ne aut triremibus, aut oneraria unquam naui ueheretur: at præmonuerat deus nõ mare, ſed ſaltum eum deuitandum, cui Pelagus nomen. Hæc nominum ambiguorũ ſimilitudo Annibalem poſtea Carthaginenſem, & Athenienſes antea fefellit. Annibali quidem oraculum redditũ fuerat ex Ammonis fano, fore ut mortuus Libyſſa humo contegeretur: quare in ſpem uenerat, deleto Romanorum imperio, in patria ſe poſtremũ uitæ diem exacta iam ætate clauſurum. Atenim cùm Flaminius illum ex fœdere uiuũ ſibi dedi poſtulaſſet, à Pruſia Bithyniæ rege, ad

quem

quem ſupplex confugerat, reiectus, cùm in equum aſcenderet ſponte enſe nudato digitum læſit, atq; inde non multorũ ſanè ſtadiorum itinere confecto, cùm eius uulneris inflammationem febris eſſet conſecuta, tertio pòſt die interijt: oraculi itaq; uocem fatalis uici nomen impleuit, Libyſſam enim Nicomedenſes appellabant. Athenienſibus etiam reſponſum è Dodona redditum fuerat, Siciliam coloniam deducendam. Non longè ab urbe aberat terræ non ſanè magnus tumulus, cui Siciliæ nomen: at illi oraculi uocem aliò trahentes, extra fines bellum inferre auſi, apud Syracuſas magna clade temeritatem ſuam luêre. Sed perſimilis errationis multa colligi poßint exempla ab ijs, quibus hoc præcipuè fuerit curæ: nos ad inſtitutũ redeamus. Ab Epaminũdæ ſepulchro haud amplius uno ſtadio diſtat Iouis templum, Charmonis cognognomine. In Arcadũ ſaltibus quercus diuerſa inter ſe forma ſunt: earũ alias à latiore folio platyphyllos, alias fagos nuncupant. Tertium eſt genus tam exucco & leui cortice, ut ex eo anchorarum in mari indices, & fundarum faciant: quare & Iones reliqui & Hermeſianax elegorum poëta, phellon, id eſt, ſuberem eum ipſum corticem nominant. Ad Methydrium, nõ ſanè amplius oppidum, ſed uicum Megalopolitarum ditionis, uia una à Mantinea perducit. Progreſſos ſtadia XXX. campus excipit, cui nomen Alcimèdon, ſupra quem mons Oſtracina, in quo antrũ, ubi Alcimedon habitauit. Fuit hic de heroibus unus, cuius filiã nomine Phillonẽ uitiatam ab Hercule Phigalij memorãt; à patre uerò ſtatim à puerperio in proximũ montem feris expoſitam cum puero: ibi uagientem infantem cùm pica imitaretur, ad auis uocem, quòd puerilẽ eſſe credidiſſet, Herculem fortè illac iter habentem conuerſum, puellam, & à ſe genitum puerum,

quem Aechmagoran appellatum tradunt, agnouiſſe, amboſq; uinculis liberaſſe. De rei euentu fontem proximum Ciſſan, id eſt, picã, nuncupatũ. Ab hoc fonte ſtadia XL. *abeſt Petroſaca uicus, in ipſis Megalopolitarũ & Mantinenſium finibus. Sed præter duas, quas antè indicauimus uias, totidẽ aliæ Orchomenũ deducunt: in earum una ſtadium eſt quod Ladæ appellant, quòd in eo ſe Ladas ad curſum exercere ſit ſolitus. Proximè eſt Dianæ ædes, & ad uiæ dexteram terræ editus agger, Penelopes tumulum eſſe dicunt: neq; enim de Penelope Arcadum ſermo cum Theſprotide poëſi cõgruit: in ea enim proditum eſt memoriæ, poſt Vlyßis à Troia reditum, Penelopen ei Ptoliporthum peperiſſe. At Mantinenſes longè alium diſtulerũt ſermonem, ab Vlyſſe eo crimine damnatam, quòd ultro procos inuitaſſet, domoq; exactã, Spartam prius, deinde Mantinean ſe recepiſſe, ibiq; uitæ ei finem contigiſſe. Proxima, atqueadeo huic tumulo contigua planities eſt non ſanè magna: in ea mons, ubi ruinæ cernuntur priſcæ Mantineæ: locus hac etiamnum ætate Ptolis dicitur. Hinc digreſſus modico uiæ ſpatio confecto, ad fontem Alalcomeniæ peruenias. Ab urbe ſtad.* XXX. *Aquilonẽ uerſus abſunt rudera uici, cui Mœræ nomẽ. Si Mœra hoc in loco, & non in Tegeatum finibus fuit ſepulta, ueri enim quæ de eius ſepulchro dicunt Tegeatæ, quàm quæ Mantinenſes, ſimiliora uidentur, fuiſſe ſcilicet Atlantis filiam Mœram apud ſe humatã: fortè uerò ex huius ſtirpe, alia & ipſa nomine Mœra, in Mantinenſium fines uenit, quæ ibi ſepulta, uico nomen reliquit. In altera uiarum, quæ Orchomenum contendunt, Anchiſæ mons eſt, et ad imum montem Anchiſæ ſepulchrum. Cùm enim in Siciliã tranſmitteret Aeneas, in Laconicam terram diuertit, atq; ibi Aphrodiſiade, & Oetide*

urbibus

urbibus cõditis, Anchiſem patrem, qui, cùm in ea loca quacunq; de cauſa ueniſſet, diem ſuum obierat, ad ſepulturam dedit. Anchiſæ itaq; monti ab Anchiſa nomẽ. Huic rei fidem facit, quòd Aeolenſes qui ætate noſtra Ilium incolunt, nuſquam Anchiſæ tumulum oſtendunt. Adiacent Anchiſæ ſepulchro, templi, quod Veneri dicatum fuerat, rudera. Sunt etiam ad Anchiſias agrorum inter Mantinenſes & Orchomenios termini. Intra Orchomeniorũ fines ad uiæ læuam, ijs qui ab Anchiſijs digreſſi fuerint, in decliui montis parte ædes eſt Dianæ, Hymniæ cognomento: in ea Mantinenſes etiam rei diuinæ operam dant: ſacerdotem fœminam & uirum patrio inſtituto deligunt, & reliqua propinquitate & matrimonio coniunctos: his non balnea, non cætera uictus ratio cum uulgo cõmunis, neq; in priuati ullius hominis ædes pedem unquam inferũt. Eadem ſanè ab ijs etiam, quibus Epheſiæ Dianæ ſacra cõmittuntur (Eſtiatoras, & Eſſenas, id eſt, epulones uel ſodales, uocant) obſeruari nouimus, ſed per annuas tantũ uices. Ac Hymniæ quidem Dianæ anniuerſarium faciunt ſacrũ. Orchomeniorũ uetus oppidũ in ſummo olim fuit montis uertice, quo in loco reliqua ſunt fori & mœnium ueſtigia. Nam quæ hac ætate habitatur urbs, ſub ipſo eſt ueterum murorũ ambitu. Spectatu in ea digna, fons perennis aquæ, Neptuni & Veneris delubra cum ſignis marmoreis. In ſuburbanis Dianæ in magna cedro incluſa eſt priſci operis lignea effigies: deam ab arbore Cedreatim appellant. Infra oppidum per interualla ſunt è congeſtis lapidibus tumuli, quos in honorem peremptorum in prælio hominum erectos apparet: uerùm cum quibus uel Peloponneſiorum, uel Arcadum ipſorum bellatum ſit, neq; ullæ indicant inſcriptiones, neq; ipſi Orchomenij memoriæ proditum ha

bent. Ex aduerſo urbis mons eſt, cui Trachys, id eſt, Aſper, nomen. Inter eum montem & urbis mœnia, pluuia aqua profundo excepta alueo, in alteram Orchomeniorum planitiem defluit, longè lateq; illam quidem patentem, ſed cuius maximam partem palus occupet. Ab Orchomeno ſtadia propè tria profectis, uia ſe oſtendit, qua Caphyan rectà iter eſt, ſiue per alueum, ſiue per ſtagnantis aquæ paludem. Vbi aquam traieceris, quæ per alueum præterfluit, uia altera eſt ſub Trachy monte, iuxta quam Ariſtocratis ſepulchrũ, eius nempe, qui Hymniæ Dianæ ſacerdoti per uim uitium obtulit. Modico ab Ariſtocratis ſepulchro interuallo abſunt fontes, Teneæ appellati. Diſtat ab his ſtadia fermè ſeptem Amilus: huic uico idem nomen, quod olim priſcæ urbis eſſe tradunt. Hîc ſe rurſus in biuium findit uia: pars eius altera Stymphalon, Pheneon altera ducit. Per hanc progreſſos mons excipit: in monte iuncta ſunt Orchomeniorũ, Pheneatum, & Caphyatũ confinia. Supra eos præruptũ ſaxum eſt, petram Caphyaticã accolæ nominãt. Secundùm fines ipſos, ijs quas paulò antè nominauimus urbibus uallis ſubiacet: per eam uia tranſit qua Pheneon iter eſt. In media ualle aqua oritur è fonte: in extrema eſt uicus, cui nomen Caryæ. Pheneatarum campi Caryis ſubiecti: ex ijs campis aqua immodicè ſtagnante ueterem Pheneon deletam memorant. Manent ætate etiã noſtra in montibus eius eluuionis ſigna, quæ quantum aqua aſcenderit indicant. A Caryis ſtadia quinq; diſtant montes Orexis & Sciathus. Ad ima utriuſq; montis ingentes foueæ ſunt, quæ aquam è campis defluentem excipiunt: eas foueas manu factas Pheneatæ putant: Herculẽ hoc operis effeciſſe, dum Phenei apud Laonomen Amphitryonis matrem degeret. Amphitryonem enim Alcæo ex Gunei

filia

filia Laonome, fœmina Pheneatide, non autem ex Laodice Pelopis genitum ferunt. Quòd ſi non uanus eſt hominũ ſermo, ad Pheneatas Herculẽ migraſſe, adduci quis facilè poſſit ut credat, Tirynthe ab Euryſtheo pulſum, non Thebas eum tunc primùm, ſed Pheneum ſe recepiſſe. Ac foſſam ille quidẽ per medios Pheneatici agri campos duxit, ut per eam Olbius amnis, quem Arcadum alij Araonium appellant, laberetur. Operis longitudo ſtadia L. excurrit: altè ſubſidit, quà ripæ integræ ſunt, pedes haud minus XXX. Vérùm hoc Herculeo alueo iam deſtituto, fluuius meatum priſtinũ ſuum illum ueterẽ repetijt. Ab ijs quidem foueis, ſub ijs montibus de quibus antè egimus, dehiſcentibus, ſita eſt urbs ipſa Pheneos, cuius conditorem Pheneatæ perhibent Pheneũ uirum indigenã. Arx eſt undiq; prærupta, & partim natura loci, partim etiam operibus munita. In ea Mineruæ templũ fuit, cui Tritoniæ cognomentũ: ſed eius iam ſola rudera reliqua ſunt. Neptuni etiam cognomine Equeſtris, ex ære ſimulachrum, Vlyſſem dedicaſſe aiunt: cùm enim equas perdidiſſet, & eas quærens totam Græciam peragraſſet, poſtremò quo loco eas reperit, ibi Dianæ templum, quam Eurippen cognominarit, addito Equeſtris Neptuni ſigno, erexiſſe: ac ſanè inuentas equas, ita in ea Pheneatici agri parte, ut in cõtinenti contra Ithacam terra boues, paſcendas locaſſe. Mihi quidẽ Pheneatæ in ſimulachri baſi inſcriptas literas monſtrarunt, quibus quæ cum paſtoribus Vlyſſes pepigiſſet, conſignata fuerint. Non tamen, ut cæteris quæ dicunt fidem habeam, illud aſſentiar adduci poſſum, ex ære ſignũ ab Vlyſſe dicatum, cùm nondum illis temporibus traditum fuiſſet ſigna ex ære facere, tanquã ueſtem in textrina. Sed quale fuerit tunc æris opificiũ, oſtendi iam antè in eo qui eſt de rebus

Laconicis cōmentario. Primi æs conflare, & cudere docuerunt Rhæcus Philæi, & Teleclis filius Theodorus, ambo Samij. Theodorus certè ſmaragdum illum cælauit, quem frequentiſsimè geſtabat, quoq; maximè delectabatur Polycrates Samiorum tyrannus. Quà ab arce Pheneatum deſcenditur, ſtadium eſt, & in edito uertice ſepulchrum Iphiclis, qui frater fuit Herculis, Iolai pater. Herculis laborum conſortem magna ex parte fuiſſe Iolaum Græci teſtantur. Eius uerò pater Iphicles cùm in prima Herculis contra Augean Eleorum regem pugna, ab Actoris filijs, qui Molionidæ ſunt à Molione matre appellati, uulnus accepiſſet, à propinquis Pheneon delatus: ibi eum Pheneates Buphagus, & eius uxor Promne ualdè accuratè tractarūt, & ex uulnere mortuum ſepelierunt, & Iphicli hac etiam ætate tanquā heroi parentare ſolenne habent. Deorū uerò omniū maximè Mercuriū Pheneatæ uenerantur, eiq; ludos faciūt Hermæa. Templum extat Mercurij cum ſigno marmoreo, quod fecit Athenienſis Euchir Eubulidæ filius. A tergo templi eſt Myrtili ſepulchrum, quem Græci Mercurij filium fuiſſe tradidere, Oenomai aurigam: quoties uerò quis de procis filiæ in certamen deſcendiſſet, currus ea arte regere ſolitum, ut Oenomaus uictores aſſecutus, haſta eos emiſſa transfigeret. Hippodamiæ ipſe etiam amore captus, cùm non auderet in certamine fortunam experiri ſuā, pergebat aurigæ munera obire. Proditum poſtremò ab eo Oenomaū narrant, cùm Pelopem iureiurando adegiſſet, ut prima ſibi Hippodamiæ nocte concederet: uerùm cùm ultorē promiſsi moneret, ab eo è naui in mare abiectū aiūt. Eius cadauer æſtu eiectū ſepulturæ mandaſſe Pheneatæ dicuntur: ſua certè Myrtilo parentalia ſtato quotannis die faciunt. Satis perſpicuū eſt nō fuiſſe longin

quo

quo mari uectum Pelopem, ſed ab Alphei oſtio profectum, ad Eleorum nauale applicuiſſe. Quare ne Myrtoum quidem mare à Myrtilo Mercurij filio nomen accepiſſe credendum, cùm ab Eubœa ferè incipiens, ad inſulam deſertam, quæ Helene dicitur, cum Aegæo iungatur. Probabilior mihi Eubœenſium ſententia uidetur, qui à Myrtone puella nomen ei pelago inditum putant. Eſt apud Pheneatas Cereris cognomento Eleuſiniæ fanum, cui initia eodem ritu, quo apud Eleuſinē peraguntur, cùm ipſi tamen ea ſacra apud ſe primùm inſtituta autument: uenìſſe enim in hæc loca ex Apollinis Delphici oraculo Naum, à quo ſacrorum ritus acceperint: & Naum quidem Eumolpi pronepotem fuiſſe. Prope fanum Eleuſiniæ, lapides eminent prægrandes duo, alter aptè alteri impoſitus, Petroma uocant: eos lapides, ubi anniuerſarij ſacri, quæ Maiora nominant initia, dies appropinquant, diſiungunt, atq; inde literas educunt, quibus pompæ ritus, & quæ fieri oportet omnia conſignata ſunt. Eum cōmentariū cùm ſacrificulis audientibus recitandū curarint, ea ipſa quæ conſequitur nocte in priſtinā ſedem reponunt. Ad eam lapidum compagem compertum habeo, Pheneatarum multitudinem de maximis quibuſque rebus iuſiurandum concipere ſolitam. Saxo ſuperiori operimentum imminet rotundo ambitu, in eo effigies Cereris cognomento Cidariæ ſeruatur: eam effigiem ſacerdos tanquam perſonam indutus, ſtatis, quæ initia maiora appellantur, diebus populares patrio quodam ritu uirgis cædit. Veniſſe in hæc loca Pheneatæ Cererē dictitant ante Naum, dum errabunda Proſerpinā quæritaret, & ijs qui ſe comiter ac liberaliter accepiſſent, legumina diuiſiſſe omnia, præter fabā: qua enim maximè de cauſa impurū legumen faba ſit, arcanis cōmentarijs

mandatum eſt. Iam *uerò qui (uti* Pheneatæ *narrant)Cererem hoſpitio acceperunt,quiq; ei templũ ad imam* Cellenen *erexerunt, & initia deæ inſtituêre, quæ nunc etiam in officio permanent,* Triſaules *ijs &* Damithales *nomina. Abeſt quod diximus fanum ab urbe ſtadia propè decem.Quà* Pellenen *et* Aegiran *à* Pheneo *iter eſt ſtadia circiter* x. *progreſſi,ad* Apollinis Pythij *templum accedant:ſed enim ex eo ſola rudera,& magnam è candido lapide aram uetuſtas reliqua fecit.Ad eam aram* Pheneatæ *hoc etiamnum tempore ſacris operam dant:* Herculem Elide *capta eam memorant dedicaſſe.* Extant *heroum illorum ſepulchra,qui cùm eius expeditionis* Herculi *ſocij fuiſſent, pugnando cecidere*. Ac Telamon *quidem proxime flumen* Aroanium *modico ab* Apollinis *interuallo conditus eſt:*Calchodon *non longè à fonte* Oenoë. *Neminem uerò errare uelim, exiſtimantem uel* Calchodontem *hunc* Elephenoris, *qui inter duces claſſe ad* Ilium *profectus eſt, uel quem antè nominauimus* Telamonem, Aiacis & Teucri *patres fuiſſe. Quî enim* Herculem Calchodon *in hoc bellum ſequi potuit, cùm interfectum ab* Amphitryone *haud dubijs* Thebanorum *monimentis teſtatum ſit? Vel quonam pacto* Salaminem *in* Cypro *condidit* Teucer, *ſi nemo eum à* Troia *redeuntem domo prohibuit? Ecquiſnam uerò arcere eum præter* Telamonem *potuiſſet? Quocirca alios omnino hos, qui* Herculem *iuuerint ab* Euboico Calchodonte, & Aegineta Telamone, *fuiſſe ſtatuendum eſt. Enimuero uti noſtra ætate, ſic propémodum ſuperioribus omnibus ſeculis,illuſtriorum plerunq; uirorum nomina cum ijs,qui nõ tam clari fuerint,cõmunicata ſunt.*Pheneates *autem ab* Achæis,*nõ uni dirimunt fines:nam ad* Cyllenen *inter utroſque terminus eſt fluuius, qui* Porinas *dicitur:*

tur: ad Aegiraticum agrum Dianium.*Intra Pheneatarum fines,ſecundùm Pythij Apollinis templum paululum progeſſus,in uiam ingrediare quæ ad Crathin montem ducit.In eo monte Crathidis amnis fontes ſunt.Labitur is ad mare præter Aegas deſertum ætate mea uicum,* Achæorum *olim urbem: ab eo nomen accepit Crathis Italiæ in Brutijs fluuius. Eſt in Crathide monte Pyroniæ Dianæ fanum:ex eo antiquitus Achæi ad Lernæa ignem deportabant.* A Pheneo *Orientem uerſus iugum eſt Gerontei montis: terminus hic inter* Pheneatas *&* Stymphalios.*Ad læuam montis per Pheneaticum agrũ contendentibus,fines ij ſunt,quæ* Tricrena *nominant, à tribus, qui illic ſunt,fontib.quaſi Trifontiũ dixeris. In illis aquis recens in lucem editum* Mercuriũ *accolæ montis* Nymphæ *abluiſſe dicuntur,ob eamq́; rem eos fontes tanquam* Mercurio *ſacros multa cum religione colunt.* Non *longè à* Trifontio *mons eſt cui Sepia nomen,ubi* Aegyptum Elati *filium ſerpentis morſu periſſe dicunt, eoq́; in loco humatũ,quòd longius cadauer efferre (ob odoris opinor grauitatẽ)non potuerint.*Eius *generis in eodẽ monte ali noſtra etiam ætate ſerpentes* Arcades *tradunt, ſed ualdè iam paucos, quòd, cùm denſis niuibus mons magna anni parte undique obducatur, uel ſub diuo deprehenſi necentur, uel ſi fortè in ſua luſtra confugerint,gelu tamen conficiantur.Atque eò quidem* Aepyti *ſepulchrũ ualde ſtudioſe ſum cõtemplatus, quòd eius mentionem facit* Homerus.*Eſt uerò terræ agger lapidea crepidine in orbem circunſcptus.* Fuit *ſanè* Homero *admirationi,quòd ſcilicet nullũ fuerat ille nobilius monimentum conſpicatus.* Nam *&* idem *chorũ in* Achillis *clypeo à* Vulcano *fabricatum, idcirco cum* Aridanæ *choro quem fecerat* Dædalus,*comparat,quia nullũ ſolertioris ar-*

tificij opus uiderat. Equidem *cùm multa norim ubi ſint admiratione digna ſepulchra, duorũ tamen duntaxat hoc loco mentionem faciam: alterum* Halicarnaſſi *eſt,in* Hebræis *alterum.* Erectũ *illud fuit* Mauſolo,*qui* Halicarnaſſi *regnauit, ea operis magnitudine,atq; omni ornamentorũ magnificentia,ut* Romani *rei miraculo adducti,magnificentiſſima quæq; monimẽta* Mauſolea *appellarint. At apud* Hebræos *in* Solymorũ *urbe,quam* Romanorũ *Imp. funditus excidit,* Helenæ *indigenæ mulieris ſepulchrum miri operis eſt:in eo enim oſtium fabricatũ eſt è marmore, uti cæteræ ſepulchri partes:id anni ſtato die, atq; hora, occulto machinæ cuiuſdam motu aperitur, neq; ita multò pòſt occluditur: quòd ſi alio tempore aperire conatus fueris,effringas facilius,quàm ulla ui recludas.* Ab *Aepyti ſepulchro ad* Arcadicorum *omnium montium excelſiſſimum* Cyllenen *uenias.* In *eius ſummo uertice* Mercurij *templum eminet.* Dubiũ *uerò nihil eſt, & monti &* Deo *à* Cylleno Elati *filio cognomina indita.* Ac *priſci quidem homines quantũ ex antiquitatis monimentis didicimus, nõ alijs materiæ generibus ad ſimulachra deorũ uſi ſunt,quàm ebeno,cypariſſo,cedro, quercu,hedera* Cilicia,*loto.* Verùm Mercurio Cyllenio *è citro ſignũ ædificatũ eſt,pedum,uti conijcio, haud minus* VIII.*altitudine.* Habet *præterea(quod admirere)* Cyllene *mons merulas undecũq; albas.* Nam *quæ aues hoc nomine à* Comicis *appellantur, aliud quoddam genus ſunt,haudquaq̃ canoræ.* Aquilas *quidẽ quas* Cycnias *uocamus, candore oloribus perſimiles ipſe in* Sipylo *ad ſtagnum, quod* Tantali *dicitur, conſpexi.* Apros *certè,et ex* Thracia *urſas albas,uulgò priuati homines lepores albos inter altilia* Libyes *habent: ceruas uerò albas* Romæ *uidi,neq; percontari in mentẽ tamẽ uenit, è mediterraneis ne*

neis'ne orbis terræ partibus, an uerò ex inſulis fuerint deportatæ. Huc ſum digreſſus, ne cõmentitium quis putaret, quod de Cyllenijs merulis cõmemoraui. Coniungitur cũ Cyllene mons alius, cui nomen Chelidorta: in eo nempe Mercurius dicitur repertã teſtudinẽ ad lyræ formã redegiſſe. Hic fines inter Pheneatas & Pellenenſes montis multò maximã partẽ Achæi poßident. A Pheneo ad eam quæ ad Occaſum eſt partẽ diſcedentes, uiæ excipiũt duæ, Clitorẽ læua, Nonacrin dextera, et ad Stygis aquam perducit. Fuit olim Nonacris Arcadũ oppidulum, cui nomen Lycaonis filia dederat. Solæ ætate noſtra ruinæ extãt, & eæ quidem magna etiã ex parte obrutæ. Ab ijs ruinis non longè crepido montis tam altè ſe attollit, ut locum nuſquam uiderim celßiorem. Ex ea aqua ſtillatim defluit, quã Stygis Græci nuncupant. Ac Stygem quidẽ Heſiodus in eo libro qui de gentilitate deorũ inſcriptus eſt (neq; enim deſunt qui carmen illud Heſiodo adſcribant) Oceani filiam, & Pallantis uxorem fuiſſe memoriæ prodidit. Ab his nihil ferè deſcrepãtia ſuis etiã uerſibus Lynũ ceciniſſe tradunt. Mihi quidẽ utriuſq; poëtæ carmina accuratè legenti, nõ eſſe hæc illis attribuẽda uideri ſolet. Epimenides Cretenſis Stygẽ filiã Oceano genitã dixit, non tamen Pallanti, ſed Piranti nuptã, quicunq; ille Piras fuerit, cui etiam Hydram pepererit. Omniũ maximè Stygis nomẽ in poëmata ſua induxit Homerus. Nam et qua in parte iuſiurandum concipientem Iunonem fecit, ſic inquit:

Hoc ſciat omniparens tellus, cælumq; profundum,
Vndaq; de Stygijs emanans fontibus.

Ad naturam nempe reſpexit ſtillantis aquæ, ut qui locũ ipſe eum eſſet conſpicatus. Iam uerò in enumeratione eorum qui Guneum ſecuti ſunt, ubi Titareſium amnem nominat, fluere

à Styge illum autumant. Poſtremò eſſe apud inferos Stygem dicit, quo loco exprobrantem Ioui *Mineruam facit, quòd nõ meminerit ſua maximè opera ſeruatum* Herculem, *quo minus ijs quos imperaſſet* Euryſtheus, *laboribus conficeretur.*

Quòd ſi ego præſaga id potuiſſem mente uidere,
Tunc cùm ipſum indomiti demiſit in atria Ditis,
Colla canis traheret furui quò regis ab aula,
Nulla arte elapſus Stygijs *remeaſſet ab undis.*

Aqua ſanè illa ex prærupta rupe ad Nonacrin *guttatim in præcelſum ſaxum cadit, inde in* Crathin *fluuium delabitur. Mortifera illa quidem eſt cùm homini, cum cuiuis alij animantium generi: nam & capellæ ſæpius aquæ eius potu extinctæ ſunt, quod tamen ex interuallo temporis cognitũ eſt. Accedit & aliud ad eius aquæ miracula. Vaſa & pocula omnia, ſiue uitrea, ſiue cryſtallina, ſiue murrhina, ſeu è lapide aut teſta ſint uictili, aquæ illius ui franguntur. Quin etiã ferrum, æs, plumbum, ſtannũ, argentũ, et electrum, ea aqua infuſa ſoluuntur. Ipſum quoq; aurũ, quod neq; ſitu, neq; rubigine deteri, et Leſbia poëtria teſtatur, & res ipſa indicio eſt, aquæ tamen huius uirus non ſuſtinet. Atenim uilioribus plerunque rebus uim eam* Deus *indidit, ut ea ſuperarent, quæ maximæ eſſent inter homines æſtimationis: nam & aceto uniones reſoluuntur, & Adamantem lapidum omnium aduerſus quemlibet ictum peruicaciſsimũ, hirci ſanguis tabefacit. Conſimili modo* Stygis *aqua ungulam equi ſuperare non poteſt: hac enim ſola ita continetur, ut uaſculum non findat. Fuerit'ne hoc ueneni genere enectus* Alexander Philippi *filius, pro comperto non habeo, memoriæ certè proditũ ſcio. Supra* Nonacrin *montes ſunt* Abroania *appellati, in quib. ſpelunca, intra quã furore actas* Prœti *filias memo*

rant ſe abdidiſſe: inde uerò extractas à Melampode arcanis quibuſdã ſacris & expiationibus, in eum uicũ ueniſſe, quos Luſos nuncupant. Aroaniorũ partem utiq; magnã Pheneatæ incolunt: nam Luſi intra fines Clitoriorũ ſunt. urbẽ hanc olim fuiſſe tradũt. Ageſilaus certè Lucenſis uictor renunciatus eſt, accepta de iniuge equo palma, cùm primã à decima Pythiade ludos Amphictyones faciundos curaſſent. Noſtra tamen ætate Mepſæ quidem Luſorũ ruinæ extãt. Filias certè Prœti Melampus Luſos compulit, luſtratasq; in Dianæ, inſania liberauit. Ab eo ſanè tẽpore ad hodiernũ uſq; diem Hemereſiam, quaſi placabilem dixeris, Dianam templi eius præſidem Clitorij nuncupant. Eſt uerò etiam Arcadici nominis gens ea, qui Cynæthaenſes uocantur: hi in Olympia Iouis ſignum poſuere, fulmen utraq; manu præferens: abſunt hi à Dianæ ſtadia fermè XL. In eorũ foro et aræ multæ deorũ, & Adriani Cæſaris eſt effigies. Quod uerò memoratu apud ipſos nõ indignũ eſt, Liberi Patris templũ habẽt, in quo feſtos dies anni ſumma hyeme agitant, adipe peruncti: ſublatum humeris è grege taurum, quem ipſe Deus ut deligerent in mentem uenire uoluiſſet, ad templum deportãt: hoc ſolenne ipſis eſt ſacrum. Abeſt ab oppido ſtadia haud amplius duo fons prægelidæ aquæ: fontem obumbrat platanus: ſi quis ex rabidi canis morſu, uel uulnus, uel noxã quouis modo traxerit, aqua hauſta ſtatim ſanatur: è re itaque ipſa fontem Alyſſon, quòd per eum ſedetur rabies, nominãt. Videtur itaq; natura Arcadibus, cùm Stygis aquam ad perniciem hominem dediſſet, hunc etiã qui in Cynæthaẽnſibus eſt, fontẽ, longè diuerſa ui, æquata boni maliq; ſorte, ſalutis cauſa tribuere uoluiſſe. Reliqua eſt earum quæ à Pheneo ad Solis occaſum ad læuam uiæ ſunt, una quæ Clitorem du-

cit: peruenit autem ad illud Herculis *opus, quo effecit ut perenni* Aroanius *amnis aqua flueret: ſecundùm quem amnẽ, ad* Lycuriã *uicum iter eſt, ubi inter* Clitorios *& Pheneatas agrorum ſunt fines.* Progreſſus *hinc ſtadia propè* L. *ad* Ladonis *fontem accedas.* Equidem *audiui aquam eam, quæ in ſtagnum ſe in* Pheneatico *agro diffundit, illinc proximorum montium cauernas ſubeuntem, mox hoc loco eruptione facta, fontes* Ladonis *efficere.* Id *ego itá ne ſe habeat, an uerò aliter, non habeo tanquam de exploratа re dicere.* Ladon *quidem ipſe aquæ pulchritudine omnibus* Græciæ *fluminibus antecellit: celebratur uerò maximè* Daphnes *cauſa, & ob ea quæ de illa poëtæ decantarunt.* Ego *ſanè de* Daphne *quæ cõmemorant* Syri Orontis *accolæ, prætereo: nam longè diuerſa ab* Arcadibus *et* Eleis *tradita ſunt.* Oenomao *narrant* Piſæ *regi filium fuiſſe* Leucippum *nomine, qui puellæ amore captus, cùm eam ſi uxorem ſibi palàm peteret, operam ſe luſurũ pro certo haberet, quòd illa omnino à marium conſuetudine abhorrebat, ad eam fallendã huiuſmodi excogitaſſe aſtũ dicitur.* Alebat *adoleſcens* Alpheo *comam: eam illæ cùm, quo uirgines more ſolent, religaſſet, cum muliebri ueſte ad* Daphnen *uenit, filiam ſe* Oenomai *ſimulans, quæ ſocia uenationis eſſe cuperet: cùm itaq; uirgo eſſe ex corporis habitu facilè crederetur, anteiret uerò cæteras comites generis dignitate, ac uenandi peritia, & in primis obſequentem ſe illis maximè præberet, miro ſibi* Daphnen *amore deuinxit.* At *qui de* Apollinis *amore fabulam uulgarunt, hoc ampilus addunt.* Apollinẽ *grauiter ferentem* Leucippi *in amore felicitatẽ, effeciſſe ut* Daphne *cũ ſuo comitatu uirginũ natandi cauſa in* Ladonẽ *deſcendens, ipſum etiã* Leucippũ *recuſantem & inuitum illuc pertraheret: ac mox*

ueſte

*ueſte detracta, cùm uirginis ementitum habitum deprehendiſſent, impetu facto ipſæ Daphnes comites illum iaculis & pugiunculis transfixum interemerint. Hæc in uulgus de Daphne prodita. Abeſt uerò à Ladonis fontibus haud minus LX. ſtadia Clitoriorũ urbs: huc uia ducit ab ipſis fontibus Ladonis ſecundũ Aroaniũ amnem anguſto calle. Prope ipſum Clitoriorũ oppidũ traijcitur Clitor amnis. Influit is in Aroanium ſtadia haud plus ſeptẽ procul ab oppido. Piſces educat Aroanius, qui Pœciliæ, credo à coloris uarietate, appellantur: hos haud abſimilem turdorũ uoci ſonum fundere aiunt. Vidi ego ſanè piſces iam captos, uocem uerò eorum nullam audiui, cùm tamen ad Solis uſq; occaſum circa Aroanium cõmoratus eſſem, quòd eo maximè tempore uocales eos eſſe piſces dictitant. Vrbi nomen ab Azanis filio eſt impoſitũ. Sita eſt planõ loco, non magnis circumuallata montibus. Templa in ea ſunt maximè illuſtria, Cereris, Aeſculapij, Lucinæ, * neq; numerum uerſibus prodidit. At Lycius, qui multò fuit ætate ſuperior, patria Delius, hymnis & in alios deos, & in Lucinam ipſam conſcriptis, Eulinon, quaſi dicas Lanificam, appellat, eandem eſſe innuens quæ & Pepromene, hoc eſt, Fati ſors, dicitur: nam & Saturno antiquiorem memorat. Eſt etiam apud Clitorios Caſtorũ templum Magnorũ Deũm nomine, ab urbe ſeiunctum ſtadia quatuor: ſigna dis ænea extãt. Iam uerò in montis uertice procul ab urbe ſtadia fermè XXX. ædes eſt cum ſigno Mineruæ Coriæ. Sed me propoſita expoſitio reuocat ad Stymphalum, & ad Stymphaliorum montem Geronteum. Stymphalij quidem ipſi nõ Arcadibus iam ſe contribuunt, ſed ad Argiuorum ſe conciliũ ultro defectione facta applicuerunt. Cognatos uerò Arcadum eſſe, Homeri carmina teſtantur,*

præterquã quòd Stymphalus oppidũ munijt, Arcadis Calliſtûs filij pronepos: non tamen quo nunc loco extat, ſed in parte diuerſa conditum fuiſſe memorãt: in priſca uerò Stymphalo Temenum habitaſſe, à quo fuerit Iuno educata, cui fana tria deæ cognominibus totidem dedicarit. Puellam enim, dum uirgo eſſet: Ioui uerò iam nuptam, Adultam: diuortio à Ioue facto, cùm Stymphalum ſe recepiſſet, Viduã appellaſſe. Atq; hæc de uetere Stymphalo ac Iunone prodita memoriæ non ignoro: nam horum nihil hæc habet, de qua nunc agimus, urbs. Sunt autẽ alia, quæ de ea memorari poſſunt, atq; hæc propémodum. In agro Stymphaliorum fons eſt, è quo Adrianus Cæſar aquam Corinthijs intra mœnia deduxit. In oppido ſtagnans hyeme fons, lacum efficit, unde Stymphalus amnis exit: æſtate quidem lacu ſiccato, amnis æquato labitur alueo, ac terram per cuniculum ſubiens, in Argolico ſe demũ agro profert, ibiq; nomine mutato, pro Stymphalo Eraſinus uocatur. Fabulis uulgatũ eſt, Stymphali aliquando aues, quæ humana carne paſcerentur, ab Hercule ſagittis confectas: at Piſander Camirenſis non peremptas eas aues, ſed crepitaculorũ ſonitu è loco pulſas tradidit. Arabiæ quidem deſerta præter cæteras feras, uolucres etiam alunt, Stymphalidas nuncupant, hominibus nihilo mitiores leonibus et pardis: ſiquidem in eos, qui ad earũ aucupia exierint, inuolant, & roſtris corpora uerberantes, ac ænea quidem uel ferrea corporis tegumenta facilè roſtris perfodiunt: at ſi è libro ſe quodam, qui eas captant, factis amiculis uelarint, haud aliter uolucrum roſtra caudicibus deprehenſa tenentur, quàm uiſco auicularũ pinnæ. Gruibus illæ quidem ſunt magnitudine pares, forma ibibus perſimiles, roſtra tamẽ & ualidiora, neq; ut ibes adunca habent. An fuerint uerò aliquando

quando

quando in Arcadia aues eodem nomine, quo ſunt ætate mea in Arabia, nõ eadem tamen forma, id ego perſpectũ non habeo. At ſi ita eſt ſuum Stymphalidum genus, ut accipitrum, aquilarum, & aliarum uolucrum, facilè adducor indigenas eas eſſe Arabiæ aues, quarũ deuolarit aliquando pars in Arcadiam ad Stymphalum, unde nomen acceperint: & ſanè cùm antè alio fortaſſe in Arabia nomine appellerentur, Herculis gloria, & Græcorum nomen, multò quàm Barbarorũ honoratius, obtinuit, ut quæ in Arabiæ deſertis degunt, & ipſæ Stymphalides nominentur. Stymphali Dianæ etiã uetuſta ædes eſt Stymphaliæ cognomento: deæ ſignũ è ligno, rude atq; impolitũ, undiq; tamen inauratum. Sub templi lacunaribus Stymphalides aues poſitæ ſunt, ligneæ'ne illæ, an gypſeæ ſint, à ſolo conſpicientibus non eſt facilè internoſcere. Mihi quidem, quantũ coniectura conſequi potui, è ligno potius, quàm è gypſo factæ uidentur. Sunt ibidem, in poſtica tamen parte, uirginũ ſigna cum auium cruribus è candido lapide. Miraculũ uerò in hoc templo ætate noſtra huiuſmodi eueniſſe narrant. Cùm Stymphaliæ Dianæ ſolenne ſacrũ indiligentius omni ex parte factum eſſet, ac in primis patrij ritus prætermiſſi, lucus repentè ſupra eam cauernam corruit, quam ſubter Stymphalus amnis meat: obſepto igitur oſtio aqua refluens latè omnẽ campum haud minus ſtadiûm CCCC. perpetuo ſtagno occupauit. Fortè ita accidit, ut uenator ceruam fugientẽ perſequẽs, cùm illa ſe in eius paludis cœnum abieciſſet, animi impetu cõcitatus, per aquas natans eam urgere non prius deſierit, quàm idem hiatus & feram & uenatorẽ abſumpſerit: mox & ſtagnantẽ aquã, amni uia patefacta, conſecutã, ac totam paludem uno die ſiccatã tradunt. Sacrum Dianæ apparatius & magnificentius factum.

Poſt Stymphalū, Helea inter Arcadiæ oppida numeratur, Argolici tamen conuentus particeps. Haleum Aphidantis filium conditorem celebrant. Templa illic extant Dianæ Epheſiæ, & Mineruæ Haleæ: Liberi Patris delubrum cum ſimulachro: huic anniuerſarios dies feſtos agitant, in quibus, quo more apud Spartanos ad Orthiæ aram ephebi, fœminæ flagris cæduntur. Dictum eſt, quo loco de Orchomenijs egimus, ſecundùm alueū parui torrentis iter eſſe: inde uerò ad læuam ſtagnantem aquam conſpici. At in Caphyenſium campis eminet agger, ad aquam, quæ ab Orchomeniorum finibus hàc euadit, arcendā, ne ſcilicet alluuionibus Caphyatarum arua obnoxia ſint. Intra aggerē aqua alia iuſto præterlabitur amne, quæ ex interuallo terræ hiatu excepta, erumpit rurſus ad ſcatebras eas, quæ Naſſi uocantur. Vicus, iuxta quem ſe aqua iterū oſtendit, Rheunus dicitur: inde elapſa, fluuium perennis aquæ efficit, qui Tragus uocatur. Oppido nomen impoſitum à Cepheo Halei filio ſatis conſtat: ut Caphyæ tamen appellentur, Arcadicæ linguæ conſuetudo obtinuit. Ac ſe Caphyenſes quidē ex Attica terra oriundos, eiectos uerò ab Aegeo, cùm ad Cepheum ſupplices cōfugiſſent, ab eo ſe dicunt in domicilij partem receptos. Oppidum ſanè modicum eſt in extremis campis ad imos montes, non ualde illos quidem editos. Templa ibi Neptuni & Cnacalyſiæ Dianæ: à monte dea Cnacalo nomen accepit, in quo anniuerſaria ei initia peraguntur. Paulò ſupra oppidum fons eſt, & prope fontem ingens & eximia ſpecie platanus, quā Menelaida nuncupant: Menelaū Troiano bello ſuſcepto, ad comparandas copias huc ueniſſe, & eam ab ipſo platanū ſatam dictitantes. Hoc ſanè tempore, & fontem, & platanū Menelaida appellant. Quòd ſi ex Græcorū monimentis ue-

tuſtiſſi-

tuſtiſſimas arbores adhuc ſuperſtites & uegetas percenſere uelimus, antiquiſſima omniũ uitex eſt quæ apud Samios *ad* Iunonis *extat: ei uetuſtate proxima quercus* Dodonæa: *olea deinde in* Athenarũ *arce, & quæ* Deli *adhuc extat palma.* Nam *tertium uiuacitatis locum lauro ſuæ iure fortaſſe* Syrij *tribuerint.* Præter *has, platanus hæc eſt omnium ueterrima.* Abeſt *à* Caphyis *ſtadium haud longius unum* Condylea *uicus, in quo lucus, & priſcũ fanum* Dianæ Condyleatidis. Immutatum *uerò hoc deæ cognomen ob huiuſmodi cauſam ferũt.* Cùm *pueri aliquot (neq; enim certus traditur numerus) circa templum luderent, funiculo, quem repererant,* Dianæ *ſignum obligato collo per luſum trahentes,* Dianam *ſtrangulari dictitabant.* Eos Caphyenſes *cùm deprehendiſſent, uiolati numinis crimine damnatos, lapidib. obruerunt: quod tamen factum nõ bene eis uertit.* Cõmunis *enim peſtis fœminis inceſſit, ut omnes quæ uterũ ferrent, fœtus per abortum abijcerent: neque antè malum cohiberi potuit, quàm oraculi monitu iuſſi ſunt ſepulturæ pueris honorẽ habere, & illis quotannis inferias mittere, quòd inſontes perempti eſſent.* Obſeruant *itaq; & alia omnia* Caphyenſes *ex oraculo, hac etiã ætate, &* Dianam *(nam & hoc ad* Apollinis *uocem referũt)* Apanchomenen, *quod eſt ac ſi laqueo comprehenſam dicas, appellarunt.* A Caphyis *ſtadia fermè ſeptem aduerſo cliuo profectus, mox in uicũ deſcendens, quem antè* Naſſos *dixi uocari, hinc ſtadia propè* L. *progreſſus, ad amnem* Ladonem *peruenias, quem ubi tranſieris, ad ſyluã* Soronem *accedas, per uicos qui* Argeathæ, Lycuntes, Scotane *nominantur: inde per* Soronem *uia* Pſophidem *ducit.* Hæc, *uti aliæ* Arcadũ *ſyluæ, feras alit, apros, urſos, teſtudines inſigni magnitudine, ex quibus lyræ fieri facilè poſſint, pares*

ijs quæ ex Indica teſtudine fiunt. Nõ longè à Sorone abſunt Pai ueteris uici ruinæ, et ulterius paulò uicus alter, cui Siræ nomen: ſunt autem Siræ agri fines inter Clitorios & Pſophidios. Pſophidis conditorẽ fuiſſe tradunt Arrhonis filiũ Pſophidem, perpetua maiorũ ſuorum ſerie ab Erymantho, Ariſta, Parthaone, Periphete, Nyctimo originem ducentẽ. Non defuerũt tamen qui urbis primordia attribuerint Pſophidi puellæ Xanthi filiæ, cùm Xanthum ipſum Erymanthus genuiſſet Arcadis filius. Verùm hæc Arcadum monimentis de ſuis regibus mandata ſunt. Eſt enim multò ueriſsima diuerſa à ſuperioribus ſententia, Erotis principis in Sicania uiri filiam fuiſſe Pſophidem: patrem cùm oblatũ puellæ uitiũ comperiſſet, & grauidã domo ſua non dignaretur, eam Phegiæ, quæ urbs ante Phegei regnũ Erymanthus dicebatur, apud Lycortã hoſpitem ſuum reliquiſſe: ibi educatos Promachũ & Echephrona, è Sicana puella ſatu Herculis editos, de matris nomine Phegiam Pſophidem nuncupaſſe. Sed arci etiã Zacynthiorũ Pſophis nomen, quòd primus in eam inſulam claſſe trãſmiſit Pſophidius ciuis Zacynthus, Dardani filius, à quo, conditore uidelicet ſuo, urbi nomen inditũ. Abeſt à Siræis Pſophis ſtadia XXX. Præterfluit amnis Aroanius, & modico ab urbe interuallo Erymanthus. Fontes hic habet ſuos in Lampea monte, qui ſacer Panos eſſe dicitur. Venari ſolitũ in Taygeto & Erymantho Lampeæ amatorem Erymanthum ſuis Homerus uerſibus mandauit. Interſecans fluuius hic Arcadiã, relicto ad dexteram Pholoë monte, ad læuam uerò agro quæ Thelpuſſa dicitur, in Alpheũ illabitur. Peruulgatũ eſt etiam, Herculem Euryſthei iuſſa exequentẽ, in Erymantho aprum confeciſſe, inſignem magnitudine & robore. Cumani uerò in Opicis, dentes monſtrant in Apollinis

nis templo ſuſpenſos, quos apri Erymanthij eſſe dicunt, ſed nihil omnino ad fidem faciendā ſatis probabile afferunt. Pſophidijs fuerūt intra urbem templa duo, Veneris Erycinæ cognomento alterum, cuius hac ætate ſolæ extant ruinæ: dedicaſſe creditur Pſophis Erycis filia: neq; id omnino à ueritate abhorret: nam & in Sicilia in ſubiecto Eryci monti agro, Erycinæ Veneris fanū uiſitur, magnæ iam tum ab initio religionis, & eo quod Paphi eſt, nihilo donariorū opulentia inferius. Extāt ætate mea Promachi et Echephronis Pſophidis filiorū heroica ſepulchra, egregio opere exornata. Alcmæon etiam Amphiarai filius Pſophide ſepultus eſt. Eius tumulus neq; magnitudine, neq; ullo ornatus genere inſignis. Creuerunt circa eum cupreſſi couſq;, ut earum proceritate mons etiam is, qui Pſophidi imminet, ſuperetur. Eas non cædunt, quòd Alcmæoni ſacras putant: eaſdemq; Virgines indigenæ appellant. Enimuero Alcmæon occiſa matre Argis fugiens, Pſophidem, quæ tunc Phegia à Phegeo nominabatur, ſe recepit: ibi Phegei filiam Alpheſibœan uxorem duxit, cui inter cætera nuptialia dona, decantatum etiam illud monile dedit. Vbi uerò in Arcadibus domicilium habenti inſaniæ morbus nō deceßit, ad Apollinem Delphos ueniens reſponſum accepit, in eam terram ei migrandum, quæ omnium eſſet recentißima, quamq; mare edidiſſet, poſteaquā ille ſe Eriphyles matris ſanguine polluiſſet: neq; enim eò maternas diras ipſum conſecuturas. Quare nactus terram è qua Achelous in mare erumpit, ex ipſa amnis alluuione extantem, in ea conſedit, ibiq; Callirrhoën, quam Acheloï ipſius filiam incolæ putabant, in matrimonio habuit. Ex ea Acarnana & Amphoterum ſuſcepit. Ab Acarnane gentem, quæ proximam oram tenuit, appellatam exiſtimant,

cùm antè Curetes uocarentur. Extimulãt ſæpe uiros, multò uerò ſæpius fœminas acriores cupiditatum aculei: quare & Callirrhoë monilis, quod Eriphyles fuerat, potiundi uehementi flagrauit cupiditate: Alcmæonem itaq; etiam inuitũ, ut Phegian ueniret, perpulit: ibi ille Phegei filiorum Temeni & Axionis inſidijs circumuentus, perijt: ijdem uerò Phegei filij monile Delphico Apollini dedicarunt. Græcos quidem ad Troianũ bellum profectos dicunt Pſophidij quo tempore ipſi regibus parebãt, & urbs Phegia adhuc dicebatur: non tamen fuiſſe ſe eius expeditionis ſocios, propter ſimultates Argiuorũ ducum cum regibus ſuis ſuſceptas, quòd eorũ bona pars Alcmæonẽ propinquitate attingebãt, & ad Thebas altero bello eum ſecuti fuerãt. Quòd uerò Echinades inſulæ non ſint adhuc cõtinenti terræ annexæ, Aetolorũ opera factum eſt: ſedibus enim ſuis pulſi, agrum colere deſierũt: eo factum, ut Achelous minus iam lutulentus per deſerta fluens, medium inter cõtinentis terræ litus, & eas inſulas fretum, non oblimauerit. Huic rei Mæander argumento eſſe poßit, qui Phrygum & Carum feracißimos agros præterlabens, medium inter Prienen & Miletum mare breui in continentis oræ naturã uertit. Eſt apud Pſophidios ad Erymanthum, Erymanthi templum, cum ſigno ipſius herois. Sunt in eadem æde nobilium amnium è candido marmore ſignã: unius Nili ſimulachrum è nigro lapide. Certa enim ratione traditum eſt, fluminis eius, quòd ſcilicet per Aethiopas ad mare delabitur, nigra ſigna fieri. Quòd uerò Pſophide audiui Aglaum Pſophidium, ſicuti & Crœſum Lydorum regem uitam omni ſuæ ætatis tempore beatam egiſſe, id ego ut credam nõ facile adducor. Nam ut hominũ quis leuioribus multò quàm alius quiſquam qui iiſdem uixerit temporibus incommo-

cõmodis affectus, non difficillimè fortaſſe reperiatur, uti na uis aduerſis tempeſtatibus minus agitata: ſic propemodum neminem unquã crediderim perpetuò moleſtiarũ & calam tatum immunẽ fuiſſe, quandò neq; ulla nauis memorari poſ ſit, quæ ſemper ſecundiſsimis uſa fuerit tempeſtatibus. Nam & Homerus *id ſenſiſſe uidetur, quo loco duo, bonorũ unũ, alterum malorum, dolia apud* Iouem *ſtatuit: id enim ille ex* Delphico Apolline *didicerat, qui ipſum & miſerum ſimul, & beatũ dixerat, & ad utranq; uitæ ſortem genitũ.* Thelpu *ſan à* Pſophide *iter habentibus, ad læuã* Ladonis *uicus eſt, cui* Trophæa *nomen.* Trophæis *adiacet ſaltus, quod* Aphro *diſium uocatur: inciſæ illic in columna peruetuſtæ literæ, fi nes eos eſſe inter* Thelpuſios *et* Pſophidios *indicant.* In Thel *puſiacũ agrum amnis præterlabitur* Arſen: *eum ubi tranſi eris, ad uicum accedas cui* Alunti *nomen: quem uicum* Ae *ſculapij etiam fanum appellant, quòd in uia dei huius tem plum erectũ eſt.* Ab Aeſculapij *diſtat ſtadia fermè* XL. *urbs, cui à* Nympha Thelpuſa *nomen impoſitum tradunt, eam uerò* Ladonis *filiam fuiſſe.* Ladonis *ipſius fontes in agro* Cli *torio ſunt, ſicuti & antè expoſui.* Inde *præter* Leucaſium *ui cum, &* Meſoboa, *perq;* Naſſos, *ad* Orygem, *quem &* Alun *tem uocant, elapſus, ad* Theliadas, *&* Cereris *cognomento* Eleuſiniæ *euadit.* Eſt *hoc templum in* Thelpuſiorũ *finibus. Signa in eo ſunt, ſeptenum haud minus eorum quodlibet, pedũ,* Cereris, Proſerpinæ, Liberi Patris, *è marmore æquè omnia.* Ab Eleuſiniæ Thelpuſan *urbem à læua præterfluit* Ladon. *Eminet illa in præcelſo tumulo, ſed ætate noſtra ma iore ex parte deſerta: quandoquidem forum quod olim fuiſ ſe dicunt in ipſo urbis umbilico, in extremo nunc receſſu eſt.* Aeſculapij *inter* Thelpuſæ *ruinas, & duodecim deorũ delu*

bra extant, quorũ tamen magnam partem ſolo æquauit ue tuſtas. Thelpuſan præterlapſus ad Cereris, quod in Oncio eſt, templum Ladon defluit: Thelpuſij deam Erinnyn nominant: quod ipſum cognomen agnoſcit Antimachus, illud uſurpans eo carmine, quo alteram in Thebanos expeditionem perſecutus eſt:

Delubrum Cereris fama eſt ubi Erinnydos eſſe.

Hanc quidem ædem Apollinis fuiſſe demum fama proditũ: is enim ad Onciũ in Thelpuſio agro aliquando principatũ obtinuit. Dea uerò ipſa Erinnys cognomento appellata eſt ob huiuſmodi cauſam. Neptunum aiunt Cereri, dum illa errans filiam quæreret, eius amore captum, uitium offerre conatum: ſed cùm in equam ſe dea uertiſſet, & ad Oncium gregibus permiſta paſceret, Neptunum non feſellit: nam et ipſe in equum mutatus, eam compreſsit: quod illa primùm iracundè tulit: uerùm poſtea placabilior facta, lauiſſe dicitur in Ladone. Cognomina itaq; attributa, Erinnys, à uerbo, quod furere Arcadibus eſt: Luſia uerò, quòd ſe in flumine abluiſſet. Signa eius templi, os, ſummas manus, & imos pedes, è Pario marmore habent, reliquæ partes ligneæ ſunt. Erinnys ciſtam læua, dextera facem tenet: proceritate pedũ nouem eſſe conijcio: Luſia pedes non amplius quàm ſex eminet. Qui uerò Themidis, non Luſiæ ſignum hoc eſſe dictitant, neutiquam audiendi ſunt. Cererem quidem ipſam Neptuno filiã peperiſſe tradunt, cuius nomen ne ad prophanos ederetur, religione ſanxerunt: equũ præterea, cui nomen Arion fuit, & Hippeum, id eſt, Equutium Neptunũ, ab Arcadibus primùm nuncupatum autumant. Teſtimonia ex Iliade, & Thebaide afferunt. Ex Iliade quidem uerſus eos:

Non etiam ſi à tergo agitans, uel Ariona dium

Adraſti

Adraſti moderetur equum, diuinitus ortum.

Ex Thebaide uerò, ubi de Adraſti fuga agitur,

Cum pullo ornatu, Glaucus quem uexit Arion.

His certè uerſibus innui putant Neptuni *ſatu ortum* Arionem, *etſi* Antimachus *è terra genitum* Arionem *his uerſibus cecinit:*

Adraſtus Talao genitus Cretheide, Graiûm
Primus duxit equos inſigni laude ſuperbos,
Et Cærum pernicem & Ariona Thelpuſſæum,
Quem iuxta Oncei Phœbi nemus edidit ipſa
Terra parens cunctorum oculis mirabile monſtrum.

Quòd ſi equos illos terra edidit, & diuino ſemine ortos, & cærulea iuba fuiſſe conſentaneũ uideri poſsit. Narrantur & *alia quædam ad hunc propè modum.* Herculem *cum* Eleis *bellantem equũ ab* Onco *popoſciſſe, eoq́; inuectum* Eliden *expugnaſſe: ab* Hercule *deinde* Adraſto *conceſſum.* Hoc de Arione *uerſibus mandauit* Antimachus:

Tertium ab Adraſto eſt domitus ductore Pelaſgum.

At Ladon Erinnys *tẽplo relicto, à læua* Aeſculapij Onceatæ *præterlabitur ad dexteram* Aeſculapij *pueri ædem, ubi* Trygonis *nutricis eſt ſepulchrũ.* Aeſculapij *ipſius hanc nutricem fuiſſe memorãt: cùm* Aeſculapium *enim expoſitũ in* Thelpuſio *agro offendiſſet* Autolaus Arcadis *nothus filius, infantem dicitur ſuſtuliſſe.* Hinc *facilè adducor* Aeſculapio *puero ædem dicatam, quod ipſum in explicandis etiam* Epidauriorũ *rebus expoſui.* Influit in Ladonem Tuthoa *amnis prope* Heræenſium *fines, quem locum* Arcades *planitiem nuncupãt.* Quà *uerò* Ladon *ipſe in* Alpheũ *erumpit, cornorum locus ille,* Naſos, *id eſt inſula, nominatur.* Nõ *defuerunt qui* Eniſpen, Stratiam & Rhipen, *quæ loca* Homerus *enu-*

merat, inſulas in Ladone fuiſſe putarent, ab hominibus olim habitatas: quod ego qui credãt magnopere errare arbitror: uix enim pontonibus pares inſulas Ladon habet, qui ut ſit fluuiorum omniũ, qui uel Barbarorum uel Græcorum terras permeant, multò pulcherrimus, non tamen ea eſt magnitudine, ut in eo quales uel in Iſtro, uel in Pado inſulæ exiſtere potuerint. Heræan condidit Neræeus Lycaonis filius ad Alphei amnis dexteram: oppidi pars una in cliuo molliter ſurgẽti, altera ad Alphei ipſius ripas ſita eſt. Curricula prope amnem myrtis & alijs felicibus interſepta arboribus. Ibidem balneæ ſunt: templa præterea Liberi Patris duo, Politen unum, Axiten alterum uocant: ſeorſum ædes, in qua initia Liberi Patris celebrantur. Habet et Pan templum ſuum, quippe qui Arcadibus indigena deus eſt. Fani quidem eius, quod olim Iunoni dicatum fuit, rudera tantùm & columnæ reliquæ ſunt. Athletas uerò omnes, quotcunq; Arcadici nonis fuerunt, gloria uicit Demaratus Neræenſis, qui primus ex armatorum curſu palmam tulit. Ab Heræa ſtadia fermè XV. progreſſus, Ladonem traijcias, atq; inde ſtadijs confectis circiter XX. ad Erymanthum peruenias. Heræa fines, & Eleæ terræ medios, Arcades Erymanthum ipſum prodűt. At Elei Corœbi ſepulchrũ agri ſui terminum dictitãt. Atenim cùm Olympicos ludos olim intermiſſos Iphitus reſtituiſſet, & curſu duntaxat certamina propoſuiſſet, primis ludis Corœbus uicit: hoc inſcriptio tumuli teſtatur, primum ſcilicet uiciſſe, & ſepulchrũ ei in ipſis Elei agri finibus erectum. Eſt & Aliphera ciuitas haud ſanè magna, quòd multitudinis bona pars tunc diſceſſit, quo tempore cõmuni Arcadum conſilio Megalopolis colonia deducta eſt. Huc ab Heræa ſi ueniendum fuerit, Alpheum ubi tranſieris, ſtadijs prope X.

*pè x.confectis,ad montem accedas, unde ſtadiûm penè triginta itinere per cliuum in oppidum aſcendas.*Nomen Alipheræ,*à* Lycaonis *filio* Aliphero *inditum*. Aedes *ibi ſacræ* Aeſculapij *&* Mineruæ,*quam, quòd apud ſe natam & educatam prædicant,præcipuis dignantur honoribus.*Quo *loco et* Lecheatæ *Ioui arã dedicarũt, cognomine ab eo ducto, quòd ibi* Mineruam *pepererit.* Fontẽ *etiã* Tritonidem *nuncupant,ad eum,quæ de* Tritone *amne uulgata ſunt, referentes.* Deæ *ipſius ex ære ſignũ eſt,*Hypatodori *opus,ſpectatu dignum, tum magnitudinis, tum opificij cauſa.*Iam *uerò & nundinas celebrant,cui deo non ſatis conſtat,*Mineruæ *arbitror.*In *ijs nundinis uni ante omnes* Myiagro *rem diuinã faciunt, proq́; hoſtijs heroëm precati,&* Myiagri *nomine implorato,ſecuritatem ſibi fore inter immolandũ ab omni muſcarum proteruitate pro certo habent.* Circa *uiam quæ ab* Heræa Megalopolin *ducit,*Meleneæ *ſunt,quas*Lycaonis *filius*Meleneus *cõdidit:ætate uerò noſtra deſertus uicus aquis ſtagnantibus diluitur.*Supra *Meleneas ſtadia abeſt* xl. Buphagiũ,*ubi fontes habet ſuos* Buphagus *amnis:is in* Alpheũ *influit.* Ad *ipſos* Buphagi *fontes,inter* Heræenſes *et* Megalopolitanos *fines ſunt.*Megalopolis *quidem ipſa nõ ſolùm* Arcadicarum,*ſed* Græcarum *etiam omnium ciuitatũ recentiſſima eſt,ijs tamen exceptis,in quas poſt imperij calamitatẽ ab urbe* Roma *coloni immigrarunt:roboris autem ſui confirmandi gratia,*Megalopolin Arcades *deduxerunt.*Meminerant *enim* Argiuos *iam tum ab initio nullo nõ penè die,ſummo cum libertatis periculo,à* Lacedæmonijs *bello uexari ſolitos.*Eoſdem *aliquot nõ ſanè magnæ æſtimationis oppidis,* Tirynthe,Hyſijs,Orneis,Myccnis,*&* Midea *exciſis,traductaq́; ex illis* Argos *multitudine, ciuitatem inquilinorum*

*numero adeò auxiſſe,ut in poſterum & à Lacedæmonijs minus multò ſibi metuerent,& aduerſus alios finitimos firmiora haberent præſidia.*Hoc igitur cõſilio Arcades è ſuis quiq; *urbibus* Megalopolin cõmigrarũt.*Coloniæ uerò autor* Thebanus Epaminundas *iure optimo uocetur: is enim Arcadas in unum congregauit, & mille* Thebanorum *delectam manum,duce* Pamene, *Arcadibus miſit,qui auxilio eſſent,ſi fortè* Lacedæmonij,*coloniã quo minus deduceretur, impedire eſſent aggreßi.Ab ipſis uerò* Arcadibus *uiri* x.*quorũ ductu & auſpicijs in coloniam iretur, delecti ſunt: è* Tegea Timon & Proxenus,*ex* Mantinea Lycomedes & Poleas,*è* Clitorijs Cleolaus & Amphius, *à* Mænalo Eucampidas *et* Hieronymus, *ex* Parrhaſijs Paſicrates & Theoxenus. *Ciuitates uerò quæ tum nouæ coloniæ ſtudio, tum Lacedæmoniorũ odio,ut patriam ſuam quæq; deſererent,facile ſibi ab Arcadibus perſuaderi paſſæ ſunt,hæ fuere.* E Mænalo Halia,Pallantiũ,Eutaſum,Am[illegible]tiũ,Iaſæa, Aperethes,Eliſſon,Orethaſium,Dipæa,Alycæa. Ab Eutreſijs, Tricoloni,Zethiũ,Chariſia,Ptolederma,Cnauſon,Paroria. Ab Aegienſibus Scirtonium,Malæa,Cromi,Blenina,Leuctron. Ad hos,Parrhaſiorum,Lycoſurenſes,Oriſthocnenſes, Trapezũtij,Proſenſes, Acaceſiũ,Acõtimacaria,Daſea.Ex Cynuræis,*ijs nempe qui in* Arcadia *ſunt,*Gortys,Thiſa, *quæ ad* Lycæũ *eſt,*Lycotæ, & Alíphera.*Iam ex ijs qui cum* Orchomenijs *cenſebantur,* Thiſoa,Methydriũ,Teuthis,*quibus et*Tripolis,*Callia nomine,acceßit,necnon* Dipœna,*et* Nonacris.*Ex ijs omnibus populis,cæteri cõmuni Arcadũ decreto,nihil omnino recuſantes paruerũt,ſummaq; alacritate nomina in coloniã dedere.* Lycoſurenſes *duntaxat &* Trapezuntij *ab Arcadibus deſciuere, quippe qui antiqua patriæ ſua ut relinquerent mœnia,*

nia, adduci non poterant: horum pars magna inuiti Megalopolin conuenerunt. At Trapezuntij, in quos primo iræ impetu Arcades non ſæuierant, è tota prorſus Peloponneſo abierunt: eos, cùm nauibus in Pontum incolumes applicuiſſent, qui Trapezuntem iam metropolim in Euxini ora condebant, tanquam gentiles ſuos recepere. Lycoſurenſes uerò, etſi neque ipſi in officio permanſerant, quòd tamen in Cereris & Proſerpinæ confugerant, uiolare Arcades ueriti ſunt. Aliarum certè omnium quas percenſuimus urbium, partim hodie deſertæ ſunt, partim in uicorum formam redactas Megalopolitani tenent, Gortynam uidelicet, Dipœnam, Thiſſoam: ad Orchomenum, Methydrion, Teuthidem, Callias, Eliſſuntem. Vnum Pallantium deos habuit mitiores. Sed et Alipherenſes in hunc uſq; diem urbis ſuæ uetus nomen retinuerunt. Deducta autem Megalopolis eſt, eodem anno, paucis pòſt menſibus, quàm Lacedæmonij Leuctricam cladem acceperunt, Athenis ſummum magiſtratum gerente Phraſiclide, Olympiadis centeſimæ ſecundæ anno altero, qua Thurius Damon è ſtadio palmam tulit. Ac tunc quidem Arcades Thebanorum ſocietate freti, nihil omnino ſibi à Lacedæmonijs metuebant. At poſteaquàm Thebani à Phocenſibus, qui & Bœotorum uicinitate nitebantur, & ſpoliato Delphici Apollinis templo pecunia abundabant, armis laceßiti, in id bellum, quod Sacrum fuit appellatum, incubuere Lacedæmonij, & alios Arcadas, ob ea quæ in Thebanos profeßi fuerant ſtudia, & in primis Megalopolitas, ſuis deturbare ſedibus adorti ſunt: uerùm cùm ciues acriter obſiſterent, et à finitimis alacritate ſumma adiuuarentur, nihil utrinq; memoratu dignum geri contigit. Philippum quidem Amyntæ filium, & Macedo-

num imperium, Arcadum in Lacedæmonios odium ad ſummas opes prouexit: neq; enim aut ad Chæroneam, aut in eo prælio quod in Theſſalia cõmiſſum eſt, Græcis Arcades præſtò fuere. Nõ longo uerò pòſt tempore Megalopolitanis Ariſtodemus tyrannus exortus eſt, Phigalenſis ille quidem patria, Artylæ filius, quem tamen Tritæus, homo non tenuis in ſua ciuitate cenſus, ſibi adoptauerat. Huic nihil dominatus obfuit quo minus Frugi cognomento diceretur. Ariſtodemo dominante Lacedæmoniorum exercitus duce Acrotato Cleomenis filiorum natu maximo, cuius gentilitatem omnem, & Spartanorum omniũ regum iampridem percenſuimus, in Megalopolitanorum fines inuaſit: ibi acerrimo prælio cõmiſſo, multis utrinq; cæſis, ſuperiores tamen Megalopolitani ex eo certamine diſceſſere. In acie et ipſe Acrotatus cecidit, quare ad eum paterni imperij ſucceſſio nõ peruenit. Poſt Ariſtodemũ duabus ferme ætatibus ad tyrannidem aggreſſus eſt Lydiades obſcuro genere, ſed apprimè generoſæ indolis uir, & ut res ipſa poſtea indicauit, etiam publicæ libertatis amator. Cùm enim admodũ adoleſcens imperare cœpiſſet, ubi ad ætatem prudentia acceſſit, eo ipſo tempore quo opes iam ſuas in tuto collocarat, ultro ſe tyrannide abdicauit: cumq; poſtea ſe ad Achaicum concilium Megalopolitani aggregaſſent, & ſuis eſt ciuibus, & Achæis uniuerſis tantopere probatus, ut unus cum Arato uitæ dignitate cõparari poſſe uideretur. Iam tertiò Lacedæmonij magno totius populi cõcurſu, Agide Eudamidæ filio ex altera familia regia imperãte, maiore multò copiarũ apparatu, atq; inſtructiore, quàm is fuit exercitus cui Acrotatus præfuit, Megalopolin adorti ſunt, ac in pugnã quidem prodeuntes oppidanos primo congreſſu fuderũt: deinde admota ad muros præ

ualida machina, turrim ex ea mœniũ parte tam uehemẽter cõcuſſerunt, ut nihil iam dubitarent ſe illam poſtero die de iecturos. Sed enim ita accidit ut Boreas nõ ſemel imminentẽ Græcis perniciem auerteret: idem enim qui multas è Perſarum claſſe naues ad Sepiadem promontoriũ ſcopulis illiſit, quo minus Megalopolis expugnaretur, diſiecta uehementi pertinacis uenti impetu hoſtium machina, perfecit. Hic uerò ipſe Agis, qui Boreã in oppugnatione Megalopolis aduerſarium habuit, is nempe eſt, cui Aratus Sicyoniorũ dux in Achaia Pellenen ademit, quiq́; poſtea ad Mantinean dimi cans cecidit. Poſt hæc non ſanè longo interiecto tempore, Cleomenes Leonidæ filius Megalopolin fœderis religione neglecta oppreßit. Oppidanorũ partim armati pro patria mortem oppetierunt, inter quos Lydiades fortiter dimicans memoria hominum dignum uitæ exitum reperit. Partes populi propè duas tam militaris ætatis, quàm pueros & mulieres, Philopœmen fugiens ſecum in Meſſeniam traxit: reliquos Cleomenes urbe exciſa trucidauit. Sed quonam modo ſuos fines, & urbis aream receperint Megalopolitæ, quæq́; reduces geſſerint, id à nobis in explicãdis Philopœmenis re bus geſtis exponetur. Eius certè Megalopolitarũ cladis culpa Lacedæmoniorum ciuitas prorſus uacauit: unus iniuriæ autor fuit Cleomenes, cùm reipublicæ formã à regno ad tyrannidem traduxiſſet. Fines quidem inter Megalopolitas & Heræenſes, uti antè dictũ eſt, ad Buphagi amnis fontes ſunt. Nomen amni ab heroë Buphago, Iapeti & Thornacis filio, inditũ tradunt. Thornacis ipſius in Laconica etiã terra nomen celebratur. Sed Buphagum Dianæ ſagittis in Pholoë monte, impium in deam facinus molientem, confixũ memorant. A fluuij fontibus diſcedentes uicus excipit Maratha:

dehinc pagus ætate noſtra, olim oppidum Gortys. Eſt illic Aeſculapij ex Pentelico lapide delubrũ, & ſigna impuberis Dei, & Hygeæ, Scopæ opus. Tradũt populares, ab Alexandro Philippi filio loricã & haſtam in Aeſculapij dedicatã. Mea certè etiamnũ ætate, lorica, & haſtæ cuſpis ibi cernuntur. Gortynã fluuius præterlabitur, quẽ circa ſuos fontes Luſium appellãt, quòd in eo Iouem recens natum lotũ credunt: quà uerò longius à fontibus diſcedit, Gortynius dicitur. Hic unus omniũ aqua fluit multò frigidiſsima. Iſtrũ enim, Rhenum, Hypanim, & Boryſthenem, quorum aquæ hyeme congelaſcũt, glaciales rectius, et brumales, quàm frigidos appellare poſsimus: meant ſiquidẽ illi per terras quouis ferè anni tempore multa niue obductas, & prægelido aëre undiq; circunfuſo rigentes. Nam & eos amnes, quotcunq; ij numerari poſsint, qui tẽperatas regiones præterfluentes, æſtate omni uel bibentiũ uel lauantium æſtum leuent, hyeme uerò multò ſint inclementiſsimi, illos neutiquã frigidam aquam ſuppeditare hominum uſibus dixerim. Sed maximè iucundo aquarum frigore ſunt Cydnus, qui Tarſenſium fines præterlabitur: Melas, qui prope Sidam Pamphylorũ decurrit: tum uerò Haleſi ad Colophonem frigidam aquã qui elegos fecerunt Poëtæ celebrãt: ſed hos omnes æſtate præſertim uincit Gortynius. Fontes habet ad Thiſoan proximo Methydrienſibus loco, Rhæteas uocant, Alphei & Gortynij confluentẽ. Thiſoa regiuncula eſt, cui finitimus pagus Teuthis: oppidũ olim fuit, ac Troiano quidem bello ducem hinc miſſum narrant, cui nomen Teuthis, Ornytum tamen alij appellant. Inter hunc, dum Græci Aulide ob aduerſas tempeſtates interclüſi detinerentur, & Agamemnonẽ ſimultates fuere: quare cùm cohortẽ ſuam Teuthis domũ reportaturus eſſet, Palla-

dem

dem aiunt, aſſimulantē Melanen Opis filiū, illum retrahere conatam: ſed is, quòd erat in tumore præ ira animus, haſta dicitur deæ femur percuſſiſſe: ubi uerò domū redijt, deam ſe ei oſtendiſſe nudantem ſauciū femur, atq; ab eo primùm tempore Teuthidem lethali tabis morbo correptum: in ea uerò una parte Arcadiæ nullos planè fructus è terra editos. Interiecto dehinc tempore è Dodona oraculum redditum, ut deam placarent: faciundum itaq; oppidani ſignum curarūt, ſaucio femore, quod ipſe etiam uidi purpurea faſcia uulnus obligante. Sunt Teuthide cùm alia, tum Veneris & Dianæ fana. Atq; hæc quidem illic. Ad eam uerò uiam, quà Gortyne Megalopolin iter, ſepulchrum eorum uiſitur qui contra Cleomenen pugnantes occubuerūt: appellant monimentum illud Megalopolitæ Paræbaſium, uiolatum nempe fœdus à Cleomene eo nomine teſtificantes. Adiacet Paræbaſio campus ſtadiûm fermè LX. Berenthes urbis ruinæ ad uiæ dexterā ſe oſtendunt, præterfluente Berentheate amne, qui ſe hinc nō longius quàm ſtadijs V. in Alpheū demiſit. Trans Alpheum ager eſt Trapezuntius, in quo Trapezuntis urbis ruinæ. Inde cùm ad Alpheum deſcenderis, ad læuam uideas nō longè ab ipſo flumine altè ſubſidentē uallem, cui Bathos nomē: illic tertio quoq; anno initia Magnarū dearum peragunt. Fons ibidem eſt, Olympias appellatur, è quo alternis annis aquæ manant. Proximè ignis erumpit. Vulgatū inter Arcades eſt, Gigantes hoc in loco, non autē ad Thraciæ Pallenen præliatos. Rem itaq; diuinā fulguribus, procellis, & tonitribus faciunt. Gigantū quidem Homerus nullā omnino in Iliade mentionē fecit: in Odyſſea memorat Læſtrygonas Gigantib. perſimiles homines Vlyſſis claſſem adortos. Phæacum etiam regem dicentem fecit, Phæacas deorum propin-

quos eſſe, ſicuti Cyclopas,& Gigantum progeniem: quibus in locis haud obſcurè oſtendit, mortales fuiſſe, non autem deorum ſatu ortos Gigantes: quod ipſum apertius illis uerſibus docet:

Imperio indomitos qui rexerat antè Gigantes,
At populo immani amiſſo confectus & ipſe eſt.

λαὸν enim apud Homerum multi interpretantur hominum multitudinem eſſe. Dracones uerò pro pedibus Gigantes habuiſſe, tum alijs rationibus facilè refellitur, tum ex hoc maximè abſurdum oſtenditur. Orontem Syriæ fluuium, ad mare non per campos ubiq;, ſed per ualde decliuia & prærupta citato curſu deſcendentem, Romanorum imperator Antiocheam contendens, claſſi peruium reddere conatus eſt. Magno itaq; labore et impenſa foſſa deducta, in eam flumē auertit. Vetere uerò alueo exiccato urna fictilis reperta eſt cubitorum XI. & in ea cadauer nihilo breuius, humana ſpecie ex omni parte corporis: hunc Orontem fuiſſe ex Indorum gente, Clarij Apollinis oraculum Syris cōſulentibus reſponſum fuit. Quòd ſi uda initio terra, & humore grauida, Sole concalefacta, primos edidit homines, ecquænā mundi pars, terra India humidior? Vel quæ omnino maiores gignere homines debuit, quàm quæ his etiā temporibus uaſtiſſimas & miranda forma belluas alit? Ab eo loco, qui Bathus dicitur, ſtadia fermè x. diſtat Baſilis: eam urbem condidit Cypſelus ille, qui Creſphonti Ariſtomachi filiam nuptum dedit. Aetate noſtra Baſilidis ruinæ ſolæ extant, & inter eas Eleuſiniæ Cereris templum. Hinc progreſſus, Alpheum ubi iterum tranſieris, Thocniam peruenies, cui è Thocno Lycaonis filio nomē. ætate noſtra prorſus deſerta eſt. Et urbem quidem eam in collis uertice muniſſe dicitur Thocnus, collem Ami-

nio

nio amne præterfluente: is in Eliſſontē illabitur, in Alpheū Eliſſon. Ortus Eliſſon habet ſuos è pago eiuſdē nominis: inde Dipœenſiū primùm, Lycæatem deinde agrum præterlapſus, poſtremò ſtadiûm propè XXX. interuallo, per Megalopolitarū urbem in Alpheum decurrit. Proximè ad urbis mœnia templū eſt Neptuni Speculatoris, Epoptæ appellāt: ſimulachri ſolum caput relictum eſt. Vrbem ipſam cùm diuidat amnis Eliſſon, nō ſecus quàm Cnidon & Mitylenen Euripi interſecāt, in dextera parte, quà fluminis ripæ eminēt, ad Septentriones forum expoſitum eſt, lapidea circunſeptū maceria. Templum illic Iouis Lycæi, quò nulla ducit ſemita. Quænam ſunt intus, in conſpectu ſunt omnia: altaria Dei duo, menſæ duæ, totidem menſis pares aquilæ: Panos lapideum ſignum, cui Sinoës cognomentum, à Sinoë Nympha, quæ unà cum cæteris Nymphis, & ſeorſum ab illis Pana creditur aluiſſe. Ante ſacrā aream, Apollinis eſt ex ære ſimulachrum ſpectatu dignū, pedum XII. magnitudine: id à Phigalenſibus ſocijs ex collata pecunia, ad Megalopolin exornandam, huc comportatū tradunt. Locus ubi ſignū dedicatum eſt, iam tum ab initio à Phigalenſibus Baſſæ nominatæ. Quam uerò ob cauſam Epicurij cognomen è Phigalenſium finibus demum ſit conſecutū, cùm de rebus eius ciuitatis agemus, ibi exponetur. Ad Apollinis dexteram ſignum eſt non utiq; magnū, Deûm matris. Templi uerò præter columnas iam aliud nihil reliquū. Pro Magnæ matris æde nullum omnino ſtat amplius ſignū: extant ſcamilli, qui ſtatuas olim ſuſtinuere: eorum unius inſcriptio teſtatur elegis uerſibus, fuiſſe effigiem illam Diophanis Diæi filij, qui primus cunctam Peloponneſum cum Achaico concilio cōiunxit. Porticus uerò Philippea nominatur, non quòd eam extruxerit Philippus

Amyntæ filius, ſed quòd Megalopolitæ gratiã regis captan tes, ſub eius nomine opus illud dedicarũt. Cõtingit eam porticum Mercurij Acaceſij templũ, cuius reliqua iam pars nul la, præter lapideam teſtudinẽ. Philippeam porticũ excipit porticus altera, magnitudine illi neutiquã par: in ea Megalopolitæ cellas prætorias cõtinenter ſex erexere: in earũ una eſt Epheſiæ Dianæ ſignum, in altera Pan ex ære cognomento Scolitas, cubitali magnitudine. Transtulerunt huc eum è tumulo, qui intra muros eſt, eodem nomine nuncupa tus, in quo fons, unde aqua in Eliſſontẽ effluit. A tergo cellarum ædes Fortunæ ſita eſt cum ſigno marmoreo pedum V. nihilo breuiore. Iam uerò porticus quã Myropolin, hoc eſt, Vnguentariã, nuncupant, fori pars eſt: ædificarũt uerò eam de manubijs Lacedæmoniorũ, qui duce Acrotato Cleomenis filio ab Ariſtodemo Megalopolitarũ tyranno fuſi ſunt. In eodẽ foro à tergo ſepti eius, quod eſt Ioui Lycæo dicatũ, pilæ inſiſtit Polybius Lycortæ filius cum inſcriptione, quæ elegis indicat, uagatũ illum eſſe per terras & maria omnia: amicum & ſocium Romanorũ fuiſſe, quos etiã iratos Græcis placarit. Scripſit Polybius hic & alias res geſtas P.R. & bella cum Carthaginienſibus ſuſcepta: quæ fuerit illorũ cau ſa, & quàm ſpiſſe, & uix multis defuncti periculis, ciuis cuiuſdam ſui uirtute, quem Scipionem Africanũ cognomento appellarunt, exciſa Carthagine bellum Romani cõfecerint. Et ſanè quæ Polybij monitu geßit Romanus Imp. omnia be ne et feliciter ei eueniſſe: in quibus uerò minus ſe eius uiri di cto audientẽ præbuit, in ijs offendiſſe memoriæ proditũ eſt. Ciuitates planè omnes, quæ ſe Achæis contribuiſſent, Polybium nactæ ſunt rerum ſuarum publicarũ autorem, legum etiam latorem. Ad læuam Polybij ſtatuæ curia eſt. Fori porticum

ticum Ariſtandriam nominãt: eam enim ab Ariſtandro ciue ſuo exædificatã tradunt.Proximè eam porticum,contra Solis ferè ortum,templũ eſt Iouis cognomento Seruatoris, columnis crcunquaq; ſuffultum & exornatũ. Ioui in ſolio ſedenti à dextera parte adſiſtit Megalopolis, à læua Dianæ Soſpitæ ſimulachrũ, quod è Pentelico lapide Cephiſodotus & Xenophon Athenienſes elaborarunt.Extremæ porticus latus alterum,quod ad occaſum porrigitur, Magnarũ dearum circunſeptã aream continet.Sunt uerò Magnæ deæ, ſicuti in Meſſeniorũ rebus expoſui, Ceres & Proſerpina: ſed Proſerpinã Soteran,id eſt, Soſpitã uocãt Arcades.Pro areæ aditu ſigna erecta ſpectantur, quà Diana,quà Aeſculapius, & Salus,Deæ ipſæ magnæ. Ceres è marmore tota eſt: Soſpita,quà ueſte uelatur,è ligno. Singularũ magnitudo quindecim fermè pedũ.Præferũt puellæ duæ,talaribus amictæ tunicis, calathos utraq; capite floribus refertos: Damophontis eas aiunt fuiſſe filias. Sed qui ad cœlites ſigna illa referunt, Mineruam & Dianã flores in Proſerpinæ comitatu legentes, eſſe putant. Ante Cereris pedes Hercules collocatus eſt magnitudine cubitali.Hũc Herculẽ unũ de ijs fuiſſe,qui ſunt Idæi Dactyli nuncupati, uerſibus mandauit Onomacritus. Horæ præterea duæ ibidẽ affabrè efficta, & Pan fiſtula,cithara Apollo canẽs. Indicat inſcriptio eſſe eos è primoribus dijs.In menſa Nymphæ eminẽt: Nais inter eas paruulũ Iouẽ gremio ferens: Anthracia ex Arcadicis Nymphis una facem præfert: Agnò manu altera hydriã, phialam altera: Archiroë & Myrtœſſa,& ipſæ hydrias effluente aqua præferũt. Intra circunſeptũ eum ambitũ cella eſt Iouis amicitiarũ præſidis,Philiũ appellãt: ſimulachrũ Libero Patri ornatu perſimile fecit Argiuus Polycletus,nam et ei cothurni pro calcea

Lamia

mentis ſunt, & altera poculũ, thyrſum altera tenent. Thyrſo aquila inſiſtit, quod unũ cum iis, quæ Libero Patri *attribuuntur, nõ ſatis quadrat. A poſtico templi lucus eſt non utiq; magnus, maceria circunſeptus: intra eum nullus hominibus ingreſſus patet. Ante eum lucũ poſita ſunt* Cereris & Proſerpinæ *nõ maiora pedum trium ſigna. In ſepto interiore, Magnarum dearum, &* Veneris *ædes eſt. In ueſtibulo, priſci operis ligneæ effigies,* Iuno, Apollo, Muſæ. *E* Trapezunte *huc deportatas ferunt. In ipſa æde ſimulachra,* Mercuriũ *è ligno, ac* Venerem, *& ipſa priſci operis,* Damophon *fecit.* Veneris *manus, os, & imi pedes, è lapide ſunt.* Cognomen *deæ* Machinatrix, *ac meritò quidem, inditũ, quòd* Veneris *cauſa homines quoduis artium & fraudum genus, tam in factis quàm in dictis excogitarũt. Virorum in cella erectæ ſtatuæ ſunt,* Callignoti, Mentis, Soſigenis, & Poli, *qui primi* Megalopolitanis *initia* Magnarũ dearũ *ad exemplar* Eleuſiniorum *ſacrorũ tradidiſſe dicuntur. Intra ambitũ hæc poſita ſunt aliorum deorum ſigna, quadrangula forma:* Mercurius *cognomento* Dux, Agetorẽ *nuncupant:* Minerua, Neptunus, Sol *præterea cognomine* Seruator, *& cum his* Hercules. *Templum inſigni ſanè magnitudine erexere, in quo* Dearum *magnarum initia peragunt. Ad eius templi dexteram fanum eſt* Cereris & Proſerpinæ: *ſigna marmorea ſunt pedum octo magnitudine: baſin undiq; incingũt tæniæ. Huc fœminis quouis tempore aditus patet, uiris quotannis duntaxat ſemel. Continenter Solem occidentẽ uerſus foro gymnaſium adhæret. A tergo uerò porticus eius, quã* Philippi *uocant, tumuli duo, non ualde illi quidem editi, conſurgunt: in altero* Mineruæ Poliadis *rudera,* Iunonis *in altero eſt* Teleæ, *id eſt,* Adultæ *ædes, cuius nihil præter ruinas reliquum eſt. In*

eſt. In hoc eodē colle fons eſt Bathillus, & ipſe aquas ad Eliſſontis auctus conferens. Hæc ſunt illic, quorum ſit ratio aliqua habenda. Iam uerò urbis pars ea, quæ in ulteriore amnis ripa, ad meridiem conuerſa eſt, theatrū habet ad memoriam inſigne, & eorū omniū quæ in Græcia ſunt, maximū, in quo aquæ perennis fons. Nō longè à theatro curiæ fundamenta reliqua ſunt: ea curia infinitæ propè Arcadū multitudini fuerat deſtinata. Nomen ei à conditore Therſilia. Proxima domus, ætate mea priuati hominis prædiū, Alexandro olim Philippi filio publicè exædificata. Ante eam domū ſitū eſt ſignū Ammonis, eadē qua Hermæ, quadrati figura: arietis cornua capite præfert. Fani uerò eius quod Muſis, Apollini & Mercurio cōmune dicarūt, ſola ſuperſunt fundamenta, neq; ea multis in locis. De Muſis una reliqua eſt. Apollinis quidē effigies eodem eſt, quo quadrati Hermæ, opificio elaborata. Veneris etiam ædes aliud nihil eſt, quàm ruinoſæ reliquiæ: antica duntaxat templi pars manet, & in ea dei ſimulachra tria: unū Cœleſtem Venerem, alterum popularē, tertium ſine proprio colunt nomine. Non longè hinc abeſt Martis ara, erectam tradunt iam tum ab initio. Supra Veneris, ſtadium theatro cōiungitur. Fons illic, quem Libero Patri ſacrū cenſent. In extremo ſtadij fine Liberi ædes, quā tactam de cœlo fuiſſe duabus antè ætatibus memorāt: nō multa ſanè eius ueſtigia nūc inter ruinas apparent. Herculis uerò & Mercurij cōmune ante ſtadium, templum nullum iam extat, ſola ara reliqua eſt. In hac eadem urbis parte collis ad orientem Solem expoſitus conſurgit, in eo Dianæ eſt Agroteræ, id eſt, Agreſtis, ſiue Venatricis ædes, ab Ariſtodemo ipſa etiam dedicata. Ad Agroteræ dexteram ſacra eſt area ubi Aeſculapij templum: ſigna in eo dei ipſius, & Bonæ ualetu-

dinis. P*auxillum deſcendentibus dij ſe oſtendunt è quadratit lapidibus*, Ergatæ,*id eſt,operarij,* cognomento.Minerua *inter eos* Ergane, *&* Agyeus *(quaſi* Compitalitium *dicas)*Apollo.Mercurio, Herculi,*&* Lucinæ *ſua ſunt ex* Homeri *uerſibus attributa munera* . Mercurius *enim à* Ioue *mandata perfert,idemq́; animos eorum, qui è uita exceſſerunt,ad inferos deducit* : Hercules *multis & grauibus ærumnis eſt exercitus:*Lucina,*uti* Iliados *carmina teſtantur,mulierum partus leuat.*Eſt *ad imum collem aliud pueri* Aeſculapij *templum, cuius recto ſtatu ſignum nihilo eſt cubitali maius* . Apollinis *ſedentis in ſolio forma eſt,magnitudine pedum ſex, ac nihilo omnino breuiore* . Eo *ipſo in loco oſſa ſpectantur maiora multò, quàm ut humana exiſtimari poſſint* . Eſſe *uerò ea dictitant eorum* Gigantum *unius, quos* Heræam *in auxiliū* Hoplodamus *aduocauit, qua de re ſuus erit in ſequenti hiſtoria ſermo*. Huic *templo fons proximus, ex quo manantem aquam excipit* Heliſſon . Megalopolis *quidem ipſa,magna alacritate & conſpiratione* Arcadum, *omnia ſibi ad ſpem optimam de noua urbe proponentium condita, ueteribus iam omnibus ornamentis ac priſtinis opibus amiſsis,magna iam ex parte inter ruinas & rudera iacet* . Quæ *res nullam mibi omnino admiratione affert,cùm ſciam noui ſemper aliquid fata moliri, & arbitratu ſuo* Fortunā *æquè ualida atq; imbecilla,neq; minus orientia, quàm iam occidētia,impotēti quadā neceſsitatis ui agere ac ferre.* Nam *et* Mycenæ,*quæ urbs* Troicis *temporibus*Græciæ *cunctæ imperabat,& regia* Aſſyriorum Ninus,*funditus deletæ ſunt.*In Bœotia *uerò* Thebæ, *quæ ſibi olim* Græciæ *principatum uindicabant,ad arcem iam unam, & non ita multos incolas redactæ,uetus nomen uixdū ſeruant* . Iam *uerò quæ*
cunctas

cunctas urbes opum magnitudine antecellebant, Aegyptiæ Thebæ,& Minyarũ Orchomenus, ne permediocres quidẽ nũc priuati hominis fortunas adæquãt. Delos cõmune olim Græcorũ conciliabulum,tantopere iam deſerta eſt,ut præſidio templi amoto, quod Athenienſes mittunt, hominibus, ſi Delios tantùm numeres,prorſus orbata ſit. Babylon omnium, quas unquam Sol aſpexit, urbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet: quod ipſum de Tirynthe Argolica urbe euenit.Hæc inquam ad nihilum Fortuna redegit.At ea quæ ab Alexandro in Aegypto,& ad Orontem amnem à Seleuco nuper, atqueadeo heri aut nudiuſtertius cõditæ fuerũt,eò felicitatis et magnitudinis progreſſæ ſunt, ut eas in complexùm prope ſuum Fortuna recepiſſe uideatur. Sedenim in urbiũ uel ſecũdis uel aduerſis caſibus,maius quoddam & mirabilius ſpecimen ætate noſtra Fortuna dedit.Chryſe enim inſula fuit, in quam è Lemno modicus erat nauigationis curſus:ibi olim Philoctetes à ſerpentis ictu grauiter dicitur laboraſſe. Eam inſulam æſtus alluuies ad ima maris depreſſam aboleuit.Alia uerò, cui nunc Hiera nomẽ, tunc emerſit,cùm antè nulla omnino fuiſſet eo in loco inſula. Caducæ nimirum & fluxæ res humanæ ſunt, neque eſt quicquã ſtabile perpetuò & firmum. Diſtat à Megalopoli Meſſeniã uerſus ſtadia haud amplius VII. ad læuam uiæ militaris dearum fanum,quas,& item ſacr[illegible]s agrũ, Manias uocant:eſt, quantũ coniectura aſſequor,Furiarum appellatio.Hoc in loco ob matris cædem inſaniſſe Oreſtem tradunt.Non longè ab eo fano terræ agger ſurgit nõ utiq; magnus,è lapide exciſum digitum inſigne prætendens,unde & illi tumulo Digiti monimentum nomen eſt.Ibi furentem Oreſtem tradunt alterius manus digitum alterum abroſiſſe.

Propè eſt alter tumulus Ace nomine, quòd ad eum inſaniæ medelam Oreſtes nactus fuerit: et illic eſt alterum Furiarum templum. Has deas Oreſti, cumprimum eſt mente captus, ni gras obuias factas memorãt: eaſdem cùm digitum adedißet, albas apparuiſſe, & earum aſpectu ſtatim illum ad ſe rediſſe: idcirco ijs, quarum effugit iram, inferias miſiſſe, poſterioribus uerò rem diuinam feciſſe dicitur. Ac Candidis quidem deabus, & Gratijs pariter hac etiamnum ætate incolæ ſacra faciunt. Proximũ Ace eſt templum aliud, Tonſtrinã appellant, quòd huc ingreſſus comam Oreſtes totonderit. E Peloponneſijs qui priſcas res memoriæ prodũt, Oreſti hæc in Arcadia accidiſſe affirmãt, priuſquã de eius facto in Areopago iudicium fieret. Accuſatorem quidem non fuiſſe Tyndareũ, quòd è uita iam exceßiſſet, ſed à Perilao Clytemneſtræ patruele de matris cæde accuſatũ: fuit uerò Perilaus Icarij filius, cùm filias etiã poſt eum Icarius genuiſſet. A Mantineabus ad Alpheũ uia XI. fermè ſtadiûm ducit, qua parte Gatheatas amnis, aſſumpto prius Cranione, in Alpheũ influit. Et huius quidẽ fontes in Aepytide terra ſunt, infra Cereatæ Apollinis templũ. Gatheatæ uerò in uico Gatheis agri Cromitij, ſtadijs fermè XL. ſupra Alpheum, & ibi Cromonis urbis iam propè abolita ueſtigia, unde ad Nymphada uicũ ſtadiûm circiter XX. interuallũ. Eſt Nymphas ualde irrigua, et arborib. cõdenſa. Interſunt ab ea ad Hermæũ, quod eſt Mercurio ſacrũ, ſtadia propè XX. quo in loco terminus eſt inter Meſſenios & Megalopolitanos, Mercurius è pila eminens. Atq; hæc quidem uia Meſſenen, altera Carnaſiũ, quod Meſſeniorum oppidum eſt, ducit. Ea progreſſos Alpheus excipiet, eo potißimum loco, quo aquis cõmunicatis Mallus & Syrus ei immiſcentur. Inde Mallunte ad dexteram labente, ſe-

te, ſecundum læuam eius ripam, ubi fluuium traieceris, per accliuiorum ſui extrema parte tramitem, ad uicum, quem Phædrian nuncupant, peruenias. Abeſt à Phædria ſtad. XV *prope Dominæ ædem, uicus Mercurio ſacer quod Hermæũ dicitur: ſunt hi etiã inter Meſſenios & Megalopolitanos termini: & eodem in loco non magna utiq; ſigna Dominæ ipſius, & Cereris, Mercurij etiam, Herculis præterea: quin et rude Herculis è ligno ſimulachrum, quod fabricatus eſt Dædalus, fuiſſe olim in hac finium parte erectum conijcio. A Megalopoli Lacedæmonen uia ſecundum Alpheum ducit ſtadiûm ferè* XXX. *ad Thiuntẽ amnem, & hic cum Alpheo ſe coniungit. Fluente ad læuam Thiunte, ſtadia* XL. *ubi confeceris, ad Phalæſias accedas. Abſunt Phalæſiæ ſtadia* XX. *à Mercurij templo, quod ad Beleminã eſt. Narrant Arcades Beleminã olim ad ſuos fines pertinentẽ, à Lacedæmonijs abſciſſam: ſedenim nõ ſatis rationi conſentanea dicere mihi uidentur: neq; enim fuiſſet hac in parte Arcadũ cauſa à Thebanis neglecta, ſi iure uindicari cum agrũ poſſe arbitrati eßẽt. Megalopoli ad caſtella aliquot, quæ intra Arcadiæ fines ſunt, ac primùm quidẽ ad Methydriũ uia eſt ſtad.* C. *et* LXX. *Non longè ſtad.* XIII. *ad Scian, ubi templi eius quod Sciaditidis Dianæ fuit, reliquiæ. Condidiſſe dicitur Ariſtodemus, dum in Arcadibus dominaretur. Abhinc* X. *fermè ſtadijs Chariſiorum: urbs ea quondam fuit, ueſtigia nunc oſtenduntur, & ea quidem non ita multa. Inde ad Tricolonos totidem ſtadiûm uia eſt: fuerunt olim & ipſi Tricoloni urbs. Ad hæc uſq; tempora manſit in colle Neptuni templum, cum quadrato ſigno. Lucus templũ ambit multis opacus arboribus. Eam urbem Lycaonis filij condiderunt. Zœtian uerò à Tricolonis* XIII. *plus minus ſtadijs diſtantem, non recto*

ſanè itinere, ſed ad læuã diuertentibus, Zœteum Tricoloni filium eò coloniã deduxiſſe tradunt. At Paroreus Tricoloni & ipſe minor natu filius, Parorian excitauit, à Zœtia nõ longius ſtadia x. Deſerta ætate mea utraq; eſt. Extant hac ætate Zœtiæ, Cereris & Dianæ delubra. Alia uerò urbium ruinoſa uiſuntur monimenta. Thyræi à Paroria interuallo ſtad. x v. Hypſuntis in monte, ſupra planitiem. monti idem quod oppido nomen. Media inter Thyræũ & Hypſuntẽ regio tota montana, tota feris referta. Fuiſſe Lycaonis urbes Thyræum & Hypſuntem, ſuperiùs à nobis eſt indicatum. Tricolonis ad dexteram uia primùm accliuis eſt ad fontem, cui Cruni, quaſi ductus aquæ dixeris, nomẽ. A Crunis xxx. ſtadiûm abeſt interuallo Calliſtûs ſepulchrum, editus terræ agger, multis cùm infœcundis, tum pomiferis ueſtitus arboribus. In uertice attollit ſe Dianæ ædes, cui Calliſtæ, hoc eſt, Pulcherrimæ, cognomentum. Primus autem, quod ſciam, Pamphus Dianam, accepta ab Arcadibus nomine, uerſibus Calliſten appellauit. Iam uerò ſtad. hinc xxxv. à Tricolonis prorſus c. Heliſſontẽ uerſus, rectà uerò à Methydrio (ſola enim hæc de Tricolonis reliqua eſt) Anemoſa uicus abeſt, & mons Phalanthũ. In mõte Phalanthi urbis reliquiæ ſunt: Agelai, qui Stympheli fuit, Phalanthum filium fuiſſe dicunt. Campi ſubiacent monti, qui Pali nũcupantur. Inde Schœnus oppidum, cui à Schœneo Bœoto nomẽ. Quòd ſi Schœneus ille in Arcadiam aliquando uenit, curricula etiã quæ Schœnunti proxima, Atalantæ dicuntur, ab eius filia nomen accepiſſe uideri poſſunt. Dehinc, uti mea fert opinio, alia etiã fuerunt oppida: Arcadiæ enim finibus hæc omnia ab omnibus loca adſcribuntur, ſed ad hominum memoriam iam ſolum relictũ eſt Methydrium, quò à Tricolonis uia perducit

ſtad.

ſtad. CXXXVII. *Id nominis oppido eſt, quòd medio loco inter Malœtan et Mylaontem flumina, illud olim Orchome nus condidit. Ac Methydrienſes quidem, antequàm ſe Megalopolitanis adiungerent, ſuos et ipſi Olympicorum ludo rum uictores prædicare potuerunt. Eſt Methydrij Neptuni equeſtris ædes ad Mylaontẽ fluuiũ. Thaumaſius uerò mons, qui eſt à miraculis appellatus, ſupra Moloſſum amnem eſt. Huc ſe Rheam Iouem utero ferentem recepiſſe credi uolunt Methydrienſes, Hoplodamo & alijs eius ſocijs Gigantibus in auxilium accitis, ſi fortè Saturnus uim ei ullam intentaret. Ac fatentur illi quidem Rheam in quadam Lycæi parte peperiſſe: dolo uerò Saturnum, pro puero lapide appoſito, in hoc ipſo monte circumuentũ prodidere. Spectatur in iugo ſpelunca Rheæ, quò nulli hominũ, præterquã ſolis deæ ſacra facĩetibus fœminis introire fas eſt. A Methydrio ſtadia plus minus* XXX. *abeſt Nymphaſia fons: totidem interſunt à Nymphaſia ad cõmunes Megalopolitanorum, Orchomeniorum, & Caphiatum fines. Ac Megalopolitanis quidem per Anguſtias, quæ portæ ad Heleos nominantur, uia patet ad Mænalum præter Heliſſontem contendentibus. Ad eius uiæ læuam Boni dei ædes eſt. Quòd ſi di hominibus bonorũ autores ſunt, deorum uerò ſupremus eſt Iupiter, rectè quidẽ hoc Iouis maximè propriũ cognomen eſſe conijcere poßis. Paulò hinc longius terræ agger eſt, Ariſtodemi ſepulchrũ, cui uiro ne ipſa quidem tyrannis Boni cognomen eripuit. Mineruæ etiam illic Machinatricis delubrum: hoc deæ cognomen inde eſt, quòd ipſa conſiliorũ omnium & artiũ ho minib. inuentrix extitit. Ad uiæ dexterã Boreæ area dicata eſt, cui anniuerſarium ſacrum Megalopolitani faciunt, neq; ulli deorum maiores habent honores, quòd per eum contra*

Lacedæmoniorum & Agidis conatum ſeruati fuerint. Proximo loco eſt rectà progredienti Oiolei Amphiarai patris ſepulchrum: ſi modò in Arcadia ille, ac non Troiam, cùm Herculem aduerſus Laomedontem profectum ſecutus eſſet, extremum diem obijt. Exinde eſt Cereris, quæ ad Heleos nominatur, fanũ cum luco: ab urbe nihilo longius abeſt quàm ſtad. V. Huc ſolis mulieribus ingredi fas eſt. Mox ſtad. XXX. ſpatio confecto, ager adiacet Paliſcius nomine: unde relicto ad dexteram Elapho amne, minimè illo quidem perenni, intra ſtadia circiter XX. ad Paræthei reliquias peruenias, intra quas Panos templum reliquum eſt. Quòd ſi torrentem tranſeas, illinc rectà promouenti ad decimum octauũ fermè ſtadiũ campi ſunt, et eodem quo campi nomine mons Mænalius. Ad imum montem Lycoæ urbis ueſtigia, & Dianæ fanum ac ſignum ex ære cognomento Lycoatidis. In ea montis parte quæ ad meridiẽ eſt Sumitia olim urbs munita fuit. Et in eodem monte locus, quæ Triuia nuncupantur, unde Mantinenſes Delphici oraculi monitu Arcadis Calliſtûs filij oſſa ſuſtulerunt. Mænalia etiam ruinæ extant, & Mineruæ ædis. Stadia præterea duo, ad Athletarum pugnas alterũ, ad equorum alterum curſus appoſitum. Mænalium certè montem tam proprium eſſe Panos prædicant, ut fiſtula canentẽ deum ſe audire, accolæ affirmare non dubitent. Inter Dominæ fanũ & Megalopolitanorũ mœnia ſtadia interſunt XL. Ibi iam dimidia uiæ parte confecta, Alpheus tranſmittitur. Hinc ſtadia duo abſunt Macareorum ruinæ, inde VII. Daſeorum: totidem à Daſeis Acaceſius tumulus. Infra eum Acaceſium urbs fuit, et Mercurij Acaceſij è marmore ſignũ hac etiamnum ætate in eo tumulo extat. Enutritum illic Mercurium, et Acacũ Lycaonis filium, eius nutritium fuiſſe, Arcadum

dum ſermo uulgauit. Longè diuerſa Thebani memorant:ac rurſus à Thebanis diſſentiunt Tanagræi. Ab Acaceſio diſtat ſtad. duobus Dominæ, ſiue ea Hera ſit,fanum. Illic primùm uiſitur Hegemones, id eſt,Ducis Dianæ ædes: æneum deæ ſi gnum faces præfert:pedum VI.magnitudine id ſignum eſſe conijcimus.Hinc ad ſacrũ Dominæ ſeptum aditus eſt. Accedentibus ad ædem, & porticus ad dexterã eſt,& in pariete incluſa ſigilla è candido marmore: una in parte Parcæ, & Parcarum dux, Mœrageten uocãt,Iupiter: in altera Hercu les Apollini tripodem eripiens. Quæ uerò de his audierim, ſiquando ad eam Phocenſis hiſtoriæ partẽ quæ ad Delphos pertinet peruenero,tunc exponã.In porticu uerò ad Dominæ,inter ea quæ percẽſui ſigilla,tabula eſt,in qua pictæ ſunt initiorũ cæremoniæ. Tertio loco Nymphæ inter ſigilla, & Panes ſunt:quarto, Polybius Lycortæ filius. Inſcriptio teſta tur nihil ab initio offenſurã fuiſſe Græciã, ſi Polybij conſilijs paruiſſet: iam uerò grauiter affectæ unũ illum præſidio fuiſſe. Ante fanum aræ erectæ, Cereri una, Dominæ altera, Deûm magnæ matri tertia. Signa Cereris & Heræ, ſoliũ in quo ſedent, & item quod pedibus ſubiacet ſcabellũ,è ſolido & unico lapide ſunt. Nam neq; ueſtes,neq; extranea quædã ſolij ornamenta, ullo uel ferri,uel glutinis coagmento compacta ſunt,ſed uno prorſus omnia lapide conſtant: neq; uerò cum lapidem aliunde deportatũ, ſed ſomnij monitu quo loco fodiendo tellurem aperuerant, inuentum memorant. Vtriuſque ſimulachri ſeorſum magnitudo inſtar eius eſt, quod Matris deûm Athenis uiſitur.Sunt et hæc Damophon tis opera. Ceres ipſa facem dextera præfert, læuã Heræ admouet. Hera ſceptrum & uas, quæ ciſta dicitur,genibus ſuſtinet. Aſsiſtit ſolio, quàm latè utrunq; patet latus, Diana

ceruina pelle uelata, pendente ex humeris pharetra: altera manu lampadem, dracones duos altera geſtat. Adiacet canis *de uenaticorũ genere.* Adhæret *Heræ ſigno* Anytus, *armati hominis habitu: hunc æditui deæ nutritium fuiſſe tradunt, illum quidem de* Titanibus *unum. Sanè* Titanas *primus omnium* Homerus *ſuis carminibus cõmentus eſt, deos eſſe earũ ſedium incolas, quibus* Tartara *nomen eſt: ea de re poëtæ uerſus in* Iunonis *iureiurando ſunt. Sumpto deinde ab* Homero Titanum *nomine* Onomacritus, *quo libro* Liberi Patris Orgia *expoſuit, illorum operã grauibus affectũ ærumnis* Liberum, *uerſibus mandauit. Sed quæ ad* Anytum *pertinent, ab* Arcadibus *memoriæ prodita ſunt.* Cereris *uerò filiam, non* Latonæ, Dianã *fuiſſe, ab* Aegyptijs *acceptum ſermonem* Græcos *docuit* Aeſchylus Euphorionis *filius. Iam de* Curetibus *(nam & hi infra ea ſigna cernuntur, etſi unius intelligo longè alium quàm* Curetis *habitũ eſſe) deq;* Corybantibus, *qui in baſi inſculpti ſunt, omnia conſultò miſſa facio. Intra hoc fanum* Arcades *pomiferarum omnium arborum præterquã* Punicæ *mali fructũ inferunt. Ad dexterã è delubro egredienti ſpeculum in tectorio parietis aptè incluſum eſt, in quod qui inſpexerit, ſuam ipſius imaginẽ aut parum perſpicuè, aut prorſus nihil cernet: Deorũ tamẽ ſigna, & ſolium ipſum, dilucidè intuebitur. Præter* Heræ *fanum aſcendentibus ad dexterã eſt quod* Megaron *uocant, ac ſi magnificè exædificatã baſilicam dixeris: ibi arcana ſacra celebrantur,* Heræq; *uictimas cõplures & peropimas mactant, & immolant quidem pro ſuis quiſq; copijs: neq; uerò gutturà diſſecant, uti alijs in ſacris, ſed artum quem quiſq; fortuitù primùm apprehenderit, illum præcidit. Hanc dearum omnium maximè uenerantur* Arcades. *Filiam illam quidem*

eſſe

eſſe Neptuni dictitant: Ceres tamen ipſa uulgò hoc Heræ *co gnomen habet, uti ſatu* Iouis *genitam* κόρην, *id eſt, puellam, uocant: cuius tamen proprium nomē* Perſephone *eſt ab* Ho*mero,& ante eum à* Pampho *uſurpatum.Is autem* Heræ *no men non eſt auſus ad prophanos prodere. Supra ædem eam quod uocari diximus* Megaron, Heræ *ſacer lucus eſt, ambiente lapidum maceria. In eo luco & aliæ ſunt arbores, & ex una atq; eadem radice oleæ & ilices enatæ, quod ſanè nulla effectum eſt agricolarum arte. Supra lucum* Equeſtris Neptuni, *nempe qui* Heræ *pater credatur,& aliorū deorū aræ ſunt.Earum extremam indicat inſcriptio cōmunem eſſe illam dis omnibus. Illinc per cochleam in* Panos *delubrum aſcendas. Adiacet delubro porticus: intus eſt numinis haud ſanè magnum ſimulachrum.Huic deo æquè ac potentiſsimis quibuſq;, & hominum uota rata habere, & merita improbos pœna afficere, attributum eſt. Ignis ei perpetuus ardet. Quin & reſponſa oraculorum priſcis temporibus reddere ſolitum autumant, eiuſq; interpretē* Eratò Nymphā *fuiſſe, quæ cum* Arcade Calliſtûs *filio nupta fuerit: de qua eadem memoriæ produntur, quæ ipſi etiam percenſuimus. Eſt eodem in loco* Martis *ara. Sūt intra ædem* Veneris *duo ſigna, è candido alterum marmore,uetuſtius alterū è ligno.* Apollinis *item è ligno, &* Mineruæ,*priſca ſunt ſigna.* Minerua *cellam etiā ſuam habet.Paulullum ſupra hunc locum,*Lycoſuræ *murorū ambitus extat, intra quem pauci ſunt incolæ.* Vrbiū *certè omniū,quas uel continens terra,uel inſulæ ſuſtinent,uetuſtiſsima eſt* Lycoſura: *hanc primā omnium* Sol a*ſpexit, & ad huius templum urbes cæteri homines condere didicerunt. Ad læuam* Heræ Lycæum *mons eſt,quem* Olym*pum etiam,* Sacrum *alij* Arcadum *iugum nuncupant. In hoc*

monte educatum Iouem uulgò traditum eſt. Ager eſt in Lycæo, quæ Cretea uocatur, ad læuã luci, qui Apollini ſacer eſt, cognomento Parrhaſio. Hunc eſſe locũ in quo ſit educatus Iupiter, non autem Cretam inſulam, contra Cretenſium ſermonem, contendunt Arcades: Nymphas etiam nominant quæ Iouem nutrierint, Thiſoan, Nedan, & Agnò: & à Thiſoa quidem nominata urbs fuit olim frequens in Parrhaſiorum finibus: eſt uerò nunc Thiſoa pagus, Megalopolitani agri pars. Neda flumini nomen dedit. Fonti Agnò, qui in Lycæo monte eſt, Iſtro flumini hybernæ æſtiuæq; aquæ natura quamſimillimus. Quòd ſi fortè ſiccitate ſolum laboret, atq; ex eo ſegetes & ſtirpes exareſcant, ibi Lycæi Iouis ſacerdos ad aquã eius fontis cũ precatione conuerſus, ritéq; re diuina mactatis hoſtijs peracta, è quercu ramum non altè, ſed in ſummã aquã porricit: exiſtit repentè, cõmota aqua, ater halitus nebulæ perſimilis, neq; ita multò pòſt nubes attollitur, moxq; plurium nubium acceſſione obducto cœlo, Arcadum fines optatis imbribus perfunduntur. Eſt in Lycæo Panos fanum condenſo circunſeptum luco: adiacet Hippodromus, Hippodromo ſtadium, in eo iam tum ab initio Lupercalia celebrabantur. Sunt ibidem aliquot ſtatuarum cippi, ſtatuis amotis: eorum unius inſcriptio elegis teſtatur, fuiſſe eam Aſtyanactis effigiem, Arcadis patria hominis. Mons ipſe multa quæ uiſentes admirentur habet, hoc inter cætera: Area eſt Lycæi Iouis, quô hominibus non eſt acceſſus: ſi quis loci religione cõtempta introierit, neceſſe omnino eſt eum intra annum è uita excedere. Mirum eſt etiam quod aiunt, tam homines quàm beſtias, quæ fortè intra eius loci ambitum ſe immiſerint, nullas è corporib. ſuis umbras reddere: ac feras quidẽ uenator illuc confugientes non conſequitur, ſed foris conſiſtens,

ſtens, nullam ſanè umbram ab eius corpore mitti animaduertit. Ea certè anni parte, qua Cancer Solem geſtat, Syenæ, quæ Aethiopiæ urbs eſt, nullæ è corporibus umbræ ſe oſtendunt: uerùm in Lycæo hoc nulla nõ anni parte contingit. In ſupremo omniũ montis iugo eſt terræ editiſsimus tumulus: in eo Lycæi Iouis ara, unde omnis prope Peloponneſus proſpici poteſt. Ante aram duæ eminent pilæ ad Solis ferè exortum: inſiſtunt aquilæ inauratæ peruetuſti operis. Ad hanc arã Ioui Lycæo in operto faciũt. Sacri eius ritus curioſe mihi exquirere nõ eſt collibitũ, quare ita ſe habeãt, ut præſenti & priſci temporis religione ſanciti ſunt. In ea montis parte quæ ad Orientem ſpectat, eſt Apollinis fanum cognomento Parrhaſij: eundem Pythium appellant: ei deo feſtos quotannis dies dum agitant, aprum Apollini Auxiliari immolant: ibi re diuina peracta, in Apollinis Parrhaſij hoſtiam deportant, cum ſolenni pompa ad tibiæ cantum: femora deinde exciſa adolent: uiſcera quidem eodem in loco abſumũt: hæc patrio more religio ſancita eſt. In Lycæi parte quæ ad Aquilonem uergit, Thiſoæenſis ager eſt: incolæ præ cæteris numinibus Thiſoan Nympham uenerantur. Præterlabentes amnes influunt in Alpheum, Mylaon, Nus, Achelous, Celadus, & Naphilus. Acheloo Arcadico cognomines alij duo amnes, ſunt multò illi quidem nobiliores. Eorum alterum ad Echinadas inſulas per Acarnanas & Aetolos decurrentem, Homerus in Iliade fluuiorũ regem nuncupauit: alterũ idem poëta è Sipylo monte fluentem, cum ipſo monte ad ea quæ de Niobe prodidit, adiecit. Tertio huic ipſi Acheloo nomen eſt, qui præter Lycæũ montem labitur. Lycoſuræ ad dexteram conſurgunt montes, qui Nomij dicuntur: eſt in illis Nomij Panos fanum. Vicum proximum Melpean, ac ſi Modu-

latricem dicas,nominant,quòd fiſtulæ modos illic Pani primùm excogitatos dictitãt.Nomios uerò montes à Panos paſtionibus uocatos fuiſſe, obuia eſſe poßit & expoſita cuiuis cõiectura: ipſi tamen Arcades de Nymphæ cuiuſdã nomine uocitari affirmant. Lycoſuran præterfluit Occidentem uerſus,fluuius cui Plataniſton nomen,quem traijcere neceſſe habent qui Phigalian contendunt. A flumine cliuus ſe attollit ſtad.non minus x x x. *ſed neq; altius multò. Quæ uerò ad Lycaonis filium Phigalum pertinent(fuit enim is primus urbis Phigaliæ conditor) ea quemadmodũ à Bucolione Phigali filio nomen acceperit,ac deinde rurſus priſtina appellatio inualuerit, eſt à nobis in hoc ipſo rerum Arcadicarum commentario expoſitum. Traduntur etiam alia fide non ſatis digna:indigenã hominem Phigalũ fuiſſe,non autem Lycaonis filium:ex horum ſermone Phigalia Nympha una de Dryadibus fuit. Quo tempore Lacedæmonij Arcadas bello adorti,in corũ fines cũ exercitu inuaſerunt:hoſtibus uerò prælio uictis urbem obſidione cinxerunt: cumq; parũ abeſſet quin muri expugnarentur,Phigalenſes effugère,ſub certis conditionibus à Lacedæmonijs dimißi.Exciſa eſt Phigalia, Phigalenſibus omnibus eiectis, Miltiade ſummum Athenis magiſtratum gerente,Olympiadis triceſimæ,qua tertiam palmã tulit Chionis Lacon,anno ſecũdo.Qui è Phigalenſibus eam cladem effugerãt, cenſuerunt Delphici Apollinis oraculum de reditu conſulendum: ſciſcitantibus reſponſum eſt, ſi ſoli per ſe ipſos redire conati eſſent, nullam fore iam reliquam poſtliminij ſpem: at ſi ab Oreſthaſio centum lectißimos uiros aſſumpſiſſent, illos quidem ad unum in pugna perituros,Phigalenſes reditus compotes fore.Oreſthaſij eo reſponſo cognito, optimus quiſq; certatim in eam expeditionem*

nomi-

nomina dedere. Congreſſi uerò cum Lacedæmoniorũ præſidio, ratã omni ex parte oraculi uocem fecere: ſtrenuè enim dimicantes, Spartanis pulſis, cùm ipſi ad unum mortem oppetiſſent, Phigalenſibus patriam reddidere. Sita eſt Phigalia edito & prærupto loco, multoq; maior mœnium pars ſub ipſis extructa fuit rupibus. Montis iugum aſcendentes excipit plana et minimè ſalebroſa area, in qua Soſpitæ Dianæ ædes eſt ſtante marmoreo ſigno: ab eo tẽplo more maiorum pompas ducere ſolenne habent. In gymnaſio ſimulachrum Mercurij poſitum eſt, eo habitu, ut pallium induere uideatur, in quadrangulam figuram deſinens, neq; pedum tenus expolitum. Libero etiam Patri templum erectum eſt, Acratophorum cognomento incolæ appellant. Signi partes inferiores cõſpici nequeunt, quòd hederæ & lauri denſa fronde uelantur: quæ in cõſpectu ſunt, cinnabari oblita illuminantur. Cinnabari ipſum cum auro erui tradũt ex Iberorum metallis. Eſt Phigalenſibus in foro pancratiaſtæ Arrhachionis ſtatua, cùm cæterà peruetus, tum ipſa maximè figura. pedes modico diſtant interuallo: manus lateribus hærẽt, ad coxendices demiſſæ: è lapide ſtatua eſt, cui fuiſſe adſcriptum elogiũ dicunt, ſed illud uetuſtas aboleuit. Tulit Arrhachion palmas duas è ſuperioribus Olympiadibus, & quarta ſupra quinquageſimã, tam iuſta eorum qui ludis præſidebant ſententia, quàm uirtute ſua oppidoquàm inſignẽ meruit: cùm enim uictis alijs aduerſarijs, unus quo cum de oleaſtro certaret relictus eſſet, ille eodem impetu, & pedibus Arrhachionẽ incinxit, & manibus collũ obſtrinxit: eius digitũ Arrhachion pedis infregit, & dum ſtrangulatus iam animã ageret, præ digiti dolore aduerſarius eodem tẽporis momento corruit: Elei itaq; Arrhachionis cadaueri uictoriã præ-

conis uoce adiudicarunt. Conſimile fuiſſe iudicium Argiuorum de Creugante Dyrrhachino pugile noui: ei enim iam mortuo Nemeorũ coronam detulerunt, quòd Damoxenus Syracuſanus eius aduerſarius pacta inter ipſos cõuenta uiolarat. Nam cùm diem pugilatu ad ueſperũ exemiſſent, inter eos ita conuenerat, cuncta audiente ſpectatorum corona, ut uiciſsim alter in quã iuſſus eſſet corporis partem, ſingulas alterius plagas acciperet. Nondum inſtituerãt pugiles cæſtus, attenuato in acutũ loro, ad utriuſq; manus articulum, quem Græci καρπὸν *uocãt, religare, ſed è crudo bouis corio, implicatis arte quadam uetere inter ſe torulis (Melichas appellabant) & ad uolas reuinctis depugnabant: quo fiebat ut digiti nudi relinquerentur: tunc quidem Creugas prior Damoxeno in caput plagam inflixit: iuſsit hic illum manum immotam ſuſtinere: quod cùm ille feciſſet, Damoxenus infeſtis digitis partem eam alui petijt, quæ infra coſtas eſt: ea uerò fuit cùm unguium duritia, tum incurſionis impetus, ut immiſſis utrinq; manibus uiſcera apprehenderit, eaq́; dilaniata extraxerit. Expirauit ſtatim Creugas. Argiui Damoxenum, quòd pactis non ſtetiſſet, quippe qui non uno, ſed pluribus uulneribus aduerſarium confeciſſet, exilio mulctarũt: Creugæ iam mortuo palmam detulerunt, eidemq́; ſtatuam Argis poſuerunt, quæ ad meã uſq; ætatem in Lycij Apollinis fuit. Habet Phigalenſium forum cõmune ſepulchrum lectiſsimæ illius, de qua antè dictum, Oreſthaſiorum manus: ijs eodem quo heroibus ritu quotannis inferias mittunt. Fluuius, qui Lymax dicitur, Phigaliã præterfluens cum Neda coniungitur. Hoc ei nominis à Rheæ purgatione inditũ ferunt, quòd nempe cùm Ioue illa peperiſſet, in hũc amnẽ Nymphæ puerperij colluuiẽ abiecerunt. Colluuiem à Græcis* λύματα *dicta*

fuiſſe

fuiſſe teſtatur Homerus,*quo loco à peſtilentia Græcos purgatos dicit, eaq; purgamina, quæ lymata nominat,in mare abiecta fuiſſe.*In Ceraufio monte Nedæ *fontes ſunt:mons ipſe* Lycæi *pars eſt.Quòd quamproximè ad* Phigalenſium *urbem adlabitur* Neda, *eius ciuitatis pueri crinem fluuio detondent*. Nedæ *alueus mari proximus, nauigijs haud ſanè magnis ſubnauigatur.Amniũ quos nouimus omniũ maximè multiplici & ſinuoſo flexu labitur* Mæander,*plurimis in ſe reuolutus ambagibus*. Ea *uorticoſi & ſæpius ultro citroq; remeantis lapſus natura unus* Neda *eſt, qui cum illo cõferri poßit.Stadijs ferè* XII .*ſupra* Phigaliam,*calidarum aquarũ balneæ ſunt,à quibus nõ longè in* Nedam Lymax *deſcendit.* In *eorũ amniũ confluenti,ueteri religione ſanctißimũ fanũ eſt* Eurynomes,*ob loci aſperitatem aditu difficile.* Circa *ipſum multæ & condenſæ ſurgunt cupreßi.*Eurynomen Phigalenſium *plebs* Dianæ *cognomen eſſe credit*. Quicunque *uerò antiquitatis monimenta pertractarunt,* Oceani *fuiſſe filiam norunt,cuius &* Homerus *in* Iliade *fecerit mentionẽ, cùm eam unà cum* Thetide *ad* Vulcanum *ueniſſe dixerit.* Stato *quotannis die* Eurynomes *templum aperiũt: aperiri alio tempore mos patrius nõ eſt. Sacra eo die publicè ac priuatim fiunt.* Mihi *certè nõ contigit ut eo tempore adeſſem, neq;* Eurynomes *ſimulachrum uidere potui.*Audiui *de* Phigalenſibus,*aureis catenis reuinctum eſſe, fœminea facie uſque ad ſumma femora,cætera piſcis figura.quæ ſanè forma nulla ſatis probabili ratione* Dianæ *conuenire poſſe uideatur.*Incingitur Phigalia *montibus:à læua* Cotylio,*à dextera imminet qui* Elaius *uocatur.* Diſtat *ab urbe* Cotylius *ſtadia propè* XL.*In eo uicus eſt cui nomẽ* Baſſæ *(à uallib. opinor) &* Apollinis Epicurij, *id eſt,* Auxiliaris, *ædes, lapideo la-*

cunari.Templorũ ſanè omnium,quæ in Peloponneſo *ſunt, excepto eo uno quod* Tegeæ *eſt,cùm lapidis pulchritudine, tum uerò ſtructuræ concinnitate, eſt hoc longè præſtantiſſimum.Cognomen illud eſt* Apollini *tributum,quòd peſtilentia laborantibus opem tulerit: qua etiã de cauſa eſt idem* Apollo *apud* Athenienſes Alexicacus, *quaſi* Auerruncũ *dixeris,quòd peſtilentem morbum auerterit,nuncupatus.* Bello *certè quod cum* Peloponneſijs Athenienſes *geſſere,neq; alio omnino tempore hoc Dei extitit in* Phigalenſes *meritũ:teſtatur id cùm cognominum rei congruentium ſimilitudo,tum uerò quod* Ectinus *architectus,qui templũ exædificauit* Phigaliæ,*ijſdẽ quibus* Pericles Athenis *temporib. uixit:idemq;* Athenienſibus *ædem eam, quem* Parthenonem *uocãt,quod eſt ac ſi uirginum ædem dicas, erexit.* In *ſuperiore quidem huius cõmentarij parte expoſitum eſt,fuiſſe* Apollinis *ſignũ hoc* Megalopolitanorũ *foro.* In Cotylio *fons eſt, à quo,qui* Lymacen *amnẽ ortũ ducere hiſtoriæ mandauit,id ſanè ſcripſit, quod neq; ipſe uidit, neq; ab ijs qui uiderint audiuit: nam & amnis profluentem uidimus,& è fonte qui in* Cotylio *eſt, nõ multum illam quidem manantem aquam,quæ intra modicum ſoli ſpatium euaneſcit: non tamen in qua eſſet* Arcadiæ *parte* Lymacis *fons, in mentem uenit curioſius inueſtigare.*Eſt *ſupra* Apollinis Epicurij,*eo loco quod cognomento* Cotylon *appellatur,* Veneris *ædes ſine tecto: ſignum deæ extat.* Elaius *mons alter abeſt à* Phigalia *ſtadia propè* XXX.*Eſt eo in loco* Cereris *antrum cognomento* Nigræ.*cũ ijs certè quæ de* Cereris *cum* Neptuno *concubitu* Thelpuſij *prodiderunt,ea conueniunt quæ* Phigalenſes *ſacris peragendis celebrant. peperiſſe uerò* Cererẽ *nõ equũ memorant,ſed eam quæ ab* Arcadibus Hera *nuncupatur: ac nigram quidẽ*

illam

illam ueſtem, tum ira in Neptunum,*tum luctu de* Proſerpi*næ raptu cõmotam ſumpſiſſe: in hunc certè ſpecum cùm ſe abdidiſſet, diu lucẽ uitaſſe: ita uerò accidiſſe, ut cùm omnes quos terra educat fructus corrumperentur, et homines paſſim peſtis conficeret, dijs cæteris Cereris latebras ignoranti bus,* Pana *per* Arcadiæ *montes alios inter uenandum erran tem, cùm ad* Elaium *ueniſſet, ibi Cererẽ offendiſſe, tali cum ornatu & ueſtitu:* Iouem *re de* Panos *oratione cognita,* Par*cas miſiſſe, quibus deprecantibus compreſſa ira & luctu lenito, placata Ceres fuerit. In rei memoriam ſe* Phigalenſes *di cunt antrũ illud cum ligneo ſimulachro deæ dedicaſſe: ſimulachrũ ita fabricaſſe, ut ſaxo inſideret muliebri figura, præter caput, quod equinum atqueadeo cum iuba eſſet, ſerpenti bus & alijs feris ad caput alludentibus, reliquo corpore ad imos pedes tunica uelato, altera manu delphinẽ, columbã al tera præferente. Quæ ſimulachri ratio ſit, homini neq; ulla in re imprudenti, eidemq; tum aliarum rerum nõ imperito, tum uerò in omni antiquitatis memoria uerſato, ſatis perſpi cuum fuerit.* Nigram *ſanè appellatam tradunt, quòd pullum ſumpſerit ueſtimentũ. Cuius opus ligneũ illud fuerit ſignũ, uel quonam modo ſit flammis correptum, non eſt memoriæ proditum.* Phigalenſes *quidem illo deleto, aliud non modò non reſtituêre, ſed quæ ad ſtatas etiam cæremonias, & ſacra pertinebant, magna ex parte neglexerunt: quare cũ fruges agri ferre deſiſſent, deprecantibus reſpondit* Pythia:

Arcades Azanes uos glandiuori, Phigalean
Almæ qui Cereris ſpelæa repoſta habitatis:
Scitatum acceſtis, cauſamq;, famisq; leuamen,
Soli bis Nomades, *baccis ſylueſtribus alti,*
Ipſa Ceres flauam ſegetem ſubtraxit, & ipſa

Fœcundam inuidit miſeris paſtoribus herbam,
Præmiaq́; eripiens & priſci commoda honoris,
Liba iterum donata deis abſumere adegit:
Coget ea & natos, & mandere membra uiciſſim,
Ni feſto plebes placet libamine diuam,
Diuinoq́; ſacros exornet honore receſſus.

Accepto Phigalenſes reſponſo, & alijs maioribus multò quàm antè honoribus deã affecerunt, & Onatæ Miconis filio Aeginetæ quanti popoſcerat, nouum ſignum faciendum locarunt. Huius Onatæ Pergameni oſtendunt æneum Apollidem, cùm magnitudine, tum artificio ſpectabilẽ. Iidem ſanè uir uel priſcam aliquam tabulam, uel ſignum ligneum nactus, ad eius ſimilitudiuem æneum hoc Phigalenſibus ſignũ fecit: quin etiam maiorem eius partem ad ſomniorum imagines effinxiſſe dicitur. Aetatibus certè aliquot hoc opus fecit poſt Perſarum in Græciam irruptionem: teſtimonio oratio ni meæ ea res eſt, quòd Xerxis tranſmiſſio in idem tempus incidit, quo Syracuſis & in reliqua Sicilia dominabatur Gelon Dinomenis filius, cui demortuo Hieron frater ſucceſſit. Iam uerò cùm & hic è uita exceſſiſſet, antequàm Olympio Ioui dona, quæ pro equeſtribus uictorijs uouerat, perſolueret, eius filius Dinomenes patris uicem impleuit. Sunt uerò dona ea Onatæ opera. Eorũ inſcriptiones huiuſmodi ſunt. Vnius quidem:

Iuppiter Eleo redijt qui à puluere uictor,
Quadrigáq́; ſemel, iniuge bis & equo,
Vouerat hæc Hieron: natus monimenta parentis
Dinomenes poſuit clara Syracoſij. Alterius uerò:
Iſta Micon olim proles tua fecit Onatas
Inſula in Aegina, cui patria, atq́; domus.

Aetate floruit Onatas *eadem qua* Hegias Athenienſis,*& Argiuus* Ageladcs. *Huius ego maximè Cereris ſpectandæ cauſa* Phigaliam *diuerti: ac deæ quidem hoſtiam planè nullam cæcidi, ſed patrio incolarum ritu è conſitis arboribus, et in primis è uite fructus obtuli: fauos præterea, et lanas, nõ illas quidem ad lanificij opus purgatas, ſed planè ſuccida, & ſuis ſordibus referta uellera: hæc enim illi ad aram porriciunt; quæ pro ſpelunca extructa eſt: porrectis oleũ ſuperinfundũt. huiuſmodi publicè priuatimq; quotãnis ſacra peraguntur.* Sacerdos *fœmina ſacris præeſt, miniſtrãte è ſacrificulis* (Hierothytas *appellant) natu minimo. ſunt uerò ij tres è ciuium numero.* Ambit *ſpeluncam quercuum lucus, prægelida è terra erumpente aqua.* Ipſum *ſanè quod* Onatas *fecerat ſimulachrum, neq; cùm ego illuc ueni amplius extabat, neq; an unquam extitiſſet,* Phigalenſium *multitudo compertum habebat: audiui tamen grandem natu hominẽ, qui cum fortè ſum congreſſus, cùm diceret, tribus ante ſe natum ætatibus, uetus illud ſignum collapſis è culmine ſaxis ita confractum, ut ſpecies eius omnis priſtina aboleretur: et ſanè in ipſo culmine ueſtigia facilè cernebam, unde ſaxa corruerant.* Poſtulat *locus hic, ut ad* Pallantium *tranſcam, quæq; memoratu illic digna, ut oratione perſequar.* Nec *omittam quare* Imp. D. Antoninus *maior, urbem ex pago fecerit, et incolis libertatẽ, & à tributis immunitatẽ dederit.* Euandrũ *narrãt* Nympha Ladonis *filia &* Mercurio *genitũ, conſilio & bellica uirtute* Arcadas *cæteros antecelluiſſe: hunc à* Pallantio *in coloniam miſſum, deducta in locum* Tyberi *proximum* Arcadum *manu, oppidum condidiſſe, quod urbis* Romæ *poſtea pars fuerit: appellatũ uerò de* Arcadici *oppidi nomine ab ipſo* Euandro, *& inquilinorũ comitatu* Pallantiũ, *quod*

nomen conſecuta ætas literis duabus ſubmotis immutauit. Hæc *ipſa* res Antoninũ Cæſarem *adduxit,ut de* Pallantienſibus *quam optimè mereretur.* Hic Antoninus,*qui tam benignè* Pallantienſibus *fecit, nullius omnino belli gerẽdi* Romanis *uoluntarius autor fuit: ſed* Mauros Libyum *ſuis uiuentium legibus partem maximam, uagos & errantes, quippe qui inter* Nomadas *cenſentur,* Scythicis *gentibus eo minus expugnabiles, quòd non plauſtris, ſed equis cum uxoribus inuecti errant: eos ille finibus pulſos ſuis, in ultimas* Africæ *ſolitudines ad* Atlantẽ *montem, eiuſq; montis accolas populos expulit.*Brigantibus *uerò,qui in* Britãnia *ſunt,quòd* Genunios *P.R.ſocios armis laceßierant, magnam agri partem ademit.Præterea cùm* Lyciorũ *&* Carum *urbes,* Coon *etiã et* Rhodon *terræ ingens motus euertiſſet,eas* Antoninus *infinitis propè ſumptibus,et ſumma in colonijs deducendis diligentia reſtituit.*Nam *quoties &* Græcos *&* Barbaros *inopia laborantes pecunia iuuerit, qua operum magnificentia* Græciam,Ioniam,Syriam,*& poſtremò* Carthaginem *exornarit, eſt ab alijs accuratißimè ſcriptum.* Idem Imp. *aliud huiuſmodi liberalitatis ſuæ monimentũ reliquit.* Lex *erat, ut ſocij, qui iure* Quiritiũ *donati eſſent, ſi eorũ liberi in officio non permanſiſſent,quòd ſcilicet cum* Græcis *cenſeri ſe mallent,bonorum partem aliquam alienis relinquerent,uel ſi collibitũ fuiſſet,in* Principis *fiſcũ referrent:* Licere *uoluit* Antoninus *ipſis etiã filios ex aſſe hæredes facere, cùm ſatius eſſe duceret laudem humanitatis mereri,quàm appoſitã illã ad pecuniam accumulandam legem ſeruare.* Hunc Romani Pium *cognomine appellarunt, quòd unus omnium religionum ſtudioſißimus fuerit: ſed opinione mea* Cyri *etiã maioris cognomen promeruit,ut ſcilicet cõmunis hominum pater*

ter

ter diceretur. Imperij reliquit ſucceſſorem eiuſdem nominis filiū: is & ferociſsimos Germaniæ populos, et plurimas Barbarorum in Europa nationes, & in his Sauromatarū gentem, à qua multis iniurijs et iniuſto bello fuerat prouocatus, armis domuit. Sed reliquas iam partes inſtitutæ de Arcadū rebus hiſtoriæ perſequamur. A Megalopoli Pallantium & Tegean uſq;, ad eum locū qui Agger dicitur, uia ducit ea, in qua ſuburbanus uicus eſt, qui Ladocea à Ladoco Echemi filio nominatur. Adiacebāt priſcis temporibus urbes Hæmoniæ, quarū fuerat conditor Hæmon Lycaonis filius: manſit ad hunc uſq; diem uico nomē, quæ Hæmoniæ dicuntur. Ab Hæmonijs diſcedenti, ad dexteram uiæ, Oreſthaſij urbis & aliæ extāt reliquiæ, & è Dianæ templo columnæ. Dianæ ſanè illi cognomentum fuit Sacrificula. Rectà pergentibus uici ſunt, Aphrodiſium primò, ac deinde Athenæum. In læua huius parte eſt Mineruæ delubrum cum ſigno lapideo. Ab Athenæo ſtad. fermè xx. Aſeæ ruinæ diſtant, & ubi arx olim fuit, tumulus: arcis adhuc extant murorum ueſtigia. Ab Aſea ſtad. nō amplius v. nō longè à uia, Alphei, deinde in ipſa uia Eurotæ fons abeſt. Alphei fonti Matris deûm ædes proxima eſt ſine tecto: ibi duo ſunt leones è lapide. Admiſcetur Eurotæ Alphei aqua, fluūtq; ambo amnes cōmuni alueo ad ſtad. propè xx. exceptiq; exinde eodem cuniculo, erumpit Eurotas in Laconica terra, Alpheus in Megalopolitanorū finibus è nouis emergit fontibus. Ab Aſea accliuis eſt uia ad Boreū montem, in cuius ſummo uertice ueteris tēpli ueſtigia remanent. Templū ædificaſſe Vlyſſem Mineruæ Soſpitæ tradunt, & Neptuno, in patriā reducem. Eo certè loco, quem Aggerem uocant, agri fines inter Megalopolitanos, Tegeatas, & Pallantienſes ſunt. Pallantici quidem campi ad læuā

ab Aggere diuertentes excipiunt. In Pallantio delubrum, et in eo marmoreæ ſtatuæ Pallantis & Euandri: Proſerpinæ præterea, & Cereris fanum: modico interuallo oſtenditur Polybij ſtatua. Eo colle qui urbi imminet, quoq; pro arce priſcis temporibus oppidani utebantur, manet adhuc in collis uertice fanum deorũ, qui Puri cognomine ſunt appellati, per quos de rebus maximis iuſiurandum concipere religione ſancitum habent. Singulorum certè nomina uel ignorãt, uel ſcientes in uulgus prodenda non putant: ſed Puros ex co uocari conijciendum relinquitur, quòd illis Pallas non eodem ritu ſacrum fecit, quo pater eius Ioui Lycæo. Ad dexteram loci eius qui Agger dicitur, campi Manthurici ſunt: patent hi iam intra Tegeatum fines, ad ipſum uſq; Tegeæ oppidum ſtadia penè L. Ad uiæ dexteram ſurgit mons nomine Creſius, in quo templũ ædificarũt Aphnei, quaſi Lacturni, uel Vberis dicas. Nam cùm Aeropæ Cephei filiæ uitiũ Mars (uulgatus hic eſt Tegeatarum ſermo) obtuliſſet, puella quidem inter pariendum animam efflauit: at puer matrem complexus iam exanimem, lactis è mamillis eius profluentem copiã hauſit: id Martis uoluntate fiebat: eius rei gratia Aphnei nomen in deos relatum: puero ipſi Aeropo nomen fuit. Iuxta Tegeaticã uiam aqua eſt cognomento Leuconia, nempe à Leucone puella, quam Aphidantis fuiſſe filiam tradũt, cuius in ſuburbanis Tegeæ, ſepulchrum monſtratur. Et à Tegeo quidem Lycaonis filio oppido duntaxat nomen impoſitum Tegeatæ dictitãt, cùm incolæ curiatim habitarent: & curias quidem nominant Gareatas, Pſylacenſes, Caryatas, Corythenſes, Potachidas præterea, Manthurenſes, Echeuethenſes. Ad has, dum Aphidas regnaret, nonam acceßiſſe curiam dicunt Aphidantum. Hanc certè, quæ nunc extat, urbem,

bem, coloniã deduxit Aleus. Rerum geſtarum Tegeatis cum reliquis nominis Arcadici populis cõmunis fuit gloria, tam ex Troiani, quàm ex Perſici belli temporibus, & ea pugna, quæ in Dipœenſibus cum Lacedæmonijs cõmiſſa eſt. Sed priuatim propria fuerunt eorum decora, quòd & aprum Calydonium Ancæus Lycurgi filius accepto etiam uulnere ſuſtinuit: & Atalanta cùm prima omniũ belluam ſagitta transfixiſſet, uirtutis ergò, capite & pelle apri donata eſt. Iam uerò redeuntibus in Peloponneſum Herculis liberis, Tegeates Echemus Aeropi filius ſingulari certamine Hyllum ſuperauit: Lacedæmonios etiam armis in Arcadiã inuadentes primi omnium Tegeatæ fuderunt, magnumq́; captiuorum numerum abduxerunt. Ac Tegeatis quidem Aleæ Mineruæ uetus templũ Aleus ædificauit: interiecto dein tempore aliud ipſi ſibi ciues erexerũt, & magnitudine, & reliqua exædificatione ſpectantiũ admiratione digniſſimũ: nam cùm prius illud igne conflagraſſet, Diophante Athenis annuũ principatum obtinente, anno eo qui Olympiadem conſecutus eſt XCVI. *qua uictor è ſtadio Eleus Eupolemus diſceſſit, ita inſtauratum eſt, ut cùm loci ſpatio, tum uerò ornatu reliquo facilè templa cætera, quæ in Peloponneſo ſunt, ſuperet. Triplex columnarum ſe attollit ordo: primus eſt Dorici operis, alter Corinthiaci, tertius extra templum Ionicæ columnæ ſunt. Architectum fuiſſe eius operis accepi Scopam Pariũ, qui ſigna cùm multis in ueteris Græciæ locis, tum uerò in Ionia et Caria fecit. In faſtigij antica parte expreſſa eſt apri Calydonij uenatio: mediã fermè urgent ferã, Atalanta, Meleager, Theſeus, Telamon, Peleus, Pollux, & Iolaus, qui Herculi ærumnarũ maxima ex parte ſocius fuit: præterea Theſtij filij, Althææ fratres Prothous, & Cometes: ad alterũ belluæ*

latus Ancæum iam ſaucium bipennem attollentem Epochus *ſubleuat. proximi ſunt Caſtor, & Ioclis filius Amphiaraus: adſiſtunt etiam Hippothous Cercyonis filius, Agamedis nepos, Stymphali pronepos. poſtremus omniũ in eo opere eſt Pirithous. Poſtica faſtigij pars pugnam habet Telephi & Achillis in Caici campis. Mineruæ Aleæ ſignũ, & ſimul Calydonij apri dentes aſportauit Cæſar Auguſtus, uicto Antonio eiuſq; partibus, in quibus Arcades propè omnes fuere præter Mantinenſes. Non primus tamẽ Auguſtus proditur deorũ ſigna ac donaria deuictis à ſe gentib. eripuiſſe, ſed fuit hoc ei à priſcis iam tum temporibus tralatitiũ: ſiquidẽ exciſo Ilio cùm inter ſe Græci ſpolia diuiderent, Sthenelo Capanei filio Hercei Iouis ſignũ obtigit. Multiſq; pòſt annis cùm Dorienſes in Siciliam tranſmigrarent, Antiphemus, is qui Gelan deduxit, Omphace Sicanorum oppido direpto, ſimulachrum à Dædalo fabricatum Gelan deportauit. Perſarum uerò regem Xerxen Darij filiũ, præter ea ornamenta quæ ex ipſa Athenarum urbe amouit, ſcimus & ex Braurone Brauroniæ Dianæ ſignum auexiſſe: eundemq; Mileſijs criminatum, quòd illi de induſtria nauali prælio in Græcia cum Athenienſibus infelicius pugnaſſent, æneũ, qui in Branchidis fuerat, Apollinem ademiſſe, quem multis pòſt annis Seleucus iiſdem remiſit Mileſijs. Argiuis hac ipſa etiamnum ætate, ſigna quæ ex Tirynthe ablata fuerant, alterum in Iunonis, in Apollinis Elei alterum repoſita ſunt. Iam Cizyceni cùm Proconneſios bello adegiſſent ut ſibi inquilini eſſent, Dindymenæ matris ſignũ è Proconneſo aſportarunt: aureũ illud fuit: facies, cùm ebur deeſſet, è fluuialis equi dentibus eſt fabricata. Auguſtus certè (ut ad eum redeamus) in ſignis ac donis auferendis, & Græcorum & Barbarorum iam uſu*

confirmata eſt exempla ſecutus. Ac Aleæ quidem Mineruæ ſignum Romani poſitum habent in eius fori aditu, quod eſt ab Auguſto dedicatum: eſt uerò ſignum id ex ebore totum, Endius opus fecit. Ex apri dentibus alterum effractum dicunt ij quorum curæ ſunt huiuſmodi miracula cōmiſſa: alter in Liberi Patris æde, quæ eſt in Cæſaris hortis, ſuſpenſus uiſitur, nihilo ille quidem paſſus unius dimidio breuior. Aleæ quod nunc Tegeæ ſignum eſt, è curia Manthurienſiũ, apud quos dea Hippiæ, hoc eſt, equeſtris, cognomento colebatur, deportatum fuit. Cognominis ea fuerat cauſa, quòd in Gigantum pugna Manthurienſes ipſi prodidere, deam in Enceladum bigas immiſiſſe. Sed Alean uocari eam, & apud Græcos reliquos, & apud Peloponneſios maximè uſus obtinuit. Deæ quidem aſsiſtunt hinc Aeſculapius, illinc Hygea è Pentelico marmore, Scopæ Parij opera. In templo memoratu digniſsima dona ſunt: Apri Calydonij corium, putre iam præ uetuſtate, & ſetis undiq; nudatũ. Sunt præterea ſuſpenſæ compedes illæ, etſi ex illis multas temporis longinquitas aboleuit, quibus uincti Lacedæmonij captiui, Tegeatis in agro fodiendo opus faciebant. Lectus præterea Mineruæ ſacer, cum effigie picturæ perſimili. Ad hæc Tegeatidis fœminæ, Viduæ cognomento, ſcutũ: ſed huius mulieris poſterius mentionẽ faciemus. Deæ rem diuinã facit uirgo. quàm longum tempus uirginitatẽ conſeruet non ſatis ſcio: illud habeo compertum, antequã pubeſcat ſe illam ſacerdotio abdicare. Erectã à Melampode Amythaonis filio aram Mineruæ tradunt. Aræ inſiſtunt Rhea, & Oenoë Nympha, paruulũ Iouem cõplexæ, utrinq; quaternis aſsiſtentibus Nymphis: ab una parte Glauce, Neda, Thiſoa, & Anthracia: ab altera, Ida, Agnò, Alcinoë, & Phrixa. Muſarũ etiã ibidem & Mne

moſynes ſigna ſunt. A templo non longius quàm ſtadium unum abeſt terræ agger, ad quem ludos faciunt Alæa, de Mineruæ nomine, & Ilotia, ex eo quòd in pugna uiuos è Lacedæmonijs multos ceperant. Ad eam templi partem quæ ad Aquilonem ſpectat, fons eſt, prope quem uitiatam ab Hercule Augen ferunt, quod tamen ab ijs quæ Hecatæus hac de re ſcripſit, diſcrepat. A fonte ſtadia fermè 11. Mercurij Aepyti cognomento ædes diſtat. Habent & aliud Tegeatæ templum Mineruæ Poliatidi dedicatum: eò ſingulis annis ſemel duntaxat ingreditur ſacerdos: Propugnaculi templũ appellant. Vulgò proditum eſt, Cepheo Alei filio Mineruam Tegean inexpugnabilem, donato ei detonſo de Meduſæ capite crine, præſtitiſſe. De Dianæ uerò, quam ἡγεμόνην, hoc eſt Ductricem, appellant, talis propémodum ſermo eſt. In Orchomenijs, qui in Arcadia ſunt, dominabatur tyrannus Ariſtomelidas: is cùm Tegeatide uirgine, quam amabat, quoquo modo potitus eſſet, ac eam cum præſidio ad ſe perducendã Chronio cuidam cõmendaſſet, puella antequàm ad tyrannum perduceretur, præ metu & pudore ſibi necem conſciuit: Chronium Diana oblatis nocturnis uiſis ad opprimendum Ariſtomelidan incitauit: patrato itaq; facinore, cùm Tegean Chronius confugiſſet, Dianæ templum dedicauit. In foro, quod laterculi figurã præ ſe fert, Veneris ædes eſt, quæ ad Laterculum appellatur, cum ſigno marmoreo. Pilis duabus ſtatuæ impoſitæ extant: uni Antiphanes, Crœſus, Tyronidus, & Pyrias, qui cùm Tegeatibus leges tuliſſent, hunc ſibi honorem meruerunt. Alteri pilæ inſiſtit Iaſius læua equũ detinens, dextera palmæ ramum ferens. Equo in Olympia dicitur uiciſſe Iaſius, quo primũ tempore Thebanus Hercules Olympiorum conuentum inſtituit. Qua uerò de cauſa

uictori

uictori in Olympia ex oleaſtro, Delphis è lauro corona detur, de ſuperiore iandudum in cõmemorandis Eleorum *rebus expoſuimus: de laurea ſuo loco agemus. In Iſthmo autẽ pinum, in* Nemea *apium, ad* Palæmonis, *qui* Achemorus *olim fuit, caſus teſtandos, dari inſtitutum eſt. Ludis ſanè multis palmæ corona decernitur.* Victores *utiq; cuncti, ubiq; locorum palmam manu præferunt.* Eius *rei huiuſmodi traditur initium fuiſſe.* Theſeum *aiunt è* Creta *reducem* Deli *ludos feciſſe, uictoresq; palma coronaſſe. Palmæ quidem quæ* Deli *fuit, mentionem fecit* Homerus *ijs uerſibus, quibus* Vlyſsis *ad* Alcinoi *filiam miſericordiam implorantis orationem expoſuit. Eſt etiam in* Tegeatum *foro* Martis *ſignum pilæ inſcalptum,* Gynæcothœan *nominant.* Laconico *enim bello cumprimũ* Charillus Lacedæmoniorũ *rex cum exercitu in* Arcadum *fines inuaſiſſet, fœminæ arreptis armis ſub collem ſubſederunt, quem ætate noſtra* Phylactriden, *ac ſi* Præſidiarium *dicas, uocant. Congreſsis uerò ad pugnã exercitibus, cùm uiri utrinq; præclara & memoratu digniſsima ederent facinora, poſtremò fœminas ſubita eruptione ex inſidijs facta, in fugam* Lacedæmonios *ipſæ uerterunt.* Virtute *quidem fœminas anteiſſe cæteras prædicãt* Marpeſſam, *cui* Viduæ *cognomen fuit. Captum in pugna ipſum* Charillum *tradunt: dimiſſum deinde gratis, cùm ſe iureiurando obligaſſet, bellum nunquã amplius* Tegatibus *illaturum, cùm tamen poſtea minimè quod fuerat iuratus, ſeruaſſet. Sed tunc fœminas aiunt* Marti *ſeorſum uictoriã gratulatas, exta cum uiris cõmunicare noluiſſe, ex eoq;* Marti *cognomen, quod iam diximus, impoſitum.* Ara *etiam* Adulti Iouis *erecta eſt, cum ſigno quadrangulo: præcipuè enim tali figura delectari mihi* Arcades *uidentur.* Ad *hæc ſepulchra in eodem foro*

ſunt Tegeatæ Lycaonis filij, & eius uxoris Mœræ, quã Atlantis fuiſſe filiam dicũt: cuius mentionem Homerus fecit in ijs quos cum Alcinoo Vlyſſes habuit, ſermonibus de uia ad inferos, animas quas ibi conſpexerit enumerãs. Lucinam uerò Tegeatæ (habent enim ipſius etiam in foro ædem, & ſignum) cognomento Ingeniculam appellãt, ex eo nempe (uti aiunt) caſu, quòd cùm Aleus Nauplio filiam deſpondiſſet, ijs qui puellã deducebãt, ut in mare abiectam demergerent, imperaſſet: illam uerò in uia in genua procumbentem puerum peperiſſe, eo ipſo in loco ubi Lucinæ templum dedicarùnt. Ab hoc diuerſus eſt eorum ſermo, qui Augen dicunt clam patre Telephum enixam, in Parthenium montem eum abijciendum curaſſe, ibiq; puero expoſito ceruam lac præbuiſſe. Hoc certè ipſi etiam Tegeatæ uulgarunt. Prope Lucinæ, ara eſt Telluris. Pilæ duæ eminent iuxta aram: earum una Polybium Lycortæ filium, Elatum altera unum de Arcadis filijs ſuſtinet. Non longè à foro theatrum eſt, cum ſedibus æneарum ſtatuarum. ſtatuæ quidem ipſæ nõ extant, ſed in earum ſedium una, inciſi elegi teſtantur, ſtatuã illam Philopœmenis fuiſſe. Huius uiri memoriam, cùm ob eius prudentiam, tum uerò ob rerum geſtarum magnitudinem, maximè inuiolatam ſeruant. Quod ad generis claritatem attinet, pater ei Megalopoli fuit Craugis, nulli ciuium ſuorum ſecundus: is moriens adhuc impuberi Philopœmeni tutorẽ dedit Cleandrũ Mantinæenſem, qui domo exul, Megalopolis inquilinus, Craugidis domo pro paterno hoſpitio aſsiduè in temporum ſuorum calamitate illa uſus eſt. Præceptoribus cùm alijs, tum Megalophani & Ecdelo, Arceſilæ Pitanæi diſcipulis, operã dediſſe Philopœmenen tradũt. Corporis quidem magnitudine, ac robore nulli Peloponneſiorum

inferior

inferior fuit,ſed facie fœdiſſima. Sacrorum quidem certami num coronas omnino contempſit, agro, quem poſſidebat, colendo deditus: à uenatione, & feris conficiendis minimè alienus.Legiſſe dicitur eruditorum hominum libros,quibus uel bellicæ res,uel imperatorum conſilia mandata eſſent.E-paminundæ ille quidem artes & res geſtas ſtudioſiſſimè æmulatus, aſſequi tamen nullo pacto potuit: fuit enim Epaminundas miti prorſus ingenio, & animi lenitate ſumma, cùm hic ad iram eſſet procliuior.Oppreſſa autē à Cleomene Megalopoli,nihil inopinata clade perculſus, militaris ætatis amplius duas partes,fœminas præterea & pueros Meſſenen amandauit: erant enim Meſſenij eo tempore Arcadum amici,et ſocij. Cùm itaq; exulum magnā partem Spartanus rex per caduceatores(quòd eorum quæ crudelius in Megalopolitanos admiſiſſet, iam pœniteret)ſub certis fœderis cō ditionibus ad reditum adhortaretur, uniuerſis ciuibus ſuis Philopœmen,ut armis mallent quàm icto fœdere patriā recipere,facilè perſuaſit.In eo uerò prælio quod Achæi & Arcades ex omnibus urbibus, cumq; ipſis Antigonus ex Macedonia tranſportato in Sicilia exercitu, cōtra Cleomenen & Lacedæmonios cōmiſere,equitatum Philopœmen rexit:ubi uerò rei ſummā in peditatu poſitā uidit, pedes & ipſe cum graui armatura, dum periclitatur,audacius,utrunq; femur tragula traiectus, in genua ſe demiſit, tantiſper impediente telo progredi conatus,dum infringeretur haſtile inter femora medium. Victis certè hoſtibus in caſtra reportato, ex altero femore ſpiculum, ex altero miſſilis fragmentum extractum eſt.Viri ingentem uirtutē admiratus Antigonus, omni ſtudio ut ſe in Macedoniam ſequeretur,operam dedit:at ille neglecto Antigoni inuitatu, in Cretam quæ tunc ciuili bello

ardebat, trãſmiſit, ibiq; mercenarij ducis munia obijt. Mox Megalopolin *reuerſum equeſtribus copijs* Achæi *præfecerunt*. Et *eos quidem, quibus ipſe imperauit, equites longè optimos præſtitit, tum* Achæorũ, *tum eorum qui in eadem fuere expeditione*. Deinde *in pugna ad* Lariſum *amnẽ, cùm* Aetoli *opem* Eleis *tuliſſent, cognationis cauſa, ſuamet manu* Damophantum *hoſtilis equitatus præfectum interfecit, ac deinde alias* Aetolorum *&* Eleorum *equeſtres copias in fugam uertit.* Iam *uerò cùm* Achæi *in eum unum intuerentur, omniaq; ad unum deferrent, peditatus ante omnia armaturam immutauit: cùm enim antè breuibus haſtis uterentur, & ſcutis grandioribus, proinde ac ſunt* Gallica *&* Perſica *(thyreos ipſi, ac gerrha appellant) ut loricis & ocreis corpus tegerent, militibus perſuaſit:* Argolicos *addidit clypeos, & haſtas maiores.* Præterea *cùm* Lacedæmone *tyrãnus* Machanides *exortus eſſet, eoq; duce* Spartani *iam nouum bellum cum* Achæis *gererent, dux fuit* Achaici *exercitus* Philopœmen. Prælio *apud* Mantinean *inito,* Spartanorum *expediti milites ueteranos* Achæorum *fuderunt: fugientes* Machanidas *perſequebatur*. Ibi Philopœmen *cum peditum phalange grauem armaturam* Spartanorum *repulit,* Machaniden *retrocedentem cùm in eum incidiſſet, occidit.* Lacedæmonijs *quidem in pugna uictis, ex ipſa tamen clade fortuna meliorem euentum oſtendit, quòd ſcilicet à tyranni dominatu libertatem conſecuti ſunt.* Non *multò uerò pòſt* Nemea *celebrantibus* Argiuis, *cùm ludis intereſſet certantibus citharœdis* Philopœmen, *ac tunc fortè cithara caneret homo magni in ea arte nominis (quippe qui* Pythicam *palmam tulerat) & carmen illud* Mileſij Timothei *pronunciaret, qui* Perſæ *appellantur, canticum exorſus,*

Liber-

Libertate frui licuit tibi Græcia per quem.
coniecerunt in Philopœmenen Græci uniuerſi oculos, & plauſu ingenti edito, certā ſignificationē dederunt, eum uerſum uni maximè conuenire, & ad unum omnino eſſe referendum. Talem accepimus Themiſtocli in Olympia habitū honorē, cùm in theatrū intranti ſpectatores uniuerſi aſſurrexere. Philippus quidem Demetrij filius, Macedonū rex, is qui Aratum ueneno peremit, Megalopolin ad Philopœmenen occidendum percuſſores miſerat: uerùm cùm facinus illi perficere nequiſſent, inuidiā ſibi Philippus cunctæ Græcie concitauit. Cùm uerò Thebani uictis acie Megarenſibus urbem ipſam iam propè ſuperatis muris expugnaſſent, oppidanorū aſtu de Philopœmenis aduentu diſsipato, tantus eſt hoſtibus terror iniectus, ut confeſtim reportato domum exercitu, eam obſidionem miſſam fecerint. Iam rurſus erat Spartæ exortus tyrannus Nabis: is præ cæteris Peloponneſiorum populis primos Meſſenios bello laceſsiuit, ac nocte quidem inopinantes adortus, urbem iam totā, præter arcē, ceperat: inſequenti uerò die præſtò fuit cum auxilijs Philopœmen, quo factū ut ille à Meſſene diſcedere ſub certis conditionibus coactus fuerit. Iam uerò cùm imperandi finē tempus attuliſſet, et noui imperatores ab Achæis delecti eſſent, in Cretā Philopœmen trāſmiſit, Gortynijs graui bello preſſis opem laturus: ſed eius peregrinationem cùm Arcades offenſiore animo ferrēt, reuerſus ex Creta, in ea incidit tempora, quibus contra Nabin arma Romani ceperant: et cōparata ſanè atq; inſtructa claſſe, ſe Philopœmen, qua erat in bellicis rebus alacritate, eius expeditionis ſocium præbuit: uerùm, ut erat naualium rerum planè expers, triremem fortè cōſcendit rimoſam: quod cùm à Romanis & reliquis fuiſſet

ſocijs animaduerſum, ſubijt eorum uerſuum recordatio, qui bus Homerus *Arcadas nauigationis ignaros eſſe in enumeratione nauium teſtatur.* Paucis diebus poſt nauale prælĩũ, Lunæ ſilentis opportunitate uſus, immiſſa ſuorũ manu Lacedæmoniorũ ad Gethiũ caſtra incendit. Inde elapſus Nabis, iniquo loco Philopœmenẽ & Arcadum qui cum eo erãt manũ circumuenit: erant ij ſanè exigui numero, ſed uirtute præſtantes. Ibi Philopœmen conuerſo, quaſi retrocederet, agmine, effecit ut multò æquiore ſui quàm hoſtes loco conſi ſterent: mox prælio uicto Nabi, & Lacedæmoniorũ quamplurimis nocte illa cæſis, in maiore multò fuit apud omnes Græcos nominis celebritate. His ita geſtis, Nabis inducias cum Romanis pepigit: ſed antequã præfinitũ tempus exiſſet, à Calydonio homine, qui ſocietate uerbo ſimulata (fuerat enim ab Aetolis ſubornatus) re ſe hoſtem eſſe demonſtrauit, eſt interemptus. Philopœmen tunc, cùm fortè Spartã diuertiſſet, è re nata, ut cum Achæis Lacedæmonij ſe coniungerent, effecit. Non multò pòſt Titus Flaminius, cui bellum in Græcia decretum fuerat, & Diophanes Diæi filius Megalopolitanus, quem ſibi ducem Achæi delegerant, ad Lacedæmonis mœnia cũ infeſto exercitu acceſſerũt, id nempe Lacedæmonijs crimini dantes, quòd nouas res contra Romanos moliti eſſent. At Philopœmen, etſi priuatus tunc erat, portas tamẽ occludendas irruentibus hoſtibus curauit. Ob hæc merita, & ob res in utrunq; tyrannũ geſtas, Lacedæmonij domum Nabidis talentis c. et eo pluris æſtimatã, ei donarũt: at ille pecuniam eam reiecit: iuſsit autem eos qui in Achaico conuentu plurimùm autoritate apud multitudinẽ ualerent, ea largitione conciliari: in quo Timoleontem ab eo ſignificatum, fuerũt qui crederent. Iam uerò rurſus ei ab Achæis imperio

perio decreto, cùm Lacedæmonij iam ciuile bellum capeſſerent, trecentos ille homines, ſeditionum autores, è Pelopon*neſo eiecit, & publicorum ſeruorum propè tria millia uendidit: urbisq; muros demolitus, puberibus omnib. ijs exercitationibus, in quibus ex* Lycurgi *lege uerſabantur, interdixit: contrà uerò ut eas* Achæorum *puberes ſuſciperent edixit. Sed patria poſtea inſtituta* Spartanorum *pueris* Romani *reſtituerunt.* Iam Antiocho Seleuci, *cui* Nicator *cognomen fuit, Syrorumq; auxilijs à* Romanis Manilij *ductu ad* Thermopylas *uictis, cum* Ariſtænus Megalopolitanus Achæos *hortaretur ut* Romanorũ *imperata omni ex parte facerent, neq; ulla omnino in re ipſis aduerſarentur, turbato illũ præ ira uultu aſpiciens, accelerare dixit Græciæ fatum.* Manilio *deinde* Lacedæmoniorũ *exules reſtituere cõtendenti, acriter pro concione reſtitit. Poſt illius uerò profectionẽ exules omnes* Philopœmenis *permiſſu* Spartam *redierunt. Sed enim & ipſum aliquando iuſta manebat ob nimiam animi elationem pœna. Nam cùm* Achæorũ *imperator iam octauum renunciatus fuiſſet,* Lycortæ, *homini haudquaquã obſcuro, quòd uiuus in hoſtium poteſtatem ueniſſet, obiecit: neq; ita multò pòſt coortis inter* Meſſenios *et* Achæos *inimicitiarum cauſis,* Lycortan *cum exercitu miſit* Philopœmen *ad* Meſſeniorũ *agrum depopulandum: ipſe triduo pòſt, etſi uehementi febri laborabat, ac iam annum impleuerat* LXX. *quin tamen eius excurſionis particeps eſſet, ſe continere nõ potuit. Secutus igitur* Lycortan *eſt cum equitibus, & peltatis* L X. *At* Lycortas *totáq; eius manus cùm neq; hoſtes ullo damno affeciſſent, neq; ipſi quicquam graue paſsi eſſent, incolumes domum redire.* Philopœmen *inter dimicandum accepto in capite uulnere cùm ex equo concidiſſet, uiuus*

Meſſenen pertractus eſt: ubi aduocata concione cùm ſententiæ uariarent, Dinocrates *&* Meſſeniorum *locupletiſſimi quiq; occidendum omninò* Philopœmenem *cenſebant: at plebs magno ſtudio eum uindicabat à potentiorum iniuria,* Græci *nominis parentem, eo etiam ad laudem inſignioribus titulis appellantes.* At Dinocrates Meſſenijs *omnibus inuitis ueneno miſſo hominem de medio tollendũ curauit.* Quod *facinus* Lycorta *non multò pòſt, ex* Arcadia *&* Achaia *cõparato exercitu, ultus eſt: cui ſe* Meſſenij *cùm dedidiſſent, omnes præter* Dinocratem *(is enim ſibi ipſi manus conſciuit) ob* Philopœmenis *necem pœnas dederunt.* Oſſa Philopœmenis Arcades Megalopolim *reportarunt.* In *quo ſanè uiro bonorum & fortium uirorum omnis propè eſt in* Græcia *conſumpta progenies.* Primus *etenim* Miltiades Cimonis *filius* Perſis *ad* Marathonem *fuſis, & ingenti contra eundem hoſtem claſſe comparata, cunctæ* Græciæ *ſalutẽ attulit: poſtremus* Craugidis *filius* Philopœmen. Nam *qui ante hos præclara ſuæ uirtutis documenta dederunt,* Codrus Melanthi *filius,* Spartanus Polydorus, Meſſenius Ariſtomenes, *& ſi qui poſſunt alij cum his enumerari, patriam quiſq; ſuam iure uideri poßint, non uniuerſam* Græciã *ſeruaſſe.* Poſt Miltiaden *uerò, &* Leonides Anaxandridæ, *&* Neoclis *filius* Themiſtocles, Xerſen *è* Græcia *expulerunt, duobus ille naualibus prælijs, hic nobili ad* Thermopylas *pugna.* De Ariſtide Lyſimachi, *&* Pauſania Cleombroti *filio, qui ad* Platæas Græcis *imperauit, nihil attinet hoc loco dicere, quòd huic proditionis crimen, illi impoſita omnibus inſulis uectigalia, cùm antea omnes* Græci *nominis populi immunes fuiſſent, ſeruatæ* Græciæ *gloriã eripuerunt.* Xanthippus *quidem* Ariphronis, *&* Cimon: *ille deleta* Perſarũ *claſſe ad* Mycalen Leotychide

chide Spartanorum rege adiuuante, hic multis & æmulatione digniſſimis facinoribus, de Græcis optimè meriti ſunt. At omnes qui bello Peloponneſiaco, quod eſt contra Athenienſes geſtū, exercitibus præfuerunt, atq; ex ijs gloria præſtantiſſimum quenq;, iurè quis Græciæ parricidas & propè (ut ita dicā) demerſores appellarit. Græcorū certè imperium iam grauiter perculſum, Conon Timothei, & Polymnidis filius Epaminundas ad ſpem ſalutis aliquā reuocarūt, cùm uterq;, ex inſulis ille & maritimis locis, ex urbibus hic mediterraneis præſidia, et Lacedæmoniorū præfectos, quos Harmoſtas uocabant, eieciſſent, decuriones uerò in ſingulis ciuitatibus in ordinem coëgiſſent. Epaminundas ad hæc dua rum minimè obſcurarū urbiū, Meſſenes, & Arcadicæ Megalopolis acceſſione Græciā illuſtriorem reddidit. Adnumerandi Græciæ parentibus iurè etiam fuerint, Leoſthenes & Aratus: ille enim Græcos conductitios, qui Perſis ſtipendia fecerant, ad quinquaginta propè militum millia in naues impoſitos, inuito etiam Alexandro, in Græciam incolumes reportauit. Arati uerò merita ex ijs cognoſci poſſunt, quæ de Sicyoniorum rebus geſtis conſcripſimus. Ad Philopœmenis quidem ſtatuam Tegeæ talis legitur inſcriptio:

Cuius uirtutem mirata eſt Græcia, quiq́;
Multa manu geſſit, multaq́; conſilio,
Arcados inuicti Philopœmenis hæc monimenta,
Quem belli ornauit gloria clara ducem.
Huic duo de geminis excelſa trophæa tyrannis,
Erexit Sparte libera ſeruitio.
Grata etiam Tegee pro libertate recepta
Craugidis hæc gnato magnanimo poſuit.

Ac talis quidem illic extat inſcriptio. Apollini uerò Agyieo

ſigna ob huiuſmodi cauſam Tegeatæ dedicaſſe feruntur. Apollinem & Dianam aiunt ubiq; gentium graues de ijs hominibus ſumpſiſſe pœnas, qui Latonã dum uterum ferret, errantem contempſiſſent. Quare cùm ij, quos nominauimus, dij in Tegeatarum terram ueniſſent, Scephrus Tegeatæ filius ſemotis arbitris cum Apolline eſt collocutus: ibi Lemon (erat hic quoq; de Tegeatæ liberis) in ſuſpicionem uenit, fuiſſe clandeſtinũ illum ſermonem aliud nihil quàm ſui criminationem: impetu itaq; facto fratrem occìdit: ſed mox Dianæ ſagittis confixus, eius cædis pœnas dedit. At Tegeates & Mœra ex tempore ſacrũ quidem utriq; deo fecerunt. Verùm poſtea cùm ſoli ſterilitas inceſſeret, conſulentibus, è Delphici Apollinis penetralibus reſponſum allatum eſt, lugendum eſſe Scephrum: quamobrem in Agyiei ſacris & alia in Scephri honorem faciunt, & uirgo Dianæ ſacerdos unum quempiam inſectatur, Dianam dum Lemonem perſe queretur ſimulans. Aiunt etiam de Tegeatæ liberis ultro in Cretam migrare oportuiſſe Cydonem, Catreum, Archidiũ, Gortynem: à quibus urbes nominatæ fuerint, Cydon, Gortyn, Catreus. Cretenſes tamen neutiquam huic Tegeatum ſermoni aſſentientes, Cydonem Acacallide Minois filia & Mercurio genitum dicunt: Catreum Minois, Rhadamanthi Gortynem filios fuiſſe. De Rhadamantho quidem Homerus prodidit in Protei & Menelai colloquio, in Elyſios campos Menelaum uenturum, ubi multò prius Rhadamanthus ſedem eſſet nactus. Cinæthon uerò uerſibus mandauit Rhadamanthum Vulcani, Vulcanũ Tali, Talum Cretis filium fuiſſe. Sunt ſanè Græcorum ſcripta cùm in cæteris, tum in ijs maximè quæ ad gentilitates pertinent, inter ſe diſsidentia. Agyieo apud Tegeatas ſigna quatuor, ſingula à ſingulis tri

bubus

bubus poſita ſuut. Tribuum ipſarum nomina perhibentur, Clareotis, Hippothoitis, Apolloneatis, Athaneatis: ſic appellatæ ab ea agri ſorte, quam liberis Arcas propoſuit ſuis, & ſimul ab Hippothoo Cercyonis filio. Eſt præterea Tegeæ Cereris, et Proſerpinæ fanum: Frugiferas deas nominãt. Prope Veneris cognomine Paphiæ templũ dedicauit Laodice, cui Agapenor pater, is qui bello Troiano Arcadũ dux fuit. Paphi tamen illa uixit, uti alio eſt à nobis loco prius explicatum. Ab eo templo non longè abſunt Liberi Patris delubra duo, Proſerpinæ ara, Apollinis ædes, cum inaurato ſimulachro. Ea omnia Chiriſophus fecit, Cretenſis patria, de cuius ætate & magiſtro, comperti nihil habemus. Longior certè Gnoßi apud Minoẽm Dædali cõmoratio, Cretẽſes in ſignorum etiã opificio nobilitauit. Adſiſtit Apollini ipſe Chiriſophus è marmore. Habent Tegeatæ ædem aliam, quem cõmunem Arcadum focum uocãt. Eſt ibi Herculis ſimulachrum: in femore cicatrix cernitur, ex uulnere quod in pugna accepit primus, dum cum Hippocoontis filijs dimicat. Excelſior quidam uicus, in quo multas Tegeatæ aras habent, Clarij dicitur Iouis: cognomen manifeſtũ eſt à ſortitione Arcadis filiorum ductum. Feſtos dies quotannis eo in loco agitãt: ac Lacedæmonios quidem, eo ſe ſacro occupatis, cum exercitu fines inuaſiſſe memorant: multa uerò cùm ſe effunderet è cœlo nix, præ frigore hoſtes grauiter ſub armis laboraſſe: interea ſe clam illis, ignes accendiſſe, moxq; frigoris incõmodo liberatos, armis arreptis hoſti occurriſſe, uictoresq; pau lò pòſt reuertiſſe. Cõſpicatus et alia Tegeæ ſum, Alei domũ, Echemi ſepulchrum, & in pila inciſam Echemi cum Hyllo pugnam. A Tegea in Laconicũ agrum pergentibus ad læuã uiæ eſt Panos ara: eſt etiam Iouis Lycæi. Reſtant adhuc tem-

plorum fundamenta. Aræ quidem hæ à muris abſunt ſtadia duo. Progreſſi ſtadia fermè VII. *ad Limnatidis(quod eſt ac ſi Paluſtris dixeris) Dianæ peruenient. In ea æde ex ebeno ſignum eſt. Operis forma, cuiuſmodi quæ à Græcis Aeginæa appellatur. Abſunt hinc ſtad. circiter* X. *Dianæ Cnateatidis & Alei ruinæ. Lacedæmonijs et Tegeatis agri fines Alpheus eſt amnis. Eius caput ad Phylacen: unde non procul influit in eum aqua è fontibus orta nō utiq; magnis, ſed numero pluribus, & idcirco Symbola(quaſi confluentem dicas) eſt ei loco nomen. Alpheus ipſe longè alia quàm cæteri amnes eſt præditus natura: abdit enim ſe infra terrā ſæpe et rurſus exoritur è Phylace primùm, & à Symbolis emanans, mergit ſe in Tegeatico agro. Mox in Aſæa erumpens, & Eurotæ aquas permiſcens ſuas, cuniculo iterū abſorptus, emergit quo loco fontes Arcades nominant, ac Piſæū agrū, et Olympiam præterlapſus, ſupra Cyllenen Eleorū nauale in mare prorūpit. Neq; poteſt curſum eius Adriatici maris concitatio retardare, quo minus magnum & uiolentum internatans pelagus, ad Ortygiam Syracuſarum inſulam, priſtino Alphei nomine conſeruato, Arethuſæ fonti permiſceatur. Recta ſanè uia ad Thyrean, et uicos qui intra Thyreatū fines ſunt, habet quæ meritò in huius hiſtoriæ cōmentarios referantur: Oreſtis Agamemnonis filij ſepulchrū, ex quo reuulſa à Spartano homine eius oſſa memorant Tegeatæ. Noſtra quidem ætate nullus eſt iam intra portas, eius tumulus. Præterfluit uiā Caratis amnis, quem ubi tranſieris, ſtadia propè* X. *progreſſus, Panos fanum offendas, & iuxta illud quercū deo ſacram. Iam quæ à Tegea Argos ducit uia, uehiculis peruia, et populari trita eſt itinere. Adiacēt ipſi uiæ primùm quidē ædes Aeſculapij cū ſuo ſigno. Diuertentibus ad læuā unū fermè*

ferme ſtadium, eſt Apollinis cognomento Pythij euerſa ædes, cuius ipſa duntaxat extant rudera. Secundùm rectam uiam locus eſt quercu plurima cõdenſus: in eo querceto templũ eſt Cereris cognomine Corythenſæ, quaſi Galeatæ dixeris. Proxima Liberi Patris ædes, Myſtæ, id eſt Arcani, uocant. Inde Parthenius mons incipit. In eo ſacra Telephi area oſtenditur, in qua altũ à cerua Telephum dicunt. Paululum abeſt Panos fanum, ubi Philippidæ occurriſſe Pana, & quæ ei opus erãt monuiſſe, tam Athenienſes quàm Tegeatæ prædicant. Præbet ſaltus Parthenius teſtudines ad lyras compingendas quamaccõmodatiſſimas. Sed eas accolæ capere uerentur, neq; à peregrinis capi ſinunt, quòd Pani ſacras putant. Vbi iugum ſuperaueris, ac iam in ſubiacentia arua deſcenderis, illic fines inter Argiuos & Tegeatas ſunt, ad eum propè modum, quo in Argiuo agro ad Hyſias. Hæ quidem Peloponneſi regiones ſunt, & urbes in ſingulis. Perſecuti autem ea ſumus omnia, uel in agris, uel in urbibus ipſis, quæ hac hiſtoriæ cõmemoratione digniſſima duximus. Athenienſibus uerò, & alijs Atticæ terræ partibus finitima eſt Bœotia. Proximi ad Eleutheras Platæenſes.

PAVSANIAE BOEOTICA, SIVE LIBER NONVS.

BOeoti quidem, tota in uniuerſum gens, à Bœoto nomen accepere, quem Itoni & Melanippes Nymphæ, Itonum ipſum Amphictyonis fuiſſe filium dicunt. Oppidatim nomina multa à uiris, ſed à fœminis plura nacti ſunt. Platæenſes quidem opi-

nione mea indigenæ ſunt: nomen illis inditũ putant à Platæa amnis cuiuſdã filia. In regũ & hos fuiſſe priſcis temporibus imperio, ſatis omnibus conſtat: tota enim Græcia olim regibus paruit, cùm nondum reſpublicæ inſtitutæ fuiſſent. Aliũ certè è ſuis regibus neminẽ, quàm Aſopũ, & eo ſuperiorem Cithæronem norunt, à quorũ altero flumini, ab altero monti nomen fuerit. Et ipſam ſanè Platæan, à qua urbs nomen acceperit, facilè ut credam adducor, fuiſſe regis, non amnis filiam. Huius ciuitatis ante Marathoniam pugnam, nullum extat memorabile facinus. In eo prælio cùm Athenienſes adiuuiſſent, poſt Xerxis in Græciam irruptionem, cum iiſdem Athenienſibus alacriter in naues conſcenderunt, & intra ſuoſmet deinde fines Mardoniũ Gobryæ filium, Xerxis copiarũ præfectum malè mulctarunt. Bis aũt euenit ut ſedibus ſuis pellerentur, & rurſus in Bœotiã reſtituerentur. Bello enim Peloponneſiaco Lacedæmonij diu obſeſſam Platæã expugnarunt. Iam uerò reſtituta, per eam pacem, quã Græcis à Perſarum rege Antalcidas homo Spartanus confecit, cùm ij qui Athenas confugerant in patriam rediſſent, noua iterum clade afflicta eſt. Nam cùm nullum omnino propalàm bellum Thebanis indixiſſent, ac ſibi cum illis pacem eſſe dicerent, quòd dum Cadmea à Lacedæmonijs oppugnaretur, neq; conſilij, neq; operis eius participes fuiſſent, Thebani tamen contra Lacedæmonios autumabant eam ſe pacẽ ſciuiſſe: quã cùm deinde uiolaſſent, eidem culpæ affines eſſe interpretabantur omnes, quibus cõmuni fœdere cautũ fuiſſet. Cùm itaq; Platæenſibus ſuſpecta eſſet Thebanorum uoluntas, urbem firmiſſimo præſidio tuebantur. Qui uerò agros à mœnibus longinquiores habebant, non quauis diei hora in eos ueniebant, ſed obſeruatis concionum temporibus,

bus, quas illi & aliàs frequentes ex omni populi parte celebrare ſoliti erant: tunc demum cùm in unum cōſultandi cauſa conueniſſent, ſua, qui extremū agrum colerent, otioſe curabant. At Neocles,*qui ſummum in* Bœotis *magiſtratum gerebat, cùm* Platæenſium *aſtum deprehendiſſet, ſuis imperauit, ut in concionem quilibet cum armis ueniret. Quo facto, omnes* Plat*eas duxit, nō ſanè rectà per campeſtrē agri partem, ſed quà* Hyſiæ *ſunt, inter* Eleutheras & Atticā, *ubi ſpeculator à* Platæenſibus *nullus erat. Meridiana ſanè hora, qua oppidani cōcione occupatos* Thebanos *rati, ſe in agros occluſis à tergo portis effuderant. Cum ijs qui intra muros deprehenſi ſunt, hoſtes pepigerunt, ut cum ſingulis uiri, mulieres binis cum ueſtimentis ante* Solis *occaſum exirent.* Diuerſo *aūt longè caſu oppreſſi ſunt* Platæenſes *quàm olim à* Lacedæmonijs *duce* Archidamo:*tunc enim cùm obſiderentur, duplici muro intercluſi ſuut, at eos* Thebani *mœnibus excluſerūt. Accidit hæc altera oppreſſio* Platæenſibus *anno tertio ante* Leuctricā *pugnam,* Athenis Aſteo *principatum obtinente.* Vrbs *tota à* Thebanis *præter deorū templa exciſa eſt.* Excidij *modus ciuibus æquè omnibus ſaluti fuit.* Eiecti *enim primū ab* Athenienſibus *recepti fuere.* Deinde Philippus *uictoria apud* Chæronean *parta, cùm* Thebanis *præſidium impoſuiſſet, ac omnia ad eorū perniciem moliretur, ipſos etiam tunc* Platæenſes *in priſtinas ſedes reduxit.* Agri *quidem* Plataici, *à recta digreſſis ad læuā paululū,* Hyſiarū & Erythrarum *rudera ſunt: urbes olim* Bœotorū *fuere: ac nunc etiam inter* Hyſiarum *ruinas* Apollinis *templum eſt, dimidiata ſui parte perfectū. Sacer præterea puteus, de quo (uti* Bœoti *ipſi ſermone ſuo uulgarunt) bibentes uaticinabantur. Hinc in militarem uiam reuerſi, offendant ad dex-*

teram (Mardonij quod eſſe aiunt) ſepulchrum, cùm tamen ſtatim à prælio, Mardonij cadauer nuſpiam inuentũ, ſit con ſentienti hominum uoce proditũ: neq; omnino qui eum ſepe lierit certus quiſquam perhibetur. Satis illud conſtat, Arton tem Mardonij filium luculenta dona Dionyſophani homini Epheſio, et alijs quibuſdã Ionici nominis dediſſe, quò patris ſepeliendi curam ſuſciperent. Atq; hæc quidem uia ab Eleutheris Platæan ducit. Eôdem uerò Megaris contendentibus ad dexteram fons, & paulò progreſſis longius ſaxum eſt, Actæonis nuncupant: nam ſuper eo dormire Actæonem ſolitum dicunt, à uenatione fatigatũ, atq; inde Dianã in fonte proximo lauantẽ aſpexiſſe. Steſichorus Himeræus Actæonem à Diana cerui pelle circundatum ſcripſit, incitatis ad eum lacerandum canibus, ne Semelen uxorem duceret. Ego Actæonis canes facilè adducor, ut credã rabie percitos, cum in quem ſæuirent furentes nõ ſentirent, in quemuis obuium fuiſſe impetum facturos. Qua in parte Cithæronis Penthæo pernicies euenerit, aut recens natus Oedipus ubinam expoſitus fuerit, nouit planè nemo: nam biuium non ignoramus, in quo patrem Oedipus occîdit: in Phocenſibus enim uulgò monſtratur. Eſt Cithæron Cithærenio Ioui ſacer, de quo tũc agemus copioſius, cùm ad ea quæ illic extant, peruenerit oratio. Circa ipſum propè ad Platæan aditum, ſepulchra eorum ſpectantur qui cum Perſis pugnantes ceciderũt. Ac reliquis ſanè Græcis unum eſt & cõmune conditorium: at Lacedæmonijs & Athenienſibus eo prælio peremptis, ſui ſeparatim ſunt tumuli, & in illis inſcripti Simonidis elegi. A cõmuni illo monimento non procul ara dicata fuit Ioui Eleutherio. Sepulchra quidem omnia ex ære ſunt, Iouis ara & ſignum è candido lapide. Ad eam aram ludos quinto quoq;

anno

anno Eleutheria faciunt, maximis de curſu propoſitis præmijs. Armati ante aram decurrunt. Trophæum quod à Platæenſi pugna uictores Græci erexere, x v. ut plurimum ſtadia ab urbe diſtat. Intra urbem ipſam cùm introieris, ea parte qua ara eſt, & ſignum Iouis Eleutherij, Platææ heroicũ uideas monimentũ: de ea iam antè & quæ dicantur, & quæ Platæenſes ipſi opinentur, expoſuimus. Habent Platæenſes Iunonis ædem multò ſpectatu digniſsimam, tam magnitudine, quàm ſignorum ornatu. In primo ingreſſu Rhea ſaxum faſcijs inuolutum pro puero quem pepererat ad Saturnum deſert. Templi numen Taleam, id eſt, adultam Iunonem, uocant. Recto ſtatu fabricatũ ſignum eſt ingenti propè magnitudine. Signum utrunq; è Pentelico lapide Praxiteles fecit. Sedentem uerò Iunonẽ eodem in templo fecit Callimachus: Nympheuomenen, id eſt, Deſponſatam nominant, ob huiuſmodi rei euentũ. Iunonem aiunt iratam Ioui, incertum qua de cauſa, in Eubœan ſeceſsiſſe: Iouem cùm placare eam non potuiſſet, ad Cithæronẽ, qui tunc Platæenſibus imperabat, ueniſſe: fuiſſe uerò Cithæronem nemini calliditate ſecundũ. Eius monitu Iupiter ſimulachrum è ligno fabricauit, illudq́; plauſtro ueſtimentis uelatum impoſuit: in uulgus uerò prodidit Platæam eam eſſe Aſopi filiam, quæ ſibi eſſet deſponſa. Id ubi ad Iunonis aures peruaſit, accurrit illicò, & ad plauſtrum accedens, ueſte conſciſſa, ligneam eſſe effigiem comperit, quam nouam eſſe nuptam putarat: falſam ſe itaq; lætanti animo ferens, facilè in gratiam cum Ioue redijt. In eius rei memoriam feſtos celebrant dies, Dædala quæ nuncupantur, quòd priſci lignea ſigna Dædala uocitabant. Quod ſanè nominis ante natum Athenis Dædalum Palamaonis filium, uſurpatum crediderim: quin à Dædalis, ligneis ſcilicet ſimu-

lachris, non autem proprio ac germano nomine, Dædalo ipſi cognomen impoſitum fuiſſe arbitror. Referuntur Dædala ſeptimo quoq; anno, ſicuti mihi narrabat interpres patriæ ſuæ antiquitatũ, re autem uera breuiore temporis ambitu. Verùm cùm ſubtiliter enumerare uellemus media tempora à Dædalis ad altera Dædala, neutiquã id conſequi potuimus. Ludi certè tali peraguntur ritu. Lucus eſt in Bœotia omniũ maximus non longè ab Alalcomenis: ibi perueteres quercus quamplurimæ: in eum lucũ uenientes Platæenſes, carniũ fruſta elixarũ exponunt. Et ſanè cum auibus alijs minus eſt eis negotij: coruorũ uerò turbam, quòd ij omniũ ſunt extis infenſiſſimi, quamdiligentiſſimè arcent. Obſeruant aũt ſi qua carũ alitũ carnem abripuerit, in qua conſederit arbore: nam ex ea ſola materia cædunt ad Dædalum fabricandum: hoc enim nomine ſignum uocant. Priuatim Platæenſes ſacrum faciunt, quæ parua Dædala appellant. Dædala ſanè magna, Bœotij omnes conuentu ſuo celebrant, ſexageſimo quoq; demum anno. Tandiu enim ſolenne ſacrum intermiſſum tradunt, cùm Platæenſes interea domo eiecti exularent. Et in paruis quidẽ Dædalis ſigna quotannis cõparata quaternadena promunt, quæ ſortiti inter ſe, tollunt Platæenſes, Coronæi, Theſpienſes, Tanagræi, Cherronenſes, Orchomenij, Lebadenſes, Thebani. Nam & hi in gratiã redire cõuentus eiuſdem, & ſacriuicem ſuam obire ſibi in animũ induxerunt, poſt reſtitutas nempe à Caſſandro Antipatri filio Thebas: quæ enim oppida minore ſunt dignatione, ea ubi ſua cuiq; ſors obtigerit, ſacri eius ita ſua obeũt munia. Ad Aſopi ripas ſimulachrũ ornant: mulierẽ deinde in plauſtrũ impoſitam pronubã pompæ præficiunt, ac ſortiti quo quiſq; populus loco pompam ipſam traducat, plauſtra à flumine in

ſummam

ſummã Cithæronis verticẽ agũt. Ara ibi in ipſo iugo parata eſt: eam arã hoc exædificãt modo. Quadrata ligna tam aptè inter ſe componũt, ut lapidũ ſtructurã feciſſe uideri poßint: ſarmenta eò cõgeſta in faſtigiũ erigunt. Ex urbibus quidem ſingulis locupletiores Telean *mactata boue*, Iouem tauro, ui no, & odoribus *refertis hoſtijs uenerantur, ſimulq́;* Dædala *ſuper ara collocant. Quibus uerò minus eſt copiarũ, ij reliqua eodem cum diuitibus faciunt ritu, è minoribus tantũ immolant gregibus. Arã correptã ignis cum ijs omnibus quæ porrecta fuerint comburit.* Flammã *in ſublime attolli maximam, maximeq́; è longinquo ſpectabilem nouimus.* Vltra *iugum illud, in quo aram extruunt, ubi ſtad. fermè* x v. *deſcenderis, antrum uideas* Cithæronidum Nympharũ, *Sphragidum nominant.* Vaticinatas *priſcis temporibus* Nymphas *ſermo hominũ uulgauit.* Mineruæ *etiã* Areæ, *ac ſi* Martiæ *dicas, apud* Platæenſes *fanũ eſt: de manubijs erectũ fuit, quas è pugna* Marathonia *cum* Platæenſibus Athenienſes *cõmunicarunt.* Signũ *è ligno eſt inauratũ: eius ſummæ manus & pedes è* Pentelico *lapide magnitudine propè pari cum ea* Minerua, *quam* Athenienſes *in arce ex ære de* Marathonia *præda dedicarũt.* Mineruã *ſanè illam* Platæenſibus Phidias *fecit.* Picturæ *in æde ſunt* Polygnoti, Vlyſſes *patrata procorum cæde:* Onatæ, Argiuorum *prior ad* Thebas *expeditio. Atq; hæ quidem picturæ in parietibus primi aditus cernuntur.* Ad pedes *deæ eſt* Arimneſti *imago.* Dux hic Platæenſiũ *fuit in pugna contra* Mardoniũ, *& antè etiã ad* Marathonẽ. Eſt *&* Cereris cognomẽto Eleuſiniæ Platæis *ſacellũ, et* Leiti *ſepulchrũ: unus hic ex omnibus* Bœotorum *ducibus è bello* Troiano *domũ redijt.* Gargaphiæ *ductum aquæ* Mardonij *equitatus corrupit, quòd* Græcorũ *copiæ quæ contra ſe ſte-*

terant, illa aqua utebantur. In uia quæ à Platæa Thebas du-
cit, fluuius eſt Peroë: filiam fuiſſe Aſopi Peroën dicũt. In cite
riore Aſopi ripa ad inferiora flectentibus, ſtadiũ interuallo
propè X L. Scoli ruinæ ſunt, inter quas extat imperfecta æ-
des Cereris & Proſerpinæ, cum dimidiatis dearũ ſignis. Di
uidit adhuc à Thebano Platæenſem agrum Aſopus. Qui pri
mi Thebaidem terrã tenuerint, Ectenas fuiſſe tradunt, quo-
rum rex fuerit Ogyges homo indigena: ab eo nempe poëta-
rum complures Thebas Ogygias cognomine appellant. Pe-
riſſe hunc populum ferunt peſtilentia. Succeſsiſſe in eas ſe-
des Hyantas & Aonas, Bœoticas (opinor) non alienigenas
gentes. Iam uerò cùm in ea loca Cadmus Phœnicum copias
adduxiſſet, prælio fuſi Hyantes, poſtera nocte profugêre.
Aonas Cadmus deprecantes & ſupplices, manere, & cum
Phœnicibus permiſceri facilè paſſus eſt: & illi quidem uica-
tim habitarũt. Cadmus uerò oppidum, cui & nunc idem eſt
nomen, Cadmean condidit. Sed aucta poſtea urbe inferiori-
bus mœnibus, pro arce Cadmea fuit. Illuſtres omnino Cadmi
nuptiæ fuere, ſi, quod Græcorũ monimentis proditum eſt,
Martis & Veneris filiam uxorem duxit. Ipſius quoq; filiæ,
uiuente etiamnum patre, in magna famæ celebritate fuere,
quòd Semele ex Ioue pepererit, Inò in marinas deas relata
fuerit. Magnæ ſecundum Cadmum opes fuere Spartorum,
quorũ nomina, Chthonios, Hyperenor, Pelorus, & Vdæus:
nam Echionem uirtutis ergò, quem ſibi generũ adſciſceret,
Cadmus dignum duxit. Hos ſanè uiros, quòd nihil amplius
comperti habeam, fabulæ aſſentiens, Spartos, à ſatu quo di-
cuntur è terra editi, appellatos crediderim. Poſt Cadmi in Il
lyrios, & Encheleas Illyricum populum migrationem, Po-
lydorus eius filius paternum imperiũ tenuit. Pentheus qui-
dem

dem Echionis filius, & generis dignitate, & regis amicitia plurimũ pollebat: uerùm cùm eſſet inſolentior, & planè impius, Libero Patri *uiolati numinis pœnas dedit.* Polydoro Labdacus *filius fuit: hunc pater cùm è uita decederet, unà cum regno* Nycteo *in tutelam tradidit. Quæ huc pertinent reliqua, mihi in Sicyoniarum rerum commentario expoſita ſunt, cuiuſmodi ſcilicet mors* Nyctei *fuerit, & quemadmodum ad* Lycum *eius fratrem pueri tutela, &* Thebanorum *principatus peruenerit. Et is quidem* Labdaco *iam adulto regnum reſtituit. Sed cùm non ita multò pòſt, & ipſe* Labdacus *diem ſuum obiſſet, rurſus* Lycus Labdaci *filium* Laium *in tutelam ſuam recepit.* Lyco *iam iterum tutelam gerente,* Amphion *&* Zethus *collecta militum manu agrum inuadunt: &* Laium *quidem periculo ſubtraxerunt ij, quibus curæ fuit prouidere, ne* Cadmi *genus in poſterum aboleretur.* Lycum Antiopes *filij prælio uicerunt. Iidem oppidum inferius cum* Cadmæa *coniunxerunt: urbem totã* Thebas, *ob cognationem, quæ cum* Thebe Nympha Promethei *filia ipſis fuit, nuncuparunt. Huius rei teſtimonio mihi ſunt* Homeri *in* Odyſſea *uerſus:*

Qui portis ſeptingeminis, & turribus altis
Cinxerunt Thebas: *neq; enim ſine turribus auſi*
Incolere, inuicti quanquam illi uiribus eſſent.

De Amphionis *uerò cantu, & quòd muros ad lyram erexerit, nullam prorſus fecit mentionem. Hanc in muſicis famam idcirco eſt* Amphion *cõſecutus, quòd à* Lydis *ob* Tantali *affinitatem modos didicit, primuſq; chordas tres ad quatuor à ſuperioribus inuentas addidit. Atenim qui carmina in* Europam *fecit, is memoriæ prodidit* Amphionẽ Mercurio *magiſtro fidibus didiciſſe, cantu uerò ſaxa & feras mouiſſe. At*

Myron Byzantius heroici carminis & elegorum ſcriptor, Amphionem tradit primum omnium Mercurio aram dedicaſſe, & idcirco lyram ab eo accepiſſe. Aiunt etiam apud inferos Amphionẽ ob eas contumelias plecti, quibus Latonã et eius filios affecit. Ac de eius quidem pœna in ea poëſi mentio eſt, cui Minyas nomen: eſt uerò communi argumento de Amphione & Thamyri Thrace conſcripta. Poſteaquàm Amphionis domus peſtilentia deleta eſt, & Zethus, cum genitum ex ſe puerum ipſa ob certam noxam mater peremiſſet, animi ægritudine contabuit, Laio Thebani regnum detulerunt. Duxit Laius Iocaſtam uxorẽ. Accepit uerò ab Apolline Delphico reſponſum, à filio, ſi quis ei ex Iocaſta naſceretur, ſe interfectum iri: quare recens natum Oedipum expoſuit. At ille cùm adoleuiſſet, patrem occîdit, & matrem ipſam uxorem duxit. Filios uerò nullos ex ea omnino genuiſſe, teſtimonio mihi ſunt, qui in Odyſſea leguntur Homeri uerſus:

Vidi etiam Oedipodis matrem, formoſam Epicaſten,
Quæ fœdo imprudens temerauit crimine uitam,
Gnati iuncta toro: genitorem occiderat ille.
Mox facinus uiſum eſt ſuperis abolere nefandum.

Quî enim eius flagitij fama ſtatim potuiſſet aboleri, ſi quatuor fuiſſent ex Iocaſta liberi ſuſcepti? Verùm Euryganea illos Hyperphantis filia peperit, quod is, qui carmina illa cõdidit quæ Oedipodia nominant, declarat. Onaſias etiam Platæenſibus, triſtem demiſſo uultu, ob filiorum dimicationem, pinxit Euryganeã. Polynices enimuero uiuente adhuc & imperante Oedipo Thebis diſceſſit, metuens ne diris, quibus ipſum pater deuouerat, eſſet obnoxius. Cùm autẽ Argos confugiſſet, et iam filiam ei nuptum dediſſet Adraſtus, Eteoclis

clis fratris accerſitu, poſt Oedipi *mortem* Thebas *reuertit.* Orto *uerò de imperio cum fratre diſsidio, iterũ exulauit: fre tusq́; ſoceri opibus, dum regnum conatur recipere, exercitum quidem perdidit: congreſsi uerò ex prouocatione ſingulari certamine fratres ambo, mutuis confecti uulneribus ceciderunt. Succeſsit* Eteocli Leodamas *filius, imperium regente* Creonte, Menæcei *filio, pueri tutore. Adoleuerat iam* Leodamas, *ac penes ipſum regnum erat, cùm iterum* Argiui Thebas *oppugnatum exercitum miſere. Iis cum exercitu* Thebani *occurrerunt ad* Gliſantem: *cumq́; ad manus uentum eſſet, ibi* Aegialeum Adraſti *filium* Laodamas *occidit. Ab* Argiuis *uerò prælio ſuperatus, cum ea* Thebanorũ *manu quæ illum ultro ſecuta eſt, inſequenti nocte è fuga ſe in* Illyrios *recepit: hoſtes haud magno negotio captas* Thebas Therſandro Polynicis *filio tradidere. Iam uerò cùm* Agamemnonis *copiarum pars, dum ad* Troianum *bellum contenderet, ab inſtituto nauigationis curſu aberraſſet, & in* Myſia *cladem accepiſſet, fors ita tulit ut* Therſander, *cuius in ea pugna præ cæteris* Græcis *uirtus enituerat, à* Telepho *occideretur: eſt uerò ei monimentũ erectum circa* Caici *campos, in* Elæa *urbe, lapis in ſubdiali fori parte, quo in loco ei parentãt, ut ipſi dicunt, incolæ.* Therſandro *mortuo, altera iam claſſe contra* Paridem & Troianos *comparata,* Peneleum *ſibi ducem delegerunt, quòd* Tiſamenus *nondum per ætatem erat imperio capeſſendo idoneus. Interfecto rurſus ab* Eurypylo Telephi *filio* Peneleo, *regẽ* Tiſamenũ *declararunt,* Therſandro & Demonaſſa Amphiarai *filia genitum. Ac is quidem dirarum* Lai & Oedipi *expers fuit: at eas non effugit* Auteſion, *qui nempe ad* Dorienſes *ex oraculo migrare coactus eſt. Eo iam profecto, regem illi ſurrogarũt*

Damaſichthonem nepotem Penelei, Ophelte filium. Dama ſichthoni Ptolemæus filius fuit, Xanthus Ptolemæo, is nempe quem Andropompus in ſingulari certamine nõ uirtute, ſed dolo perculit. Placuit in poſterum Thebanis nõ uni amplius, ſed pluribus reip. ſummam cõmittere: ac ſanè ſecundiore omni ex parte de cætero uſi uidẽtur fortuna. Quæ uerò ipſis uel proſpera, uel ſecus euenerunt, hæc ego maximè memoratu digna comperi. Victi ab Athenienſibus prælio ſunt, cùm illi eo bello quod de agri finibus gerebatur, Platæenſibus opem tuliſſent. Alteram etiam cladem acceperunt ad Platæam, cum iiſdem Athenienſibus acie congreßi, quo tempore Xerxis amicitiã, Græcorũ ſaluti anteponere uiſi ſunt. Atq; huius rei culpa nõ fuit penes uniuerſum populũ: tunc enim paucorum principatus, non patria reip. adminiſtratio uigebat. At profectò ſi Piſiſtrati filij Barbaris in Græciam inuadentib. dominati fuiſſent, dubitari nõ poteſt, quin ipſi quoq; Athenienſes, quòd in Perſarum ſtudia propenſiores eſſent, crimine uacaturi non fuiſſent. Poſteriore dein tempore rurſus Athenienſes ad Delium in Tanagræis uicti ſunt à Thebanis, cùm Hippocrates Ariphronis filius imperator cum magno militum numero cecidit. Lacedæmonijs certè ſtatim poſt Perſarũ diſceſſum, uſq; ad id bellum quod Peloponneſij Athenienſibus intulerunt, cum Thebanis optimè conuenit. Bello autem confecto, & exarmata iam Athenienſium claſſe, non ita multò pòſt Thebani unà cum Corinthijs arma cõtra Lacedæmonios mouerunt. Cùm uerò pugna ad Corinthum & Chæronean ſuperati fuiſſent, mox ad Leuctra, omnium quas de Græcis Græcos unquã reportaſſe nouerimus, maximè illuſtrem ſunt uictoriam adepti. Tunc & decurionatus, quos in ciuitatibus conſtituerunt Lacedæmonij,

nij,ſuſtulerunt,& præfectos Harmoſtas,quos appellabant, eiecerunt.Phocicum deinde bellum,quod Sacrum Græci appellarunt, annos perpetuos x.geſſerunt.In rerum Atticarũ hiſtoria iam antè conſcripſimus,cladem illam ad Chæroneã uniuerſis Græcis calamitoſam fuiſſe:Thebanorum tamen in primis res uehementer attriuit: ſunt enim illi uictorum præſidium coacti intra urbis mœnia recipere, quod poſt Philippi demum mortem, regnante iam Alexandro, eiecere. Quo facto, futura pernicies eſt diuinitus ſignificata. Nam cùm in Legiferæ Cereris ſub Leuctricæ pugnæ tempus araneæ albas circa templi ualuas texuiſſent telas, adorientibus iam fines Macedonibus,longè diuerſa protendentes,nigro omnia opere compleuerunt. Proditum etiam eſt annalibus, in Attica terra cinere pluiſſe anno uno antequàm Syllæ arma ingens Athenienſibus exitiũ importaſſent.Thebani ab Alexandro expulſi cùm Athenas profugi ſe recepiſſent, à Caſſandro Antipatri filio reſtituti ſunt. Ac ad Thebas quidem inſtaurandas egregiam præ cæteris operam nauarunt Athenienſes,adiuuantibus certè Meſſenijs & Megalopolitanis.Reſtituiſſe uerò Thebas Caſſandrũ crediderim Alexandri maximè odio: eius enim domum totam funditus euertere contendit. Nam & Olympiadem Alexandri matrem, ijs Macedonum,qui in eam acerrimis flagrabant odijs,lapidibus obruendam tradidit: & Alexandri filios,Herculem ex Barſine, Alexandrum ex Rhoxane ſuſceptos, uenenis peremit.Neq; ipſe tamen ſatis fortunatus è uita diſceßit:ex morbo enim aquæ ſubter cutem fuſæ, uiuens etiamnũ erumpentibus undiq; uermibus extabuit.Ex eius uerò liberis Philippum natu maximum regno iam inito, tabidi corporis lues ſuſtulit. Cui cùm ſucceßiſſet Antipater,Theſſalonicen illius

matrem interfecit, Philippo Amyntæ filio, & Nicaſipolide genitam. Parricidij ea fuit cauſa, quòd ea plus beneuolentiæ Alexandro, qui erat Antipatri liberûm minimus, impertiret. At hic accito in auxiliũ Demetrio, fratre interempto, matris cædẽ ultus eſt: uerùm intellexit percuſſorẽ paratũ, quẽ ſibi ſociũ adſciuerat. A Caſſandro itaq; deorũ aliquis, quiſquis ille fuerit, meritam pœnam exegit. Thebanis Caſſandri auſpicijs uetus omnis murorum ambitus eſt reſtitutus. Sed oportuit etiam in poſterum magnorum eos malorum minimè expertes eſſe. Cùm enim Mithridati cum Romanis bellanti ſe adiunxiſſent, nulla alia ratione quàm publica Atheníenſium amicitia adducti, Sylla cum exercitu in Bœotiam ingreſſo, periculi terrore, ſtudia ſtatim ſua, mutata ſententia, ad Romanos conuerterunt: non tamen Sylla propterea quicquam de ſua in illos ira remiſit, nam & alia ad Thebanorum fortunas comminuendas excogitauit, & dimidia agri eos parte multauit. Factum uerò ſuum huiuſmodi prætexuit cauſa. Cumprimùm bellum contra Mithridatem gerere cœpit, ob pecuniæ inopiam donaria omnia conflauit, ex Olympia, èx Epidauro, ex Delphici etiam Apollinis templo, quæ Phocenſes reliqua fecerant: inde coactum ſtipendium militi diuiſit. Quò uerò ſacrilegij infamiã redimeret, dimidiam agri Thebani partem dijs adiudicauit. Sed Romanorum liberalitate ereptum agrum poſtea Thebani receperunt. Cæteroquin ad calamitoſiſſimum ſtatum Sylla eos redegit. Aetate quidem mea inferior urbs tota, delubris deorũ exceptis, funditus euerſa eſt: arx tantùm habitatur, Thebarum, non Cadmeæ amplius nomine. Vbi Aſopum tranſieris, ab urbe ipſa x. interuallo ſtadiûm, Potniarum ruinæ ſunt, & inter ipſas Cereris & Proſerpinæ lucus. Signa fluminis

minis accolæ,Potnias deas appellant:ijs ſtato tempore & alia patrio ritu faciunt ſacra,& intra eas ædes quæ Megara, *ac ſi* Baſilicas *dicas,uocant, lactantes ſues mittũt:eos exacto anno ijſdem ferè anniuerſarijs diebus apud* Dodonam *paſcere aiũt:id ut credat,ſibi qui uolet in animum inducat. Eſt ibidẽ &* Liberi patris *ædes,cognomine* Aegoboli,*id eſt,* Capram *cædentis.*Ita *enim aliquando accidit,ut dum ſacrificarent,per temulentiã eò uecordiæ proceſſerint,ut ipſum* Liberi Patris *ſacerdotem occiderint: quod piaculũ cum atrox peſtilentia conſecuta eſſet, ex* Delphici Apollinis *reſponſo, puerum* Libero *iam pubeſcentem mactandum acceperunt.* Sed *non multis poſt annis deum ipſum capellam pro puero ſuppoſuiſſe tradũt.*Potnijs *puteus monſtratur, è quo potantes equas in furorem agi præcipites tradunt.* Quà *eſt à* Potnijs Thebas *iter, ad uiæ dexterã circunſeptus eſt columnis non magna utiq; area.*Ibi *terram diſceßiſſe credũt,cùm* Amphiaraus *ſubito ſoli hiatu eſt abſorptus. Addunt ad fabulã, neq; aues illis columnis inſidere, neq; eius areæ herbam ullum uel ferum,uel manſuetum animal attingere.*Thebani *in ueterum murorum ambitu portas* VII.*habuere,quæ adhuc manent.*Sumpſiſſe *arbitror nomina,*Electridem,*ab* Electra Cadmi *ſorore:* Prœtidem, *à* Prœto *homine indigena. qua uerò hic ætate, & unde genus duxerit,perdifficile eſt inuentu.*Neitidem *nominarunt,quòd in cithara chordarum unã, cui* Nete *nomen,* Amphion *ante hanc portam inueniſſe dicitur.*Audiui *etiã illud aliquando,*Zethi, *qui frater* Amphionis *fuit, filio* Neis *nomen fuiſſe, & ab eo portæ nomen datum.*Iam Crenæam *portam* Altißimam *uocant, quòd eſt ad eam portam* Iouis Altißimi *cognomine ſacellum.*Præter *eas quas connumerauimus portas,eſt quæ* Ogygia,*& omnium*

poſtrema Homolois:*cuius nomen ita nuperrimum eſſe faci lè apparet,ut Ogygiæ antiquiſsimum.*Dicta *uerò eſt* Homo lois *ex eo, quòd in pugna cum* Argiuis *ad* Gliſantem *accepta clade, cùm* Laodamantem Eteoclis *filiũ ſecuti profugiſſent multi,eorum pars una ab itinere in* Illyrios *capeſſen do abhorruit:conuerſi autem in* Theſſalos, Homolen *occuparunt,omniũ qui in* Theſſalia *ſunt montium maximè ferti lem,et aquis irriguũ:illinc à* Therſandro Polynicis *filio poſt liminio reuocati,portam, quà redeuntes urbem introierũt,* Homoloidem, *ab* Homole,*in quo dum exularẽt cõſederant, nuncuparunt.*A Platæa *quidem uenientes* Electris *porta ac cipit: ad eam* Capaneum Hipponoi *filium, dum uehementiore impetu muros aſcendere conatur, fulmine ictum corruiſſe memorant.*Atq; *hoc quidem bellum quod* Argiui *geſſerunt,eorũ omniũ quæ heroicis temporibus inter* Græcos *geſta fuere,longè digniſsimũ,quod hominum memoriæ pro deretur,fuiſſe exiſtimo:eſt enim ab* Eleuſinijs *cũ reliquis* Attici *nominis populis,& à* Thebanis *cum* Minyis *ita pugnatum, ut una ferè exercituum excurſione, & unico conflictu debellatũ fuerit, conuerſis mox ad concordiam & fœdera hominum animis.*At Argiuorum *exercitus in mediam* Bœotiam *ex media uenit* Peloponneſo: & Adraſtus *ex* Arcadia, & *à* Meſſenijs *auxilia in unũ coëgit, cùm interea* Thebanis *à* Phocenſibus *ſtipendium miſſum fuerit,et ex* Minyade *terra à* Phlegyis.*Prælio uerò ad* Iſmenum *inito,in ipſo cõgreſſu* Thebani *ſuperati,& in fugam uerſi, intra mœnia ſe recepere : cumq; eſſent* Peloponneſij *earum artiũ,quibus urbes oppugnantur, omnino ignari,& ira incitati improuidè impetum facerent, eorũ multos de muris* Thebani *occidebãt: quin facta etiam eruptione, diſsipatos turbatis ordinibus*

percu-

perculerunt.Totus itaq; exercitus,uno Adraſto excepto,eſt ad internitionem cæſus. Sed ea Thebanis uictoria magna ſtetit clade. Ex eo uſurpatũ,ut ſi qua uictores pernicies opprimat, Cadmea uictoria dicatur. Non multis pòſt annis,Therſandro duce, Thebas adorti illi ſunt, quos Epigonos, id eſt, Poſteros Græci uocant. Satis autem conſtat,eorum ſigna ſecutos non tantùm Argiuos, Meſſenios,& Arcadas,ſed in auxilium accitos Corinthios etiam & Megarenſes. Thebanis rurſus opem finitimi tulere. Acriter utrinq; eſt ad Gliſantẽ dimicatũ.E Thebanis multi poſt cladem acceptam cum Laodamante effugerũt, reliqui per obſidionem expugnati ſunt. Et hoc quidem bellum eſt uerſibus perſcriptũ. Eorum uerſuum Celænus mentionem faciens, ab Homero factos cenſet, cui multi,& ij non ignobiles autores aſſentiuntur. Ego certè poëſin illam ſecundũ Homeri ſanè Iliadem & Odyſſeam plurimi facio.Et hactenus de bello quod geſſere cum Thebanis Argiui, Oedipi filiorum cauſa, ſatis multa. Non longè à portis cõmune ſepulchrum extat eorum qui in acie cum Alexandro Macedone cõfligentes mortem oppetiere. Monſtrant proximo loco campum, in quo occiſi à Cadmo ad uicinum fontem,draconis dentium facta ſemente (ſi fabulæ eſt fides habenda)terra homines edidit. Ad portæ Homoloidis dexterã collis eſt Apollini ſacer:& collis & deus eodẽ nomine Iſmenius dicitur,Iſmenio fluuio præterfluente.Ab ea parte, in ipſo ad portam aditu, Mineruæ & Mercurij marmorea ſigna ſunt, Pronai,ac ſi Veſtibulares dicas,dij appellantur: Mercurium Phidias, Mineruam Scopas feciſſe dicitur. Templum proximè erectum eſt:in eo ſignũ magnitudine eſt, quod in Branchidis eſt,par:ſpecie etiã ipſa ab illo nihil omnino differt. Eorum ſignorum ſi quis alterum uiderit, & à

quo factū fuerit, cognouerit, nimirum ille haud magno negotio cùm alterum intueatur Canachi opus eſſe cognoſcat: tantùm intereſt, quòd ille in Branchidis Apollo, ex ære, Iſmenius hic è cedro eſt. Eſt eodem in loco ſaxū, ſuper quo Mantò Tireſiæ filiam ſediſſe tradunt: prominet ante ipſum templi ueſtibulum, noſtra etiamnum ætate Mantûs ſellam uocant. Ad templi dexteram effigies è marmore ſunt Heniochæ & Pyrrhæ filiarū Creontis, qui dum Laodamanti Eteoclis filio tutor eſſet, imperium tenuit. Apollini Iſmenio hac etiā ætate puerū claris natalibus, forma & robore præſtantem, annuū ſacerdotem deligūt. Lauriger ei cognomen eſt, quòd laurea coronatur. Non habeo ſatis compertum, an omnes laureati pueri ex patrio inſtituto æneum Apollini tripodem dedicent: exiſtimo certè nulla lege illos teneri, paucos enim illic tripodas uidi. E ditiſſimis certè orti parentibus pueri omnes dedicant. Eorū tripodum eſt maximè inſignis cùm operis uetuſtate, tum hominis dignitate, quem Amphitruo dedicauit, Hercule laurum geſtante. Supra Iſmenij, fontem uideas quem Marti ſacrum dictitant, & à Marte fontis cuſtodiam draconi demandatā. Propè eſt Caanthi tumulus: Meliæ fratrem, Oceani fuiſſe filium Caanthū dicunt: miſſum uerò à patre ſororem raptam quæſitum: cùm in Apollinis eam eſſe poteſtate comperiſſet, neq; omnino abducere puellam potuiſſet, ignem in lucum, quem Iſmenium uocant, inijcere auſum: ob eam rem (uti narrant Thebani) ſagittis ab Apolline confixum. Eſt illic quidem Caanthi ſepulchrum. E Melia uerò Apollinem aiunt filios duos ſuſcepiſſe, Tenerum & Iſmenium: illi diuinationem dediſſe, ab Iſmenio fluuium nomen accepiſſe, cùm tamen neq; antè nomine caruiſſet: nam & priuſquàm Iſmenius Apollini naſceretur, Ladon hic amnis

nis nuncupabatur. Ad læuam eius portæ cui Electridi nomen, domus rudera ſunt, quam inhabitaſſe Amphitruonem memorãt, cùm è Tirynthe Electryonem fugiſſet. Manet inter ea rudera Alcmenæ thalamus, quem à Triphonio & Agamede exædificatum Amphitruoni, Thebani dicunt, id olim atteſtante inſcriptione:

Alcmenam ſibi connubio cùm iungere uellet
Amphitryon, thalamum hunc elegit, quem fabricarunt
Anchaſius mira arte, Trophonius, atq; Agamedes.

Oſtendunt etiam Herculis ex Megara liberûm ſepulchrum. Neq; tamen de eorum morte ijs omni ex parte aſſentiuntur, quæ ſunt ab Himeræo Steſichoro, & Panyaſsi in uerſus relata: addunt enim Thebani Herculem præ inſania ipſum etiam Amphitruonem occiſurum fuiſſe, niſi lapide ictus ſomno ſe dediſſet: eum lapidem Mineruã ieciſſe: Sophroniſtra, hoc eſt, reſipiſcendi autorem nominant. Sunt eodem in loco fœminarum imagines, minus eminenti figura, cuiuſmodi Typi appellantur. Eorũ ſignorũ parum eſt perſpicua præ uetuſtate ſpecies: Pharmacidas, id eſt, Veneficas uocant Thebani: miſſas uerò à Iunone aiunt, quò parturienti Alcmenæ impedimento eſſent. Sed eas, dum Alcmenæ partum cohiberent, Tireſiæ filiam Hiſtoridem tali aſtu eluſiſſe: ex eo nanq; loco unde ipſæ facilè audire poſſent, clamauit peperiſſe iam Alcmenam: illas ea uoce deceptas ſtatim abiſſe, Alcmenam illicò puerũ enixam. Herculis illic templum cum ſigno è candido lapide, Promachum, id eſt Propugnatorẽ, uocant: Xenocriti & Eubij Thebanorum opus. Nam ligneum ſimulachrum priſci operis Dædali fuiſſe arbitrantur: quod ut credam, & ipſe facilè adducor. Dedicaſſe tunc Dædalũ ferunt, cùm è Creta fugiens, bene de ſe merito deo gratiam retulit.

Cùm enim ſibi & filio Icaro nõ magna ædificaſſet nauigia, primusq; omnium uelificationem adinueniſſet, quo Minois claſſem, quæ remis tantùm utebatur, ſecundo impulſi uento anteuerterent, tunc ipſe quidem incolumis appulit: Icari uerò nauem, imperitia gubernantis euerſam tradũt: ſub undis enectum, maris æſtu delatũ in inſulam iuxta Pergamũ, cuius nomen nondum proditum fuerat: Herculem cum fortè in illa loca ueniſſet, agnitũ cadauer ſepeliſſe, ubi hac etiam ætate nõ magnus terræ agger extat, in promontorio, quod Aegæo mari imminet. Ab Icaro ſanè & inſulam, & quod eam incingit mare, nomẽ accepiſſe. Thebanis ſub ipſo templi culmine circa Tholum complures ex duodecim Herculis laboribus fecit Praxiteles. Quæ prætermiſit, ſunt Stymphali aues, & Eleæ terræ purgatio: pro illis eſt cum Antæo lucta. Thraſybulus quidem Lyci filius, totaq; illa Athenienſium exulum manus, quòd Thebis mouentes expulſis XXX. tyrannis patriam recepiſſent, in Herculis fano, Mineruã & Herculem ipſum, coloßi ſpecie, è Pentelico lapide, Alcamenis opus, poſuerunt. Iam uerò gymnaſium & ſtadiũ utrunq; de Herculis nomine appellatum, cum templo cõiuncta ſunt. Supra lapidem Sophroniſtera eſt Apollinis ara cognomento Spondij, è uictimarũ cineribus congeſta. Ominum ibi diuinatio obſeruatur, qua præ cæteris maximè Græcis, uti Smyrnæos noui: eſt enim apud illos in exteriore murorum ambitu ad omina captanda ſacrata ædes. Apollini uerò cognomine Cano, taurum priſcis temporibus immolabãt Thebani: ſed cùm ita accidiſſet ut ſtato feſtoq; die hoſtiam cæden di tempus inſtaret, qui uerò ut taurum adducerent mißi fuerant non uenirent, de plauſtro prætereunte bouem alterum arreptum mactarũt: ex quo inſtitutum, domito boue facere.

Vulga-

Vulgatus eſt præterea inter Thebanos ſermo, Cadmum Delphis in Phocidem uenientem, ducem itineris bouem habuiſſe: emptam illam de Pelagontis bubulcis, & in utroq; latere inſignem fuiſſe candida nota in Lunæ ſpeciem iam plenæ. Oportebat autem Cadmum cum ſocijs & exercitu, ex oraculi reſponſo ibi conſiſtere, quo loco bos feſſa procubuiſſet. Illum ipſum locum hodie quoq; oſtendūt. In eo ſub diuo ara eſt Mineruæ cum ſigno, quod à Cadmo dedicatū perhibent. Refellitur facile eorum error, qui in Thebanorum fines Aegyptium, non Phœnicem Cadmum ueniſſe putant, uel ipſo huius Mineruæ nomine: Siga enim, Phœnicum, non Sais, Aegyptiorū lingua dicitur. Tradūt præterea Thebani, quo loco eſt arcis nunc forum, Cadmi domum fuiſſe. Harmoniæ uerò thalamorum ruinas monſtrant. Semeles item thalamū, quem ætate etiam noſtra ab hominū acceſſu cuſtodiunt. Eſt à Græcis in literas relatum, Muſas Harmoniæ nuptias carmine celebraſſe. Fidem ijs qui hoc credant facit, quòd in foro locus eſt, ubi deas cantaſſe aiunt. Eſt etiam memoriæ proditum, cum eo fulmine quo icta eſt Semele, de cœlo lignum decidiſſe in eius thalamū, quod cùm ære Polydorus exornaſſet, Liberum Cadmeū appellauerit. Propè eſt Liberi ſignū, quod Onaſimedes è ſolido ære fecit. Nam Cadmum ei Praxitelis filij elaborarunt. Poſita illic etiam ſtatua eſt Pronomi tibicinis, qui unus maximè appoſitè omnium ad aures multitudinis permulcendas tibijs cecinit. Hic cùm diuerſæ eſſent ob diuerſa modorū genera tibiæ, & non ijſdem omnino Dorij, Lydij, & Phrygij modi incinerentur, primus eiuſmodi tibias excogitauit, quæ inflatæ modos omnes eædem redderent. Idem etiā & oris guſtu, & corporis motu mirificè dicitur ſpectatores in theatris delectaſſe. Extat eius cantilena,

quã Chalcidenſibus Euripi incolis fecit, ut eo carmine Delũ uenientes,loci numina ſalutarẽt.Huic itaq; uiro Thebani,et Epaminundæ Polymnidis filio, in quo diximus loco ſtatuas poſuere.Epaminundæ quidem maiores ualde illuſtres generis claritate fuere: eius uerò pater tenuiore fuit inter Thebanos re familiari,quàm alius permediocris quiuis: filium tamen à puero patrijs omnibus diſciplinis accuratiſsimè erudiendum curauit: ipſe ab ineunte iam adoleſcentia ad Lyſin Tarentinum ſe diſcendi cauſa cõtulit, hominem Pythagoræ præceptis egregiè inſtructum.Bello quod geſſere cum Mantinenſibus Lacedæmonij, miſſus eſt cum alijs Thebanis in Lacedæmoniorũ auxilium Epaminundas. Is Pelopidam ſaucium magno ſuo periculo in pugna ſeruauit: ac deinde cùm legatus ueniſſet Spartã quo tempore Lacedæmonij pacem eam,quæ Antalcidæ uocatur,ſancire decreuerant, & Epaminundã rogaſſet Ageſilaus,nunquid ſingulas urbes in pacem iurare ſituri eſſent Thebani: reſpondit ille, Non utiq; Spartane,priuſquã ueſtros uideamus ſingularũ urbium finitimos iuraſſe.Iam uerò cùm bellum inter Lacedæmonios & Thebanos cœptum eſſet geri, & cùm ſuis, tum ſociorũ opibus freti uehementer Thebanos Lacedæmonij urgerẽt, ipſe cum exercitus parte ſupra Cephiſsidem paludem,quà Peloponneſij eruptionem facturi erant,caſtra poſuit.At Cleombrotus Lacedæmoniorum rex ad Ambroſſum in Phocenſes agmen uertit: mox Chærea, & ijs quibus fuerat eius aditus cuſtodia cõmiſſa, interfectis, ad Leuctra in Bœotiam penetrauit: eo in loco cùm ipſi Cleombroto,tum uniuerſis Lacedæmoniorum copijs dira oſtenta euenerunt.Mos fuit Spartanis ad bellũ proficiſcẽtibus greges in extremo agmine habere,quo & ad ſacra,& antequã ſigna conferrent, ad litan

dum

dum hoſtiæ in promptu eſſent. earum pecudum duces itineris erant capræ, quas Catœadas nominant paſtores. Tunc quidem gregem inuadentes lupi, ouibus nullā ſanè noxam intulerunt, ſolas uerò Catœadas necarunt. Dicuntur etiam Lacedæmonij filiarum Scedaſi clade illa diras luiſſe. Scedaſo Leuctris domicilium habenti filiæ fuere Molpia & Hippò. Eas iam nubiles Lacedæmonij homines, Parathemidas, Phrudarchidas, & Parthenius, per uim uitiarūt. Puellæ tam inſignem cōtumeliam minimè ferendam ratæ, laqueo uitam finierunt. Ipſe etiam Scedaſus, cùm iudiciū poſtulanti datum non fuiſſet, Leuctra reuerſus uoluntaria morte dedecus effugit. Huic Scedaſo Epaminundas, eiusq́; filiabus parentauit, uotaq́; nuncupauit, profeſſus præliū non magis pro Thebanorum ſalute, quàm eam iniuriā ulciſcendi cauſa cōmiſſum iri. Sed Bœotij nominis ducū, nō una omnino fuit ſententia: nam Epaminundæ, Malgidi & Xenocrati placebat quamcelerrimè pugnam capeſſere: Damoclidas uerò, Damophilus & Simangelus congrediendum neutiquā cenſebant, ſed coniugibus & liberis in Atticam amandatis, ad obſidionem ſuſtinendam quæ pertinerent eſſe omnia comparanda. Atq́; horum quidem VI. in hunc modum conſilia uariarunt. Vbi uerò ſeptimi, qui ad Cithæronis anguſtias præſidio fuerat præfectus, Branchyllides ei nomen fuit, ſuffragio eſt eorum qui Epaminundæ aſſenſi fuerāt ſententia comprobata, decreuerunt omnes prælio belli fortunā experiri. Erant cùm alij ex Bœotis Epaminundæ ſuſpecti, ſed præ cæteris Theſpienſes: ueritus igitur ne dum manus conſererentur, partes proderent, poteſtatem fecit omnibus qui uellent, è caſtris domum concedendi. Quare cùm Theſpienſes, tum reliqui, qui à Thebanis erant alieniores, ſub ſuæ quiq; nationis ſignis

diſceſſere, priuſquã eſſet ad manus uentum. At Lacedæmoniorum ſocij conceptum in illos iam antè animo odium faci lè declararũt, nempe qui neq; locum tenuerint, & in quam partem hoſtis impreßionem fecißet, terga dederint. Aequauit inter duas acies certamẽ, quòd priſtina rei militaris ſcientia, & patriæ gloriæ retinendæ cura Spartanos incitabat. Thebani ſibi pro patria, pro coniugibus & liberis propoſitum certamen uidebant. Poſtea uerò quàm & alij de Lacedæmoniorum primoribus, & rex ipſe Cleombrotus occubuit, ibi Spartanos, tametſi grauiter affectos, adegit neceßitas, ut locum pugnando tuerentur ſuum: erat enim magno apud Lacedæmonios dedecori, regis cadauer ſinere in hoſtium eſſe poteſtate. Thebani certè uictoriam adepti ſunt omnium præclarißimã, quas de Græcis Græci unquam reportauerint. Poſtero die Lacedæmonij ſuorum cadauera ad ſepulturam, miſſo ad Thebanos caduceatore, popoſcerunt. Epaminundas uerò cùm ſciret maximè in dißimulandis calamitatibus ſuis callidos eſſe Spartanos, ſocijs ſe prius eorũ cadauera tollendi facultatem daturum reſpondit, ac deinde ſe facile ſuos à Lacedæmonijs humari paſſurum. Quod cùm ita conſtitutũ eſſet, ſociorum alij, ſuos non fuit omnino quòd tollerẽt, cùm neminem amißiſſent: alij quampaucißimos deſiderarunt: Lacedæmonijs confiteri neceſſe fuit ſuorum illam ſtragem fuiſſe maximè. De Thebanorũ quidem & eorũ qui permanſerãt Bœotorũ numero, quinq; duntaxat & XL. deſiderati fuere, cùm è Lacedæmonijs ipſis plures quàm mille cecidiſſent. Poſt pugnam edicto permiſit cæteris Peloponneſijs, ut domos quiq; ſuas redirẽt: ſolos Lacedæmonios ad Leuctra interclusos tenuit. Verùm cùm certior factus eſſet populariter Spartanos ex urbe effuſos ſuis in auxiliũ uenire, hoſti

bus

bus quò uellent abeundi ſub certis conditionibus poteſtatem dedit, ſuis aſſerens multò eſſe optabilius, ex Bœotia *bellũ in* Laconiã *propulſare.* Theſpienſibus, *quòd et uetera in ſe* The*banorum odia, & recentem eorum felicitatem ſuſpectam haberent, uiſum eſt urbe relicta* Cereſſum *confugere. Eſt* Cereſſus *caſtellum in* Theſpienſi *agro munitiſsimum, quò & antè multò ſe in agrũ ſuũ cum exercitu inuadentibus* Theſſalis *receperant. Quo tempore cùm* Cereſsi *expugnandi ſpes poſt longos conatus* Theſſalos *fruſtrata eſſet,* Delphos *dei conſulendi cauſa miſerunt, à quo huiuſmodi oraculum eſt redditum:*

Leuctra mihi umbroſa, eſt curæ quoq; Alesſia tellus:
Et Scedaſi ſoboles geminæ miſeranda puellæ.
Pugna illic atrox miſcebitur: haud erit ullus
Qui ſciat hoc hominum: lumen iuuenile priuſquàm
Perdiderint Dores, *fatalis ubi ingruet hora,*
Excindi poterit, alia nec ſorte Cereſſus.

Epaminundas *expugnato* Cereſſo, *ac* Theſpienſibus *qui illuc confugerant eiectis, ad* Peloponneſi *res ordinandas maturauit, magno ſtudio accerſentibus* Arcadibus: *ac primo ſtatim aduentu* Argiuos *eius amicitiam expetentes ſocios adſciuit:* Mantinenſes *in uicos ab* Ageſipolide *diſperſos in ueterem urbem reduxit:* Arcadibus *autor fuit, ut paruis oppidis, quæ facilè, cùm ſine munitionibus eſſent, expugnari poterant, deletis, in urbem unam, quæ eſt ab eo condita, &* Magna *(uti nunc etiam dicitur) appellata, congregarentur. Exacto imperij tempore, cùm lex capitis pœnam ei, qui imperium continuaſſet, irrogaret, alieniſsimo reip. tempore, non eſſe exiſtimans legis rationem habendam, imperium retinuit: profectusq; cum exercitu* Spartam, *cùm* Ageſilaus

ad pugnam ſuos non eduxiſſet, ad Meſſenen reſtituendã cogitationẽ conuertit ſuam: eos enim qui nunc nomen ſeruãt, Meſſenios, ipſe reſtituit Epaminundas: *qua de re, in exponendis Meſſeniorum rebus, quæ opus fuere, à me ſunt explicata. Interea cùm* Thebanorũ *ſocij diſsipati, fines* Laconici *agri excurſionibus et populationibus infeſtos reddidiſſent, adduxit ea res* Epaminũndam, *ut in* Bœotiam *exercitum reportaret: cumq; iam ad* Lechæum *accederet, ac propè eſſet ut ex locorum anguſtijs & difficultatibus euaderet, occurrit* Iphicrates Timothei *filius cum* Cetratis, *& alijs* Athenienſium *copijs, quas contra* Thebanos *ducebat: ibi* Epaminundas *inuadentes in fugam uertit, & ad ipſa* Athenarum *mœnia perſecutus, ſimulac egredi ad pugnã ſuos uetuit* Iphicrates, Thebas *agmen retro egit. Iam uerò cùm domi cauſam capitis dixiſſet, maieſtatis accerſitus, quòd ſucceſſori exercitum non tradidiſſet, ij quibus iudicandi ſors obtigerat, ne ſuffragium quidem eorum quiſquam inierunt. Poſtea uerò cùm* Alexander Theſſaliæ *tyrannus* Pelopidam *ad ſe cùm priuata tum publica fretũ amicitia uenientem, in uincula conieciſſet, ut eam hominis perfidiam & contumeliam ulciſcerentur,* Thebani *contra illum ſtatim exercitum compararunt, ducemq; eius expeditionis* Cleomenem *declararunt, cuius poteſtati eum, qui tunc ſummo* Bœotiorum *magiſtratu fungens rebus bellicis præerat, ſubiecerunt. Priuatus erat & inter ordinarios* Epaminundas. *Ad anguſtias iam* Thermopylarũ *peruenerãt, cùm* Alexander *ex inſidijs inter aſpreta erumpens, hoſti negocium cœpit faceſſere. Vniuerſus itaq; exercitus cùm ſpem ſalutis in dubium uocari animaduerteret,* Epaminundæ, *ipſis* Bœotiæ *præfectis ſumma uoluntate aſſentientibus, imperium decreuit. Enimuero*

uero Alexander *ſe belli aleæ, ſimulac ad* Epaminundam *imperium translatum intellexit, committere non eſt auſus, ac* Pelopidam *ultro dimiſit. Dum abſuit* Epaminundas, Orchomenios Thebani *ſuis ſedibus expulere, quod ille tulit indigniſſimè, neq; omnino factum ex repub. cenſuit: quin etiam affirmauit, ſi adfuiſſet, nullo pacto tantum ſe à* Thebanis *facinus commiti paſſurum fuiſſe. Interea cùm alij nemini imperium decerneretur, cum exercitu rurſus in* Peloponneſum *ueniēs,* Lacedæmonios *ad* Lechæū *prælio fudit, cumq; ijs, ex* Achæis Pellenenſes, *& ex* Athenienſibus *eos quos duxerat* Chabrias. *Erat* Thebanis *patrium inſtitutū, ut quoſcunq; ex alijs populis captiuos haberent, precio dimitterēt,* Bœotici *uerò nominis exules capitis damnatos occiderent.* At Epaminundas *cum* Sicyoniorum *oppidum* Phubiā *expugnaſſet, in quo maxima pars erat* Bœotorum *exulum, notis compunctos, qui cōprehenſi fuerant, omnes dimiſit: nam alienæ ſingulos patriæ nominibus uti ei in mentem ueniſſet recenſuit. Iam uerò cùm ad* Mantinean *uictoriam eſſet adeptus, ab* Athenienſi *milite eſt interfectus.* Athenis *ubi equeſtris pugna picta eſt,* Gryllus Xenophontis *filius* Epaminundam *occidēs oſtenditur. Eius pater* Xenophon *nempe is fuit, qui ſe* Cyro *minori contra fratrē* Artaxerſen *ſuſceptæ expeditionis comitē præbuit, idemq; reduces ad mare* Græcos *reportauit. Ad* Epaminundæ *ſtatuā elegi adſcripti ſunt, quibus et alia de eo prædicātur, et quòd per ipſum fuerit* Meſſene *reſtituta, &* Græcis *parta libertas. Elegi huiuſmodi ſunt:*

Conſilijs noſtris laus eſt attrita Laconum,
 Pubeq; Meſſene *floret adaucta noua.*
Iam ualidæ armorum ſeptæ munimine Thebæ,
 Legibus & fruitur Græcia *tota ſuis.*

Atq; hæc quidem ad uiri gloriam pertinent. Proximè abeſt ab Epaminundæ ſtatua Ammonis delubrum, cui ſignum, Calamidis opus, Pindarus dedicauit. Idem etiam ad Ammonios uſque in Libyam Ammoni hymnos miſit. Mea quidem ætate in triangula pila hymnus Pindari extabat, ad aram, quam Lagi filius Ptolemæus Ammoni ſtatuit. Secundùm Ammonis apud Thebanos Tireſiæ eſt, quod Auguraculum appellatur. Proximè Fortunæ ædes: fert dea Plutum infantem. Tradunt Thebani, manus & os eius ſigni fabricaſſe Xenophontem Athenienſem, reliqua Calliſtonicum ciuem ſuū. Callidum ſanè fuit cōmentum, in manus Fortunæ tanquam uel matris uel nutricis, Plutum ponere. Neq; minus prudenter Cephiſodotus, qui Pacem Athenienſibus fecit, Plutum in ſinu habentem. Sunt etiā Thebanis Veneris ſigna lignea tam antiqua, ut ab Harmonia poſita dicantur. Fabricata ea quidem ſunt de roſtris Cadmi nauium. Tres Veneres ſunt, quarum unam Cœleſtem, Popularem alteram, tertiam Apoſtrophiam nominant: cognomina impoſuit Harmonia, Vraniæ, purum ſignificans, & corporum cupiditate uacantem amorem: Popularis, ob Venerios congreſſus: iam uerò Apoſtrophiæ numē coli inſtituit, id eſt, Auerſatricis, quò ab exlege cupiditate, & inceſtis ſtupris hominū genus auerteret. Multa enim apud Barbaros, multa apud Græcos ſciebat Harmonia per nefarios concubitus turpiter cōmiſſa, qualia poſtea de Adonidis matre, de Phædra Minois filia, deq; Tereo Thraciæ rege decantata ſunt. Cereris quidem fanū, Cadmi & eius poſterûm domum aliquando fuiſſe dicunt. Deæ ſimulachrum ſupra pectus duntaxat in aperto eſt. Fixa eo in loco ſunt ænea ſcuta: fuiſſe illa procerum Lacedæmoniorum aiunt, qui ad Leuctra ceciderant. Ad eam portam quæ

Prœtis

Prœtis dicitur, theatrum ſurgit. Theatro proxima eſt Liberi Patris ædes cognomento Lyſij. Cognominis cauſa, quòd cùm olim captiuos complures ex Thebanis uinctos Thraces abducerent, eos cùm ad Haliartiorũ fines uentũ eſſet, uinculis ſolutos deus dimiſit, moxq; illis Thracas ſomno oppreſſos occidendos præbuit. Alterum quod in ea æde ſignũ eſt, Semeles eſſe dicunt Thebani: ac ſtatis quidem diebus quotannis templum aperire patrius illis mos. Sunt ibidem Lyci domus ruinæ, & ſepulchrum Semeles: nam Alcmenæ non ſepulchrum illud eſt, ſed eam ipſam poſt mortem in lapidem illum conuerſam memorant: neque omnino de ea idem eſt Thebanis qui Megarenſibus ſermo. Diſſentiũt enim plerũq; inter ſe alijs item de rebus pleriſq; omnibus Græci. Erecta etiam ſunt apud Thebanos Amphionis liberis monimenta, ſeorſum maribus à fœminis. Prope eſt Dianæ delubrum Eucleæ, quod eſt ac ſi Glorioſæ dixeris. Signum Scopæ opus eſt. Sepultas in templo Antipœni filias dicunt Androcleam & Alcidem. Cùm enim Thebani duce Hercule cum Orchomenijs prælium commiſſuri eſſent, oraculum redditum eſt, eius belli uictoriam penes eos fore, quorum ſe ciuis, qui generis claritate præſtaret, ſibi ipſi manus cõſciſceret. Erat Antipœnus natalium dignitate omnium ſuorũ ciuium facilè princeps, ſed adduci is non poterat ut libenter mortem pro populi ſalute oppeteret: at eius filiæ alacriter ſe deuouerunt. Necem itaq; cùm ſibi ipſæ conſciſcent, publicos promeritæ ſunt honores. Ante ædem Eucleæ, leo è lapide factus collocatus eſt. Dedicaſſe dicitur Hercules, uictis in pugna Orchomenijs, & eorum rege Ergino Clymeni filio. Proximè abeſt Apollo Boëdromius, & qui Agoræus, id eſt, Forenſis, uocatur Mercurius: fuit & hoc Pindari donum. Diſtat filiorum

Amphionis rogus à ſepulchris dimidiũ ſtadij. Permanet adhuc in eo rogo cinis. Prope Amphitruonem duo ſunt Mineruæ lapidea ſigna, Zoſteriæ cognomento: illic enim dicitur arma induiſſe Amphitruo, cum Eubœenſibus et Chalcodonte cõgreſſurus. Ipſum uerò arma inducre, ueteres cingere dixerunt. Nam et Homerũ, cùm Agamemnonem Marti ſimilẽ zona feciſſet, de armorũ ornatu id intelligi uoluiſſe putant. Extat Zethi & Amphionis cõmune monimentum, terræ non ſanè magnus tumulus: ex eo, qui Tithorean Phocenſiũ incolunt, terrã ſurripere magnopere ſtudent: eo uerò id agunt tempore, cùm Sol Taurum permeat: tunc ſi amotã ex eo tumulo terram iniecerint, ager ſuus Tithoreenſibus fœcundior redditur, Thebanis longè ſecus: quare per eos dies diligenter ſepulchrum cuſtodiunt. Id ita eſſe ex fatidicis Bacidis carminibus perſuaſum eſt utriq; urbi. Sunt uerò ea carmina huiuſmodi;

Inferias quando à Tithorenſi plebe, preceſq;
Et uota accipiet cum fratre Amphione Zethus,
Phœbus Agenoreum irradiat cum lumine Taurum:
Tum noxam ingentem uitato quæ ingruit urbi.
Nanq; ſuos fœtus olim terra ægra negabit,
E Phoci donec ſcindatur gleba ſepulchro.

Phoci monimentum Baccis ideo dixit, quòd Lyci uxor Antiope præ cæteris dijs Libero Patri honorem habebat. Cùm uerò ab eo contendiſſet quæ uulgò prodita ſunt, deũ illi aiunt uehementer ſuccenſuiſſe, & ex eo, uti acres & immodicæ ſunt à dis animaduerſiones, immiſſo furore mente captã per totã Græciã Antiopen erraſſe: Phocum uerò Ornytione Siſyphi filio genitum inſaniæ morbo eam liberaſſe, & uxorem duxiſſe: quocirca cõmune Antiopæ & Phoco monimentum

mentum poſitum fuit. At eos lapides qui Amphionis tumulo ſubiacent, nulla cura aut arte elaborati, ea tradunt eſſe ſaxa quæ Amphionis cantum ſecuta fuerant. Nam & de Orpheo carminibus proditum eſt, feras fidibus canentem ſecutas. Thebis Chalcidem à Prœtide porta iter eſt. In ipſa militari uia Melanippi ſepulchrum oſtenditur, uiri bellicis laudibus Thebanorum longè præſtantiſſimi, qui cùm Thebas Argiui oppugnatum ueniſſent, Tydeum & Meciſteum Adraſti fratrem occìdit: interfectus uerò & ipſe ab Amphiarao dicitur. Huic tumulo proximi ſunt rudes lapides tres. Qui Thebanorum uetuſtas res cõmemorant, ibi Tydeum ſitum eſſe autumant, & à Mœone ſepultum. Homeri uerò ex Iliade uerſum in huius rei teſtimonium proferunt:

Tydeos, alta tegit Thebis quem terra ſepultum.

Exin proxima ſunt Oedipi filiorum ſepulchra. Ad ea quæ ſuſcipiuntur ſacra, etſi ipſe nõ ſpectaui, narrantibus tamen fidem habui: aiunt enim Thebani, & alijs ex ijs qui heroës uocantur, & Oedipi filijs inferias à ſe mitti. His certè dum adolent, cùm flammam, tum emiſſum ex ea fumũ, in partes duas diſcedere. Id ego ut crederem, facilè me adduxit quod in Myſia, quæ ſupra Caicum eſt, uidi. Eſt ibi modica urbs, Pioniæ appellata, cuius conditorem Pionin de poſteris Herculis unum perhibent. Huic dum parentant, ſponte fumus è ſepulchro exilit. hoc ipſe dum accideret uidi. Tireſiæ etiam monimentum, quod abeſt à ſepulchro filiorum Oedipi ſtadia ferinè XV. oſtendunt Thebani. Verùm cùm & ipſi fateantur Tireſiam in Haliartia è uita exceſſiſſe, honorarium eſſe, qui apud ſe eſt, tumulum credunt. Eſt etiam ad eam, quæ Oedipodia appellatur, aquam, Hectoris Priami filij apud Thebanos monimentum: eius enim oſſa ex huiuſmodi

oraculo ab Ilio ſe deportaſſe tradunt:

Excelſa incolitis Cadmi qui mœnia Thebas,
Si patriam optatis nunquam non eſſe beatam,
Ex Aſia transferte domum magni Hectoris oſſa:
Hîc Iouis imperio heroëm ſua iuſta manebunt.

Oedipodia uerò aqua idcirco eſt nuncupata, quòd in ea paternæ cædis cruorem Oedipus abluerit. Proximè ad eius aquæ fontem eſt Aſphodici ſepulchrũ. Hic Aſphodicus, ſicuti opinantur Thebani, Parthenopæũ Talai filiũ, dum pugna cum Argiuis committeretur, occîdit. Nam Thebaidis carmina, quæ ſunt de Parthenopæi cæde, Periclymenũ eius interfectorem fuiſſe teſtantur. In hac eadem militari uia uicus eſt Teumeſſus, ubi occultatam à Ioue Europam ferunt. Eſt & alius de Teumeſſia uulpe ſermo hinc ortus, Bacchum ſcilicet iratum ad Thebanorum perniciem eam feram aliuoluiſſe: quæ cùm iam propè ab eo cane, quem Procridi Erechthei filiæ Diana dono dedit, caperetur, & uulpes & canis in lapidem ſunt conuerſi. Eſt Teumeſſi Mineruæ Telchiniæ ædes, in qua nullum extat ſignũ: Deæ cognomen conijci poteſt à Telchinibus, qui in Cypro olim fuerunt, extitiſſe: eorũ enim partem, cùm in Bœotos ueniſſent, ibi Mineruæ, credibile eſt, templum Telchiniæ dedicaſſe. A Theumeſſo ſtadia ad læuam VII. progreſſis, Gliſantis ruinæ ſe oſtendunt. Adiacet ad uiæ dexteram tumulus non ſanè magnus, cùm agreſti ſylua, tum conſitis arboribus opacus: illic humati ſunt, qui Aegialeum Adraſti filium ſunt ad bellum Thebanum ſecuti, Argiuorum proceres, & inter eos Promachus Parthenopæi filius. Aegialeo uerò ipſi Pagis monimentum erectum, iam antè dum Megarenſium res perſequerer expoſui. Quà Thebis rectà Gliſantem iter eſt, regiunculã ui

deas ſelectis lapidibus circumſeptam: Serpentis caput Thebani uocant. Serpentem ſanè, quocũq; ille fuerit nomine appellandus, è cauerna luſtri ſui caput exerentem, gladio à Tireſia, cùm fortè illuc ueniſſet, percuſſum tradunt, atq; ex eo, loco nomen inditum. Supra Gliſantem mons eſt, cui nomen Supremo, Hypaton ipſi nominant: & in eo Supremi Iouis eſt templum cum ſigno. Torrentem fluuium præterlabentem Thermodontẽ nuncupant. Teumeſſum & in uiam, quæ Chalcidem ducit, regreſſis in conſpectu eſt Chalcodontis monimentum: qui cùm prælium inter Thebanos & Euboœnſes fieret, ab Amphitryone eſt occiſus. Cernũtur exinde urbium Harmatos & Mycaleſſi ruinæ: illi nomen, quòd eo in loco, non autem ubi Thebani dicunt, Amphiaraum cum curru in terræ uoraginem deſcendiſſe Tanagræi memorant. Nam ex eo Mycaleſſum appellatam eſt utriuſq; populi conſenſu, quòd bos ea quæ ad Thebas Cadmo, & eius ſocijs dux fuit, illic immugierit. Quemadmodum uerò fuerit hæc urbs ad uaſtitatem redacta, eſt à me in ea, quæ ad Athenienſium res pertinet, hiſtoria expoſitum. In ea, quæ ad mare ſpectat, Mycaleſſi parte, eſt Cereris Mycaleſſiæ fanũ: occludi illud ſingulis noctibus, & aperiri ab Hercule putãt: Herculem uerò ipſum de ijs unum eſſe, qui ſunt Idæi Dactyli appellati. Oſtenditur eodem in loco huiuſmodi miraculũ: Ad ſimulachri pedes poma omnia, quæ fert autumnus, exponunt: ea quãrecentiſſima totum annũ perdurant. Ad Euripi, qua parte is Eubœan à Bœotiorum finibus diuidit, & Mycaleſſiæ Cereris dexteram, paulò longius progreſſis, eſt Aulis. Nuncupatam credunt ab Ogygis filia. Eſt ibi Dianæ ædes, & duo in ea è candido marmore ſigna: faces altera præfert, iaculanti eſt altera ſimilis. Ad eius tẽpli arã, cùm ex

Calchantis uaticinio eſſent Græci Iphigeniam immolaturi, pro puella ceruā mactandā ſubmiſiſſe deam perhibent. Platani *uerò eius, cuius in* Iliade *mentionē facit* Homerus, *nunc etiā in templo reliquā è trunco partem ſeruāt. Proditū memoriæ eſt, cùm* Aulide *aduerſis tempeſtatibus Græci detinerentur, ubi repentè ſecundi uenti flare cœperunt, mactaſſe ſtatim eos* Dianæ, *quaſcunq; uel fœminas uel mares habuit quiſq; in promptu hoſtias: manſiſſe dehinc ritum, ut quauis hoſtia* Aulide *litari poßit. Oſtenditur etiā fons ad quem platanus enata eſt: & in terræ uerruca prope* Agamemnonis *tabernaculū, æneū limen: palmæ uerò ante ædem ſurgunt, fructum ferentes, qui nō eſt omnino ſuauis edentibus, uti palmulæ ex* Palæſtina, *mitiorem tamen ijs quæ in* Ionia *leguntur.* Homines *nō ſanè multi* Aulidem *incolunt, & ij omnes figulinam exercent. agrum colunt* Tanagræi, *& tota* Mycaleßi, *&* Harmatos *uicinia. In* Tanagræorum *finibus ad mare, eſt quod* Delium *uocatur: in eo ſunt* Dianæ *&* Latonæ *ſigna. Vrbis ſuæ primordia* Tanagræi Pœmandro Chæreſilai *filio,* Iaſij *nepoti,* Eleutheris *pronepoti, accepta referūt: &* Eleutherem *quidem ex* Apolline *&* Aetuſſa Neptuni *filia genitū dicunt:* Pœmandrū *ipſum in matrimonio habuiſſe* Tanagrā Aeoli *filiam, cùm tamen* Corinna *uerſibus mandarit,* Aſopi *illam fuiſſe: hanc eò uiuendo ætatis proceßiſſe, ut mutato nomine, à proximis uicinis* Græa, *id eſt, anus, fuerit appellata: quod nomen urbi etiā inditū, eouſq; permanſiſſe, ut* Homerus, *quo loco* Græcorum *populos recenſet, hoc utatur uerſu:*

Theſpian, Græanq;, & latam aruis Mycaleſſum.

Sed interiecto dein tempore priſtinum nomen recepit. Eſt etiam Tanagræ Orionis *monumentum, &* Cerycius *mons,*

in

in quo editum in lucem Mercurium tradunt. Poloſon præte rea, qui dicitur, uicus. In eo Atlantem conſediſſe ferunt, & quæ ſub terra ſunt, & res cœleſtes exacta nimis diligentia inueſtigantem. Quod ab Homero etiam dictum norunt:

Filia magnanimi Atlantis, qui cærula ponti,
Qui cœlum ac terras proſpectat, quiq; columnis
Proceris gemini dirimit confinia mundi.

Eſt in Liberi Patris æde dignũ quod ſpectetur, ſimulachrũ ex Pario marmore, Calamidis opus. Admirationem intuentibus maiorem Triton affert, de quo dignitatis eſt quidã plenior ſermo. Tanagræorum primarias matronas, arcanis Liberi Patris ſacris initiatas, ad mare, quò expiationis cauſa lauarent, deſcendiſſe: in eas natantes Tritonem impetum feciſſe: implorantibus numinis opem, Bacchum præſtò fuiſſe, & ab eo pugna Tritonem ſuperatum. Alter uerò eſt ſermo, non ille quidem ſuperiori par dignitate, ſed à fide hominum minus abhorrens. Quæcunq; ad mare agerentur pecora, ex inſidijs Tritonem adoriri, & rapere: inuadere etiã leuiora nauigia ſolitũ. Tandem Tanagræi uini craterem exponunt: ad eum cùm accurriſſet Triton odore allectus, potũ, & ſomno correptũ, de litoris tumulo præcipitem collapſum, mox à Tanagræo homine bipenni caput ei à ceruice abſciſſum: eo factũ ut & nunc ſine capite cernatur: qui uerò tunc eum temulentum uidere, à Baccho occiſum crediderunt. Vidi ego & alium Tritonem inter Romanorum ſpectacula cætera, ſed hoc, qui apud Tanagræos eſt, magnitudine certè inferiorem. Hanc præ ſe ferunt Tritones figuram: Capitis coma perſimilis eſt paluſtri apio, tum colore, tum quòd capillum omnino nullum ab alijs poßis diſcernere: reliquum corpus ſquama inhorreſcit minuta, ſed eadem propè, qua lima eſt

Triton

duritia: branchias infra aures habēt, nares hominis, rictum oris latiorem, & pantheræ dentes: oculi glauci mihi eſſe uiſi ſunt: manus digiti, ungues, quali ſunt forma ſuperiores conchyliorum teſtæ: pinnulæ ſub uentre & pectore, pro pedibus, uti delphinis. Vidi etiam Aethiopicos tauros, quos ex re ipſa Rhinocerotas nominant, quòd illis è nare cornu prominet, & paulò ſuperius alterū non ſanè magnū: in capite nullum habēt. Præterea & Pœonios tauros ſpectaui, hirto corpore cùm omni ex parte, tum præcipuè pectoribus & mentis. nec minus Indicos camelos: eodem propè quo pardi ſunt colore. Eſt etiam fera, quam Alcen dicunt, media quadam inter ceruū & camelum ſpecie: gignitur in terra Gallia: belluarum hanc unam nequeunt homines aut inueſtigare, aut præuidere: ſed alias indagantibus feras, hanc non conſultò, ſed fortuitù nanciſcuntur. Præſentit alioqui hominem olfactu, ex longo interuallo, ac ſtatim in retruſos anfractus & ſpeluncas confugit. Venatores ubi campeſtres uel montanos ſaltus ad ſtadia fermè mille in orbem cōtinenti indagine cinxerint, ita ut conſtanter omnes, quē quiſq; ceperit in eo ambitu locum obtineant, ad intimos eadem agminis forma receſſus progreſſi, feras omnes in medio comprehendunt, & inter eas Alcen, quæ ſi fortè luſtrum in ea quam obſederint regione non habuerit: nulla utiq; reliqua eſt ad capiendum ſolertia. Iam uerò eam belluam quam Cteſias in hiſtoria de Indis Manticorā ab illis ſcribit appellari, à Græcis ob præcipuam in homines ſæuitiā, Androphagum, non aliam à Tigride eſſe crediderim. Dentium illi in maxilla altera triplex ordo: & in extrema cauda aculeos habet, quibus & ſe cominus tueatur, & uenatores eminus tanquam ſagittis petat. Hanc ego famam, quæ ueluti per manus tradita, inter Indos

incre-

increbuit, minimè ueram eſſe arbitror, ſed præ terrore fuiſſe homines hallucinatos: nam in colore etiam decepti ſunt, cùm rubrum eſſe dixerint, quòd uidelicet ſi quando eam in Sole uiderint, talem, ac ſimilem propè Soli colorē præ ſe ferre uiſa ſit. Aut id fortaßis ex celeritate accidit: ut enim nullum omnino ſuſcipiat curſum, ob miram tamē dum ſe huc illuc conuertit agilitatem, propius utiq; eam intueri ſine periculo non licet. Equidem exiſtimo, ſi quis uel Africæ uel Arabiæ extremos fines peragret, ut cognoſcat nunquid ſint illis in locis quotcunq; ſunt apud Græcos animalium formæ, primùm multas non inuenturum: deinde, quæ ſunt eiuſdem generis, feras alia longè eſſe ſpecie ei uiſum iri: neq; enim homines tantū ex cœli terræq; uarietate diuerſam obtinent formam, ſed idem & reliquis accidit animantibus. Nam cùm Libycæ aſpides eodem ſint quo Aegyptiacæ colore, in Aethiopia haud minus quàm homines nigras terra alit. Quocirca, neq; ad aſſentiendum procliuior quiſquā eſſe debet, neq; ſe omnino incredulum ad ea quæ ſint rariora præbere. Volucres ego ſerpentes nuſpiam ſpectaui: ut reperiri tamē credam, eo maximè adducor, quòd homo Phryx, ſcorpium in locuſtarum modum pinnatum in Ioniam attulit. Sunt Tanagræ iuxta Liberi Patris delubra tria, Themidis unum, alterum Veneris delubrum, Apollinis tertium. In hoc eodem Diana & Latona coluntur. Quod uerò ad Mercurij templa duo attinet, quorū alterum Criophori, id eſt, arietem portantis: Promachi, hoc eſt, Propugnatoris alterum nuncupāt: ſuperioris quidem cognominis eam eſſe cauſam dicunt, quòd peſtilentiam Mercurius auerterit, circunlato in murorum ambitum ariete: ob eamq; rem Mercuriū Tanagræis Calamis fecit, arietem humeris portantem. Qui

ſanè puberibus cæteris forma præſtare iudicatus fuerit, is feſto Mercurij die agnum humeris portans muros circumambulat. Propugnatorem uerò idcirco uocari aiunt, quòd inuadentibus aliquando claſſe ex Eubœa Tanagræum agrum Eretrienſibus, Mercurium ephebos in pugnam eduxiſſe, & ipſum etiam, quippe qui ephebus eſſet, ſtrigili armatum, præ cæteris Eubœenſes in fugam uertiſſe. In Promachi, portulacæ arboris, quæ eſt Græcis andrachne, quòd ſub ea planta educatum Mercurium prodidere, reliquiæ dedicatæ ſunt. Non procul theatrum, & porticum erexerunt. In eo ſanè Tanagræi præcipuã quandam præ cunctis Græcis religionis ratione͂ mihi habuiſſe uidentur, quòd ſeorſum à profanis ædibus deorũ templa ædificanda curarunt, in pura ſcilicet area, & ab hominũ negotiationibus ſeiuncta. Corinnæ quidem, quæ ſola apud Tanagræos cantica fecit, in celebri urbis loco eſt monimentũ: in gymnaſio ipſa picta eſt, tænia redimita: Victoriæ illud inſigne, quòd Thebis carmine Pindarum uicerit: uiciſſe eam arbitror linguæ cauſa: neq; enim Dorica, uti Pindarus, cecinit, ſed ea quam eſſent facile Aeolenſes percepturi. Quòd autem fuerit ea ſui temporis fœminarum formoſiſſima, non eſt difficile ex ipſius imagine coniijcere. Sunt Tanagræ gallinaceorũ genera duo, pugnaces, & qui Merulæ dicuntur: hi eade͂ ſunt qua Lydorũ aues magnitudine, colore coruo ſimiles, palearia & criſta ad Phenij ſimilitudine͂: notas habent candidas in roſtri & caudæ extrema parte. Hæc propémodũ eorum forma eſt. In ea Bœotiæ parte quæ ad læuã Euripo eſt, Meſabius mons ſe attollit. Infra eum eſt maritima Bœotiorũ urbs Anthedon. Nomen ei cõtigiſſe tradunt uel ab Anthedone Nympha, uel ab Anthamo Neptuni filio, ex Alcyone Atlantis filia, quòd is huius

loci

loci dominatu fuerit aliquando potitus. Eſt apud Anthedonios medio maximè urbis loco Cabirorũ templum: & ab eo proximè abeſt ſacer Cereri lucus, cum Proſerpinæ æde. Signum deæ è candido marmore. Liberi uerò Patris templum cum ſimulachro fecerũt ante urbis mœnia, quà ad agrũ inferiorẽ iter eſt. Sũt eo in loco Iphimedæ & Aloëi filiorũ ſepulchra: fuiſſe ab Apolline interemptos in Naxo, quæ ſupra Paron eſt, Pindaro cum Homero conuenit: ſed eorum ſunt Anthedone monimenta. Eſt præterea ad mare locus, quẽ Glauci ſaltum nuncupant. Piſcatorem Glaucũ, & repentè herba quadam guſtata inter maris deos receptũ, & futura prædicere, cùm alij credidere, tum præcipuè nauiculatores multa quotannis de eius diuinatione memorãt, quæ cùm ab Anthedonijs Pindarus & Aeſchylus accepiſſent, illi quidẽ curæ nõ fuit multa de Glauco uerſibus ſuis mandare, cùm Aeſchylus totius fabulæ argumentum à Glauco deduxiſſet. Apud Thebanos ad Prœtidem portam, eſt quod Iolai uocatur gymnaſium: & item ſtadium, quale in Olympia, & in Laurijs, terræ ſcilicet agger. Oſtenditur etiã eo in loco Iolai heroicum moninentũ. E uita uerò illum in Sardinia exceßiſſe, ſimulq; ex Athenienſibus & Theſpienſibus, qui cum eo illuc tranſmiſerant, ipſi etiam Thebani confitentur. Stadium tranſgreßis, ad dexteram eſt Hippodromus, & in eo Pindari monimentum. Pindarum, cùm eſſet adhuc adoleſcentulus, Theſpias proficiſcentem, per æſtatem meridiano calore feſſum ſomnus arctior complexus eſt. Aduolarunt apes, quò paululum de uia diuerterat, & ad eius labia mel adleuerũt. Hoc fuit carmina pangendi Pindaro initium. Cùm uerò iam latè per totam Græciã magna eſſet famæ celebritate, ad gloriæ faſtigium eundem euexit Pythiæ uox, qua Delphi iuſſi

ſunt, æquam omnium, quæ Apollini deferrentur, primitiarum partem Pindaro tribuere. Exacta iam ætate in ſomnis uidere uiſus eſt adſiſtere Perſephonen, & queri, unam ſe ex omnibus dijs non fuiſſe ipſius carminibus exornatã: uerùm ubi ad eam ueniſſet, ſuum etiam ipſi hymnum eſſe facturum. Paulò quidem pòſt, atqueadeo ante decimum ab eo ſomnio diem, uitæ munerib. eſt perfunctus. Erat Thebis anus quædam Pindaro genere cõiuncta, & in multis eius canticis decantandis ualde exercitata: ei Pindarus ſe per quietem oſtendens, hymnũ in Perſephonem cecinit: illa mox experrecta, conſcripſit omnia, quæ cantantem Pindarum per uiſum in quiete audierat. In eo ſanè cantico, inter alia Ditis cognomina, eſt Chryſenius, ab aureis nempe habenis, quod ad Proſerpinæ raptum pertinere ſatis conſtat. A Pindari monimento ad Acræphniũ itur, uia magna ex parte plana: fuiſſe ab initio eam urbem tradunt in Thebani agri parte. Compertum uerò habeo confugiſſe illuc profugos homines, quo tempore Thebas Alexander euertit: illi enim præ corporis imbecillitate, & ſenectute, cùm ne in Atticam quidem recipere ſe potuiſſent, hoc loco conſederũt. Situm eſt oppidum in Ptoo monte. Quæ ſpectentur illic digna, Liberi Patris ædes, & ſignum. Progreſſus ſtadia fermè XV. ab urbe, ad dexteram Apollinis Ptoi templum uideas. Athamantis & Themiſtûs filius fuit Ptous: ab eo Apollini cognomen, & monti nomen datum, ſicuti Aſius uerſibus prodidit. Ante exciſas ab Alexandro Thebas, fuit eo in loco oraculum minimè fallax. Veniſſe aliquando narrant Europenſem hominem Myn nomine à Mardonio miſſum, conſulendi cauſa: ei roganti Perſicis uerbis, reſpondiſſe Deum non Græca, ſed ipſum etiam Barbarica lingua. Superato iam Ptoo monte, eſt ad mare Bœotorum

torum

torum urbs Larymna: *nomen inditum putant à Larymna Cyni filia.* Eius natales altius repetam in exponendis Locrorum rebus. Cum Opunte olim cenſebatur *Larymna: auctis deinde* Thebanorum *opibus, ultro ſe ad* Bœotos *adiunxerunt. Eſt illic* Liberi Patris *delubrum, & recto ſtatu ſimulachrum. Lacus proximus eſt prealti gurgitis. Qui ſupra urbem ſunt montes, luculentã præbẽt uenatoribus aprorũ copiam.* Acræphnio *rectà ad lacum, cui Cephiſsis nomen,* Copaidem *alij nominãt, pergentes, campi accipiũt* Athamantij *dicti: habitaſſe eo in loco* Athamantem *ferunt. Influit in lacum* Cephiſſus *amnis, à* Lilœa Phocenſium *ortus, quà* Copas *nauibus iter. Sunt* Copæ *paruum oppidum, ad lacum ſitæ: eius in recenſenda claſſe mentionẽ fecit* Homerus. *Cereris ibi ſunt, Liberi, &* Sarapidis *delubra. Aiunt* Bœoti *circa eum lacũ alia quondã oppida,* Athenas *&* Eleuſinẽ *habitata, quæ per hybernos dies lacus eluuione fuerint deleta.* Cephiſsidis *piſces nihil ab aliorum lacuum piſcibus præcipuũ habent. Anguillæ certè ex eo lacu maximæ, & eſu ſuauiſsimæ. Vltra* Copas, *ad læuã ſtadia propè* XII. *ſunt* Holmones. *Ab* Holmonibus *ſtadia* VII. *diſtat* Hyettus. *Vici nunc ſunt, uti ab initio ſemper fuerunt: et mea quidem opinione ad* Orchomeniorum *fines pertinent cum* Athamantijs *campis.* De Hyetto *uerò homine* Argiuo *quæ accepi, &* Holmo Siſyphi *filio, in* Orchomeniorum *hiſtoriam conferam.* Holmonibus *ne minima quidem res ulla ſatis digna quæ ſpectetur extat.* Hietti Herculis *delubrum uiſitur, & ex eo morborum remedia expetuntur. Signum nõ eſt arte elaboratum, ſed è rudi lapide priſco more. Ab* Hyetto *abſunt* Cyrtones *ſtadia* XX. *Modico olim oppido priſcum fuiſſe nomen,* Cyrtonem *dicunt: habitatur in ſummo monte, &* Apollinis *illic eſt*

templum, & lucus: Apollinis *recto ſtatu &* Dianæ *ſunt ſigna.*Frigida *emanat è ſaxo aqua. Proximum fonti eſt* Nympharum *ſacellum, & exiguus lucus, in quo omnes arbores conſititiæ ſunt.* A Cyrtonibus *monte iam ſuperato, eſt oppidum* Corſea*:infrà lucus ſylueſtrium arborum, illicum magna ex parte.* In *aprica luci regione ſub diuo eſt* Mercurij *ſignum nõ omnino magnum.* Abeſt *à* Corſea *lucus ſtadij ferè dimidium.* Vbi *in planitiem deſcenſum fuerit,*Platanius *amnis illic in mare exit.* Ad *fluminis dexteram ſunt* Bœotorum *extremi, eius nempe accolæ maris quod* Locrorum *continentem agrum ab* Eubœa *diuidit.* Allas *oppidulum inhabitant.* Sed *ut* Thebas *reuertamur, ad* Neitin *portã eſt* Menœcei Creontis *filij monimentum, qui ſeipſum ultro occidit ex oraculo* Delphici Apollinis, *quo tempore* Polynices *cum* Argiuorum *exercitu* Thebas *oppugnatum uenit.* Ad *eius tumulum malus* Punica *enata eſt, cuius poma, cùm maturuerint, rupto exteriore cortice, ſanguinis neſco quid ſimile oſtendunt.* Hæc *quidem arbor ad perpetuitatem repullulauit.* At *uitem etiam,* Thebani *cùm apud ſe primùm è terra prodiſſe dicant, eius tamen rei indicium, quod hoc tempore monſtrent, nullum habent.* Non *longè à* Menœcei *ſepulchro,* Oedipi *filios aiunt ſingulari certamine pugnantes mutuis uulneribus cõcidiſſe.* Pugnæ *eius documentũ pila erecta cũ lapideo ſcuto.* Oſtenditur *etiã locus, in quo* Iunonẽ Herculi *infanti mammã præbuiſſe quodam* Iouis *dolo tradunt.* Hæc *uniuerſa regio* Syrma, *id eſt,* Tractus Antigones *nuncupatur, quòd* Antigone *cùm* Polynicis *cadauer nullo conatu tollere quiuiſſet, trahere illud aggreſſa eò pertraxit, uſquedum in accenſum iam* Eteoclis *rogum coniecit.* Trans *amnem, cui à* Lyci *uxore* Dirce *nomẽ (ab ea uerò* Antiopen *fa-*

ma fuit iniurioſius tractatã, & ob eam cauſam ab Antiopes filijs interfectã) ſed amne Dirce tranſmiſſo, uideas Pindari domus ruinas, et Dindymenæ matris ſacrariũ à Pindaro dedicatum. Signum deæ Ariſtomedis & Socratis Thebanorũ opus. Die unico anniuerſario ſacrarium aperire ſolenne habent. Eo ipſo die mihi ut adeſſem cõtigit, quare ſignũ id fuit mihi ſpectandi copia: eſt autẽ è Pentelico marmore, ſicuti et ſoliũ. Circa uiã à porta Neitide Themidis fanum eſt, cum ſigno è candido lapide: Parcarũ quoq;, & Iouis. marmoreus eſt Iupiter: Parcis nulla ſunt ſigna. Modico loci interuallo ſtat ſub diuo Hercules cognomine Rhinocoluſtes, quòd caduceatoribus ijs qui ab Orchomenijs ad tributum poſcendum miſſi fuerat (ſicuti narrant Thebani) ad contumeliam nares præcidiſſet. Stadia progreſſus v. & x x. Cabiriæ Cereris et Proſerpinæ lucum uideas, quô intrare initiatis duntaxat fas eſt. Ab hoc luco diſtat ſtadia ferè v i i. Cabirorum ædes. Qui uerò ſint Cabiri, & quo ritu ipſis, & Magnæ matri ſacra fiant, reticẽti mihi, ab ijs hominibus quos hæc audiendi ſtudiũ tenet, eſto uenia. Hoc unum me nulla prohibet religio uel in uulgus efferre, tale fuiſſe ſacrorum initium, cuiuſmodi à Thebanis traditur. Ciuitatem enim quondam in hoc loco, & homines fuiſſe memorant, qui Cabiri ſint nominati: eorum uni Prometheo, eiuſq; filio Aetnæo, hoſpitibus ſuis, Cererem depoſiti neſcio quid commiſiſſe: quicquid enim illud fuerit, & quid in ea re fieri contigerit, literis mandare fas mihi non duxi. Initia certè fuere Cabiræis, Cereris donum. Quo tempore autem Argiuorum exercitus, qui ſunt Epigoni, id eſt, Poſteri, uoce Græca appellati, Thebas expugnarũt eiectis è ſedibus ſuis Cabiræis, intermiſſa per aliquod tẽpus initia fuerũt, donec Pelarge Potnei filia cum Iſthmiade uiro

ſuo myſteriorum ritum reſtituit: extra fines tamen, in eum locũ qui eſt Alexiares dictus, initia Pelargæ tranſtulit. Cùm interea Telondes, & qui reliqui fuerunt de Cabirorum gente, in Cabiræam terram rediſſent, Pelargæ ipſi ex Dodones reſponſo & alij ſunt honores decreti, & ut fœta hoſtia ei fieret inſtitutum. Cabirorum religiones qui uiolaſſent, inexpiabilis ſceleris pœnam effugere non potuiſſe, certiſsimis rerum euentis compertum eſt. Nam quæ Thebis fierent ſacra, cùm eſſent Naupacti profani homines auſi uſurpare, non multò pòſt fraudẽ luerũt. Ex illis etiã de Xerxis copijs, qui duce Mardonio in Bœotia ſtatiua habuerũt, quæ pars in Cabirorum fanum introire non dubitauit, uel ingentis prædæ allecti cupiditate, uel potius, uti ego arbitror, ad numinis cõtemptum, inſania omnes correpti partim ſe in mare abiecere, partim de præruptis rupibus præcipites dedere. Cumq; Alexander ſuperatis prælio Thebanis urbem & agrũ igni ferroq; peruaſtaſſet, qui è Macedonibus intra fanũ Cabirorum irruperũt, omnes aut fulminibus, aut è cœlo miſsis ignibus exanimati ſunt: tanta fuit iam tum ab initio eius templi religio. Ad dexteram Cabirorum campus eſt, à Tenero uate, Teneri dictus: Apollinis hunc & Meliæ filium fuiſſe putant. Eſt etiam Herculis templum cognomento Hippodoti. Herculem enim aiunt cùm ab Orchomeno exercitus in hũc locum ueniſſet, Orchomeniorum equos noctu apprehenſos ad currus uinculis impediſſe. Paululum hinc abeſt mons, unde Sphingem fama fuit ex inſidijs erumpere ſolitã, ad hominum perniciem, cum ſua illa ambigua cantilena: etſi dicunt alij claſſe mare illam, quod ad Anthedonem eſt, piraticis excurſionibus infeſtum reddidiſſe: deinde hoc monte occupato latrocinia exercuiſſe, uſquedum eam Oedipus interfecit,

loci

loci difficultate cum exercitu Corinthiorũ ſuperata. Traditum etiam eſt Lai notham fuiſſe filiam, quam pater, oraculum quod Delphis Cadmus acceperat, pro ſua in illam beneuolentia, edocuiſſet. Eo quidem tempore nihil aliud reges quàm quod ex oraculo cognouiſſent, pro certo habere ſolitos. Quoties itaque de regno eſſet controuerſia, ad Sphingem conſulendi cauſa finitimi uentitabant. Fuere Laio ex pellicibus filij: ſed reſponſum illud Pythij Apollinis, Epicaſtæ tantùm, & liberis quos Laius ex ea ſuſcepiſſet, notum aiunt fuiſſe. A Sphinge aũt dolo fratres ita circumuentos, ut ex ipſis quæreret, num datum Cadmo reſponſum, ſi Lai filij eſſent, cognitũ haberent: quod ſi negaſſent, capite eos ſtatim condemnabat, eo ſcilicet crimine, quòd non eſſent ex ea gente ad quam regnum, de quo diſceptabant, pertineret. Veniſſe uerò ad illam Oedipum, ex quodam ſomnio de oraculo edoctum. A monte, de quo iam diximus, decem abſunt ſtadia Oncheſti urbis ruinæ: ibi quondam habitaſſe dicunt Oncheſtum Neptuni filium. Aetate quidem mea delubrum & ſignum extat Neptuni Oncheſtij, & lucus, quem ſuis Homerus carminibus ornauit. Qui deflexerint à Cabirorum ad ſiniſtram, ſtadia circiter L. Theſpiam peruenient. Vrbs ea infra Heliconem montem condita fuit: à Theſpia Aſopi filia uocatam putant. Sunt qui dicant Theſpiũ Athenis profectum urbi nomen dediſſe: Erechtheo patre genitum perhibent. Eſt adhuc in oppido æneum Saoti, id eſt, Seruatoris Iouis ſignum. Inde ortum habuit religio, quòd cùm in ciues inſigni feritate draco ſæuiret, deus imperauerit ephebos quotannis ſingulos ſorte ductos feræ exponi: & cæterorum quidem qui periere nomina exoleuerunt: eorum uni Cleoſtrato amatorem Meneſtratũ loricam æneam faciundã curaſſe, re-

*ſupinatis extrorſum hamis conſertã: eam loricã puer indu-
tus, cùm ultro draconi occurriſſet, mortẽ quidem oppetijt,
ſed ipſam etiã feram exanimauit.* Ex eo rei euentu Ioui *Ser-
uatori cognomen extitit.* Liberi *ſignum,* Fortunæ *deinceps,
& Salubritatis,* Mineruã *præterea cognomento* Erganen,
& ei aſsiſtentem Plutum *fecit. Venerantur* Theſpienſes *ma-
ximè deorum omnium Cupidinem, cuius eſt ſignum uetu-
ſtiſsimum, rude quoddam ſaxum. Qui primus tantos apud*
Theſpienſes *præ cæteris dis honores Cupidini habendos cen
ſuerit, compertum certè non habeo.* Non minore uerò cul-
tu Pariani *qui circa* Helleſpontum *ſunt, ex* Ionia *oriundi,
(Erythris nempe huc colonia deducta) at noſtra ætate* Ro-
manis *parent, eundẽ proſequuntur deũ. Cupidinẽ certè uul
gus hominum natu deorum minimum, &* Veneris *filium pu
tant,* Lycius *uerò* Olen, *qui antiquiſsimos Græcis fecit hym
nos, in* Lucinæ *hymno, matrem eſſe Cupidinis* Lucinam *ip-
ſam dicit. Et qui poſt Olenem carmina fecerunt,* Pamphus
& Orpheus, *de Cupidine nõnulla uerſibus mandarunt ſuis,
quæ* Lycomedi *initijs celebrãdis cantarentur.* Ego *ſanè quæ
dam cognoui de homine qui ſacras lampadas præferebat,
quæ conſultò reticeo.* Heſiodum *quidem, uel quicunq; is fue
rit, qui à ſe ſcriptum de origine deorum carmen Heſiodi no
mine ediderit, ſatis ſcio prodidiſſe Chaos primùm,* Terram
deinde, Tartarum *&* Cupidinem *genitos.* At Lesbia *Sap-
phò multa de amore, & ea non ſatis inter ſe cõſentanea ceci
nit.* Theſpienſibus *ex ære Cupidinẽ elaborauit* Lyſippus, *&
ante eum è marmore* Pentelico Praxiteles. De Phrynes *qui-
dem in* Praxitelen *dolo, alio loco res eſt à me expoſita.* Pri-
mum omniũ è ſede ſua Cupidinẽ hunc Theſpienſem *amotũ
à* Caio *Imperatore tradunt:* Theſpienſibus *deinde remiſſum*

à Clau-

à Claudio: Nero iterum Romam reportauit, ibi eſt igni conſumptus. Eorum uerò qui eius numen uiolauerant, alter à milite, cui teſſeram obſcœnam eandem ſemper per ludibriũ dare ſolebat, eſt occiſus. Neronis & in matrem, & in uxores crudelitas, atq; impuri ac nefarij amores, ſatis uulgati ſunt. Qui ætate noſtra Theſpijs eſt Cupido, cum fecit Menodorus Athenienſis, Praxitelis opus imitatus. Eſt eo ipſo in loco Venus, & Phrynes effigies è marmore: utranq; idem Praxiteles fecit. In alia urbis parte eſt Melænidis Veneris ædes, forum præterea, & theatrũ, ualde quæ ſpectentur digna. Ibi poſita eſt Heſiodi ex ære ſtatua: & nõ longe à foro, Victoria ex ære, & Muſarum delubrum non utiq; magnum: ſigna in eo è lapide parua. Habent Herculis etiam Theſpienſes templum: ſacerdotio fungitur puella, ad extremũ uſq; uitæ tempus uirginitatem retinens. Eius rei cauſam talem afferunt. Herculẽ tradunt Theſtij filias quinquaginta (tot enim erãt) eadem nocte conſtupraſſe, una excepta: eam cum obſequi recuſaſſet, ſacerdotem ſibi, perpetuæ uirginitatis lege data, legiſſe. Audiui tamen alios, qui, omnes planè Theſtij quinquaginta filias ab Hercule eadem una nocte uitiatas, & ei ſingulos mares filios peperiſſe narrarent, & quidẽ geminos, natu maximam, & minimam. Ego uerò adduci nunquam poſſim ut credam, Herculem in amici hominis filiam ira tam acri incitari potuiſſe. Præterea qui dum inter homines eſſet, aliorum iniurias, & in Deos in primis impietatem, eſt ſeuerè ultus, qui ſibi ipſe aut templũ ædificandũ curaſſet? aut ſacerdotio demandato, ſe pro deo haberi uoluiſſet? Sed omnino hoc mihi templum multò uetuſtius eſſe uiſum eſt, quàm ut Herculis, qui Amphitruonis fuit, ætate dedicatum exiſtimari poßit. Et haud ſcio an Herculi potius, qui de Idæis

Dactylis unus fuit, templi eius dedicatio ſit tribuenda, cùm & Erythræos in Ionia, & Tyrios ſua illi templa erexiſſe nouerim. Neque uerò Bœoti illius Herculis nomen ignorarunt, cùm Cereris Mycaleſiæ dicant ædem Idæo Herculi cõmiſſam. Helicon montium qui in Græcia ſunt omnium, præſtat ſoli bonitate, & arborum crebritate. In eo portulacæ frutices longè ſuauiſsimi ſaporis fructum ferunt. Aiunt incolæ, earum, quæ ibi gignuntur, herbarum, aut radicũ, nullas omnino eſſe homini mortiferas: quin et ſerpentum uirius loci eius paſtionibus infirmari, atq; adeò, ut ſi quem ſerpens ulla momorderit, is ubi uel de genere Pſyllorum, qui in Africa ſunt, quenquã, aut aliquod ad id effectum medicamentũ nanciſci potuerit, facilè periculo liberetur. Eſt alioqui teterrimæ cuiuſq; ſerpentis uenenum, & homini, & cæteris animantibus lethale: fit uerò illud ex pabuli natura ad perniciẽ ualentius. Audiui ſiquidem Phœnicem hominem cum diceret, in montana Phœnices parte radicum quarundã paſtu uiperas magis efferari. Narrabat idem, uiperã aliquando cũ hominem aſſequi nequiſſet, arbori, ad quã ille effugerat, uenenum afflaſſe, ac ſtatim hominem enectum. Hæc ille. De uiperis uerò ijs, quæ in Arabia inter balſami arbores uerſantur, diuerſum quiddam accepi: id huius modi eſt. Sunt balſami arbores ea qua myrti ſtirpes magnitudine: folia illis qualia herbæ amaraco. Habent ſua circa eas plantas cubilia uiperæ plures uno, alio pauciores loco: eſt enim eis balſami liquor cibus multò ſuauiſsimus: ipſa etiam fruticis umbra maximè delectantur. Vbi ſua fuerit legendo humori tempeſtiuitas, ueniunt in ſacrum lucum Arabes cum binis ligneolis regulis ſinguli, earũ comploſu beſtias fugãt: occîdi uerò magna eſt religio, quòd ſacras, & genios ueluti quoſdam eſſe

balſami

balſami putant. Quòd ſi quem morſu appetierint, plaga eſt qualis è ferri uulnere, ueneni omnino expers, quòd ſcilicet balſami paſtu, liquoris unius omniũ odore præſtantiſſimi, ueneni acerbitas illa priſtina miteſcit. Et hæc quidem ita ſe habent. In Helicone primos omnium ſacra Muſis feciſſe, & Muſis eum montem conſecraſſe Ephialten & Otum tradunt. eoſdem etiam Aſcram cõdidiſſe, Hegeſinus in eo, quem de Attica terra ſcripſit, libro, his uerſibus mandauit:

Aſt Aſcræ optato potitur Neptunus amore:
Mox illi quæ progenuit uoluentibus annis
Oeoclum, natis olim qui iunctus Aloëi,
Vdi ad radices Heliconis condidit Aſcran.

Hanc Hegeſini poëſim ego nunquam legi, quando ante me natum prorſus euanuerat: ſed Callippus Corinthius in hiſtoria, quam de Corinthiorũ rebus conſcripſit, eorum Hegeſini uerſuũ teſtimonio utitur: eos itaq; nos ab ipſo Callippo ſumpſimus. Aſcræ ætate mea turris unica reliqua fuit, & præterea nihil, quod poſſet memoriæ prodi. Aloëi quidem filij Muſas numero tres religione ſanxerunt: nomina uerò illis impoſuerunt, Meleten, Mnemen, & Aceden: quaſi dicas, meditationem, memoriã, & cantionem. Tempore dein ſatis multo poſt, Pierum Macedonem ferunt, à quo uni de Macedoniæ montibus nomen, cùm Theſpias ueniſſet, ut nouem Muſæ, hiſce quibus nunc appellantur nominibus colerentur, inſtituiſſe: aut quòd rectius id duxiſſet, aut quòd ex oraculo quopiam id ei imperatũ fuiſſet, aut poſtremò quòd ea in re Thracum eſſet diſciplinã ſecutus: ſolertior enim Thraces Macedonibus gens, & in dijs colendis haudquaquã pari neglectu. Sunt qui Pierum ipſum filias nouem habuiſſe dicant, eaſq; de Muſarũ nominibus appellaſſe, et ex illis natos

Piero nepotes ijs præditos nominibus fuiſſe, quibus Græci eos, qui Muſarũ partu editi perhibentur, nominãt. At Mimnermus, qui elegis pugnam Smyrnæorũ conſcripſit contra Gygen & Lydũ, in ipſa operis ingreßione prima, antiquiores Muſas Cœli, alias illis natu poſteriores Iouis filias memorat. In Helicone quà iter ad Muſarũ lucum, ad læuã fons eſt Aganippe: filiam Aganippen Termeßi fuiſſe dicunt: circunfluit Termeſſus. Heliconem rectà ad lucum Muſarũ pergentibus eſt Euphemes effigies è lapide fabricata. Fuiſſe Euphemen tradunt Muſarũ nutricem. Eſt illi proxima Lini ſtatua è ſaxo in ſpeluncæ modũ cauato prominens: huic parentant quotannis antequã ſacra Muſis faciãt. Genitum Linum Amphimaro Neptuni filio ex Vrania uulgò proditum eſt: Muſices eum gloria ſuperiores omnes anteiſſe, & ab Apolline, cui ſe cantu conferebat, occiſum. De Lini quidem morte ad Barbaras etiã gentes luctus peruenit: ſiquidem apud Aegyptios carmen uſurpatum eſt, quod Linum Græci dixerunt: appellarunt ipſi tamen Aegyptij id patria uoce Emanerũ: ſed Græci poëtæ & in primis Homerus, eius cantilenæ tanquam Græcæ mentionem fecerunt: cùm enim Lini caſus cognitos haberet, in Achillis ſcuto Vulcanũ inter alia cælaſſe cõmentus eſt, puerum fidibus canentem Linum:

Quos inter medios iuuenis teſtudine dulci,
Suaue, Linum arguto cecinit modulamine pulchrum.

At Pamphus, qui Athenienſibus hymnos antiquißimos fecit, increbreſcente ob Lini mortẽ luctu, Oetolinũ, id eſt Flebilelinum, dixit. Sapphò deinde ſumpto è Pamphi uerſibus Oetolini nomine, Adonim ipſa ſimul & Oetolinum decantauit. Thebani uerò ſepultum apud ſe Linum fuiſſe autumant, addentes Philippũ Amyntæ filiũ profligatis ad Chæ-

roneam

roneam Græcis, ſomnij cuiuſdam monitu Lini eruta oſſa in Macedoniam tranſportaſſe, mox itidem alio cōmotum ſomnio Thebas reportanda curaſſe. Sepulchri uerò omnem ſuperficiē, ac planè ueſtigia omnia temporis diuturnitate abolita. Narrant etiam Thebani fuiſſe alterū minorem Linum, qui ſit Iſmenij dictus, quem Hercules puer, dum ab eo Muſicam doceretur, occidiſſet. Carmina certè neq; ſuperior ille Amphimari, neq; hic poſterior ulla fecere: uel quæ fortaßis fecerunt, ad poſteritatis memoriam non peruenerunt. Muſarum ſigna antiquiorum, Cephiſodoti ſunt opus. Paulò hinc longius Cephiſodoti aliæ ſunt Muſæ tres: Strongylionis totidem, hominis qui boues & equos unus omnium optimè expreßit: reliquas tres fecit Olympioſthenes. Eſt præterea in Helicone Apollo æneus, & Mercurius, de lyra inter ſe litigantes: Bacchus etiam Lyſippi: nam erecto ſtatu Liberi Patris ſimulacrum dedicauit Sylla, omniū Myronis operum, Erechtheo, qui Athenis eſt, excepto, longè quod ſpectetur dignißimum. Neq; uerò de ſuo Sylla donum dedit, ſed illud Orchomenijs eripuit. Hoc illud eſt Græcis uſurpatum uerbum, Deos alienis copijs uenerari. Poëtarum etiam, & aliorum Muſicæ laude inſignium uirorum, illic ſtatuas uideas: inter eos Thamyrin iam cæcum fractam lyram attrectantē Arion Methymnæus delphino inſidet. Sacadæ uerò Argiui qui effigiem finxit, quòd Pindari de eo carminis exordium non intellexit, corporis magnitudine nihilo tibicinem tibijs grandiorem fecit. Sedet ibidem Heſiodus citharam genibus ſuſtinens, quod tamen nō fuit eius geſtamen, cùm, ſicuti licet eius uerſibus colligere, ad Lauri uirgam caneret. De Heſiodi uerò & Homeri ætate, etſi mihi ſunt omnia diligentius conquiſita, non eſt tamen libitum meam ea de re ſententiam

explicare, cùm ſcirem & inter ſuperiorũ ætatum homines, & inter eos qui temporibus meis ad rei poëticæ ſtudium animum adiecerunt, de hoc ipſo contentioſius diſceptatũ. Thracio quidem Orpheo myſterij ſimulachrũ aſſiſtit: circunſtant canentem feræ in marmore & ære expreſſæ. Græci & alia multa quæ nunquam euenerunt pro ueris habent, & illud inter cætera, Orpheũ Calliopes filium fuiſſe, non tamen eius quæ Pieri filia fuerit, allicere ſolitum cantu feras: eundem ad inferos deſcendiſſe, quò exoratis inferûm dijs uxorem reciperet. Atenim opinione mea Orpheus carminis cõcinnitate omnes, qui ante ipſum fuerunt, longo ſuperauit interuallo. Magnã autem ex eo eſt autoritatẽ conſecutus, quòd & deorum initia, & nefariorũ facinorum expiationes creditus eſt adinueniſſe: morborũ etiam remedia, & iratorũ numinum placationes. Thracũ uerò fœminas inſidias ei primũ feciſſe, quòd ſecum uiros quacunq; errans huc illuc traheret: uirorum tamen metu nõ ſtatim auſas facinus perpetrare, deinde mero largius hauſto, quod cogitauerãt perfeciſſe. Ex eo inſtitutum, ut uiri non niſi temulenti ad prælia exirent. Sunt qui dicant fulmine ictũ cõcidiſſe: hoc mortis genere peremptũ, quòd initiorum arcana profanis & rudibus hominibus tradidiſſet. Eſt et illud memoriæ proditũ: uxore mortua ueniſſe illum Aorrhum in Theſprotidem, quòd ibi peruetus eſſet per umbrarũ euocationem oraculũ: ibi cùm Eurydices animam adeſſe putaſſet, & ſua ſe opinione falſum reſpiciens animaduertiſſet, ultro ſibijpſi, mœrore cõfectum, manus conſciuiſſe. Addunt Thraces, luſcinias, quæ circa Orphei ſepulchrum nidos habeãt, ſuauiores quàm cæteras, & uocaliores cantus edere. Macedones uerò, qui ſub montibus Pieriã terram incolunt, ad urbem Dion, eo ipſo in loco à fœminis occi

ſum

Orpheus

Virg. . .
ouid. alij

Nota

ſum Orpheum autumant. A Dio per montanā uiam ſtadia x x. progreſsis, columna eſt ad dexteram: ſuperimpoſita columnæ eſt lapidea urna, in ea Orphei oſſa cōdita eſſe, regionis eius incolæ dicūt. Præterfluit hunc locū Helicon amnis: is ultra ſtadiūm L X X V. infra terram ſe abdit: occulto dein meatu ſtadia x x. elapſus, ſe denuò oſtendit, & Baphyræ nomine pro Helicone ſumpto, in mare ſe nauigabilis infert. Hunc amnem Diatæ aperto quondā alueo decurriſſe aiunt: ab eo uerò primū tempore, quo mulieres illæ quæ Orpheū occiderant, ſanguinē abluere conatæ ſunt, terrā ſubijſſe, ne pollutis ea cæde fœminis ad expiandum ſcelus aquas præberet ſuas. Ab hoc longè diuerſum Lariſſæ ſermonem audiui. Vrbem olim in Olympo celebrem, Libethra nomine fuiſſe, quà mons in Macedoniā ſe immittit: ab ea urbe nō longè Orphei monimentū abeſſe: Libethrijs olim è Thracia à Liberi Patris oraculo reſponſum allatum, à ſue urbem deletā iri, cumprimū Orphei oſſa Sol aſpexiſſet: de hoc illos oraculo ſolicitos eſſe oportere ſe nihil putaſſe, quòd nullā omnino feram uel tantam, uel tantis præditam uiribus exiſtere poſſe crederent, quæ urbem eiuſmodi poſſet excindere, cùm ea nō magis fiducia quadā, quàm ſuo robore niteretur. Atqui ubi dijs uiſum eſt, hæc acciderunt. Paſtor quidam meridie recubuit feſſus ad Orphei tumulū: is cùm fortè ſomno ſe dediſſet, in ſomnis cœpit Orphei uerſus magna & ſuaui uoce decantare. Ea uoce qui proximis locis uel paſcebant, uel fortè arabant, cōmoti, intermiſſo opere, ad illam dormientis paſtoris cantilenā accurrerunt. Ibi cùm ita, ut fit, alterum alter trudentes impellerēt, dum propius quiſq; ad paſtorē certant accedere, columnā euertunt: ea ruente fracta eſt urna: quo factū, ut Orphei oſſa Sol aſpiceret. Ea deinde quæ inſecuta

eſt nocte, ingenti aquæ ui de cœlo effuſa, Sys amnis (unus hic eſt de Olympi torrentibus) Libethriorum muros deiecit, ſacras & profanas ædes euertit, homines ipſos, & animalia cuncta, quæ intra mœnia fuerũt, extinxit. Quare deletis Libethrijs, Macedones qui Dion tenebant (uti mihi Lariſſæus hoſpes narrabat) Orphei oſſa Dion translata ſibi uindicarunt. Iam uerò qui ſunt in poëtarũ ſcriptis non indiligenter uerſati, ſatis norunt in Orphei hymnis ſingulis breuitatem ſummã quæſitã: neq; omnino multos numero eſſe: Lycomedæ eos planè qui ſint, ſciunt, & initijs ſuis concinũt: ac ſunt illi quidem carminis elegantia & ornatu, primi ſecundũ Homeri hymnos: religionis & ſanctitatis multò hi plus præ ſe ferunt. Arſinoës etiã in Helicone ſtatua eſt, quã Ptolemæus, etſi germanus frater erat, uxorẽ tamen duxit. ea ſtatua paſſeri inſidet (id eſt, ſtruthiocamelo) ex inuolucrum genere. Habent hi quidem alas uti alites cæteri, ſed præ corporis mole humo ſe in ſublime nequeunt attollere. Eſt ibidem cerua Telepho Herculis filio infanti mammã præbens, & bos proximo loco. Inter cætera eius loci inſignia eſt Priapi ſignũ: huic deo & alibi honorem habent, quibus capellarũ, & ouium greges, uel apum aluearia curæ ſunt: ſed eum præ Dis cunctis uenerantur Lampſaceni, Libero Patri è Venere genitũ dictitantes. Sunt in Helicone & alij tripodes dedicati, & is quem Chalcide ad Euripũ Eubœæ de carminibus præmiũ tuliſſe Heſiodum tradunt. Lucũ circunquaq; accolunt finitimi. Theſpienſes dies feſtos agitãt, & ludos Muſarũ, quæ Muſæa uocant. Cupidinis etiam ludos faciunt, quibus nõ ſolùm muſicis hominibus, ſed athletis etiam ſua expoſita præmia. Supra lucum ſtadia fermè x x. aſcendentibus, eſt fons, qui Equi dicitur: elicuiſſe hunc ungula terrã fodientem Bellero-

phontis

*phontis equũ tradunt, ob eam rem Hippocrenen nominatum.*Bœotiorum quidem populi,qui circa Heliconem domi cilia habent,ex opinione quadam à maioribus accepta, Heſiodum negant aliud quicquam, præter illud poëma, quæ Opera appellantur,ſcriptũ reliquiſſe:quin et ex eo Muſarũ inuocationem, quæ in exordio eſt, remouent, principiũ ſta tuentes carminis eum locũ fuiſſe, qui de Contentionibus eſt. Quin & plumbeam mihi tabulam oſtenderũt iuxta fontem poſitam,in qua ſcriptum eſt carmen illud ipſum, quæ Opera inſcribuntur.Diuerſa eſt ab hac,eorũ ſententia qui multa alia uerſuum uolumina Heſiodo adſcribunt, ea uidelicet quæ in mulieres decantata ſunt,& quas magnas Eœas nominant: Deorum gentilitatem: In Melampodem uatem carmen: Theſei cum Pirithoo ad inferos deſcenſum: Chironis præceptionem ad Achillem inſtituendũ:tum quæ Operibus & diebus continentur.Didiciſſe ijdem Heſiodum diuinandi artem tradunt ab Acarnanibus:& extãt ſanè eius de diuina tione carmina quæ ipſi legimus, cum ijs quæ ad finem additæ ſunt explicationibus.Contraria etiam quædam de Heſio di morte narrantur. Nam Ganyctoris filios ob Heſiodi necem Ctimenum & Antiphum, ex Naupacto in Molucriam terram confugiſſe, & quòd illic ob uiolatũ Neptuni numen pœnam ſuſceperint, omniũ hæc eadem ſunt ſermonibus uulgata:ſed adoleſcentum ſororem cùm alius uitiaſſet, in ſtupri ſuſpicionem falſo Heſiodum uocatum alij dixere:alij uerò illum hauddubiè culpa non uacaſſe.Ac de ijs quidem, quæ de Heſiodo, eiusq; uerſibus ualde inter ſe diſsidentia memorantur, ſatis dictum hactenus fuerit. In ſummo Heliconis iugo fluuius eſt Lamus,non magnus ille quidem. In Theſpienſium uerò finib. uicus eſt qui Hedonacon dicitur:in eo fons,

Lamus

Narciſsi appellatus, quòd in ea ſe aqua Narciſſus aſpexiſſe dicatur, donec ſuam illam eſſe umbram non intelligens ſuiipſius imprudens amore caperetur, atq; ex eo ad eundẽ fõtem extabeſceret. Abſurdum enimuero, eò quenquam ſtoliditatis prolabi, ut ſui amore capiatur, et omnino quid inter hominem & umbrã interſit nõ uideat. Alius etiam de Narciſſo ſermo proditus eſt, minus quàm ſuperior uulgatus, autores tamen & hic ſuos habet. Sororem ei geminam fuiſſe, cùm oris ſpecie omni ex parte ſimilem, tum uerò coma & ueſtitu nihil differenti: ſolitos ſimul uenari: à puero ſororem amatã: ea cùm fortè diem ſuũ obiſſet, uentitare illum ad fontem ſolitum, in quo cùm ſuam intueretur umbram, ac ſuam omnino eſſe nõ ignoraret, ob ſimilitudinẽ tamen quæ inter ipſos fuerat, tanquã ſi non ſuam, ſed ſororis imaginem præ oculis haberet, deſiderij ex eo ſui ſolatium aliquod capere conſueſſe. Narciſſum uerò florem, & antè multò è terra editum puto, quantũ ex Pamphi uerſibus licet cõijcere: multis enim ante Narciſſum annis Theſpienſis homo, Proſerpinã Cereris filiam à Dite raptam ſcripſit, dum luderet, & flores legeret: neq; uiolis illam, ſed narciſsis deceptam. Qui Creuſide, quod eſt Theſpienſium nauale, habitant, nihil illi publicè habent memoratu dignum. In priuati hominis ædibus eſt Liberi Patris ſignum è gypſo, pictura illuminatũ. Creuſin è Peloponneſo nauigatio eſt obliqua, & omnino parum tranquillo mari minus tuta. Nam excurrentibus in mare promontorijs ita ſinuantur litora, ut recti curſus teneri nequeant: ex proximis præterea montibus uenti ſpirant cõcitatius. Bœotiæ orã ipſam à Creuſide legentibus, neq; in altũ prouectis, Thiſbe urbs occurrit. Ac primũ quidẽ proximus mari mons eſt: hunc ubi ſuperaueris, te planities excipiet: alius

alius ſubinde mons: in eius ima parte urbs ipſa: in ea Hercu lis templum, in quo ſignũ recto ſtatu è lapide. Herculi *ludos quæ* Heraclea *appellantur, faciunt. Quod inter montes cam porum iacet, nihil, quin defluentium aquarum copia ſtagnũ perpetuum ſit, prohibet, niſi ualido aggere per mediũ ducto alternis annis aquã in alterã partem auertant, & alterã in terea campi partem colant.* Thisben *ipſam, à qua fuerit ur bi nomen, puellam fuiſſe indigenam dicunt.* Hinc *præterna uigantibus modicũ eſt oppidum maritimũ* Tipha: Herculis *illic delubrũ, in quo ſacrum faciunt anniuerſariũ.* Tiphæen *ſes præcipuam ſibi præ cunctis* Bœotijs *maritimarum rerũ peritiã uindicant,* Tiphyn *prædicantes, cui nominatim* Ar*gûs nauis gubernacula credita ſunt, ſuum fuiſſe indigenam. Oſtendunt uerò extra oppidum locũ, quo* Argò *ipſam* Col*chis reuerſam applicuiſſe dicunt. Supra* Theſpienſiũ *fines in terius eſt* Haliartus. *Huius urbis, & item* Coroneæ, *quiſnam fuerit conditor, non ſatis ſuo loco, ſeorſum ab* Orchomenio*rum rebus, à me exponeretur. Perſico certè bello, quòd in* Græcorum *amicitia cõſtanter perſtitiſſet, pars una* Xerxis *copiarum, agrum & urbem* Haliartiorũ *igni ferroq; uaſta uit.* Eſt Haliarti Lyſandri Lacedæmonij *monimentũ. Cùm enim ad muros oppugnandi cauſa acceßiſſet, defenderetur autem oppidum* Athenienſium & Thebanorũ *præſidio, e ruptione ab hoſtibus facta in pugna occubuit.* Lyſandrum *quidem ſummis laudibus ornandum, & eundem acriter ac cuſandum cenſuerim.* Nam *prudentiã in re bellica tunc ma ximam oſtendit, cùm* Antiochũ Alcibiadis *gubernatorem, eo tempore obſeruato quo aberat imperator, in ſpem ad duxit* Lacedæmonijs *ſe parẽ eſſe poſſe ad congrediendũ na uali prælio, ac deinde eum nõ longè à* Colophoniorũ *mœni*

bus arrogantia & temeritate ſuffultum uicit. Iam uerò *triremium iterum à Spartanis imperio accepto, Cyrum minorem ita deliniuit, ut pecuniã ille ad claſſem tuendam quoties & quantũ petiſſet, quoq; maximè tempore opus eſſet, perliberaliter ſuppeditaret. Cumq; Atheniẽſes ad Aegos flumina centum nauium ſtatiua haberent, tempus illud ſpeculatus quo nauales ſocij aquatum, & ad cõmeatus ſibi è foro curandos profecti fuerant, claſſem illam occupauit. Iuſtitiæ etiã tale ſpecimen dedit. Autolico pancratiaſtæ, cuius ego imaginem in Prytaneo Athenis uidi, cum Eteonico Spartano homine erat de pecunia neſcio qua cõtrouerſia. Ibi Spartanus qui iure cauſæ multò eſſet diſceptando inferior, quòd erat tunc Athenienſiũ ciuitas in triginta uirûm poteſtate, & adeſſet Lyſander, eò proceſſit inſolentiæ, ut non dubitauerit aduerſariũ plagis laceſſere, eundẽq; præſenti ſe animo defendentẽ, ad Lyſandrũ pertraxerit, confiſus nempe ad gratiam illum pronunciaturum. At Lyſander Eteonicum iniuriarum damnatum, cum infamia et conuicio dimiſit. Et hæc quidem Lyſandro magnã exiſtimationem pepererunt. Alia uerò ferè totidẽ eius facta magno illi dedecori fuere. Ad Aegos primùm flumina Philoclen Athenienſem de claßis prætoribus unũ, & Athenienſiũ ad quatuor millia dedititiorũ occîdit, ac mortuis terram iniici uetuit, cùm et Perſis qui ad Marathonem ceciderant, Athenienſiũ, & ijs Lacedæmonijs qui ad Thermopylas mortem oppetierãt, Xerxis conceſſu ſepultura contigerit. Deinde maiorem Lacedæmonijs ex eo inuidiam concitauit, quòd & Decemuiratus in ſocijs ciuitatibus, & præfectos cum poteſtate, quos Harmoſtas appellabant, qui Laconib. imperarẽt, cõſtituit. Poſtremò cùm Spartani nullam omnino acquirendæ pecuniæ rationẽ haberẽt,*

quòd

quòd ex quodam oraculo acceperant, Spartæ ſolam pecuniæ cupiditatem fatalem fore, hic eos ad pecuniæ ſtudiũ uehementer incitauit. Quibus ego rebus adductus, & ſimul Perſarum autoritatem ac legem ſecutus, Lyſandri principatum Spartanis pernicioſiorẽ potius, quàm utiliorẽ extitiſſe cenſuerim. Ad Haliartum uerò ut redeam, eſt illic & Lyſandri monimentum, & Cecropis Pandionis filij heroica cella. Mons Tilphuſius, & Tilphuſa item fons, qui dicitur, ab Haliarto ſtadia abeſt quinquaginta, ut maximè. Traditum eſt Græcorũ monimentis, Argiuos, cùm Polynicis filios ſecuti Thebas cepiſſent, dum ad Delphicũ Apollinẽ cum reliqua præda uatem etiam Tireſiam pertraherent, ſitientem illum in uia hauſta de Tilphuſa fonte aqua, animam ſtatim egiſſe. Eſt eius ſepulchrũ ad ipſum fontem. Vatis filiam Mantò ab Argiuis Apollini aiunt ſacratam: ſed tranſmiſiſſe eam claſſe iubente deo Colophonem in Ioniam, ibiq; Rhacio Cretenſi nuptam. Quæ de Tireſia dicuntur alia, de annorum ſcilicet quem uixiſſe ſcripſerunt numero, & quòd uir euaſerit ex fœmina, quodq; in Odyſſea Homerus eum unum ſapientem fuiſſe apud inferos dixerit, omnia hæc omnes iam toties audita norunt. Eſt apud Haliartios ſub diuo dearũ ædes, quas uocant Praxidicas, ac ſi Vindices dicas: ad earum aram iuſiurandum concipiunt, quod irritũ neutiquã habent. Eſt hæc ædes dearum ad montem Tilphuſiũ. Haliarti uerò delubra ſunt, in quibus ſigna nulla, cùm tecto etiã careãt. Quibus dicata fuerint numinibus, cùm percontatus fuerim, cognoſcere tamen non potui. Præterfluit Haliartidem terrã Lophis fluuius. Laboraſſe quondam ſiccitate ob ſummã aquarum penuriam agrum totum memorant: uirum eo tempore unũ de primoribus Delphos ueniſſe ad conſulendũ, qua ratione

aqua inueniri poſſet, reſponſum accepiſſe, ut qui primus Ha*liartum redeunti obuius factus eſſet, illum occideret: quare cùm primus ei filius impuber* Lophis *occurriſſet, nihil cunctatum ſtricto gladio puerũ percuſsiſſe: illum adhuc ſpirantem huc illuc curſitaſſe, ubicunq; uerò humi fuſus eſſet cruor, inde aquas è terra erupiſſe: ex eo fluuium nomen accepiſſe.* Alalcomen*æ non magnus eſt uicus, ad radices imas modicè editi montis: loco nomen datum ferunt ab* Alalcomeno *homine indigena, à quo fuerit* Minerua *enutrita.* Dixere *alij* Ogygis *filiam* Alalcomeniam *fuiſſe.* Non ita procul *à uico, plano loco erecta fuit* Mineru*æ ædes: in ea priſcum fuit ex ebore ſignũ.* Sylla *quidem multa in* Athenienſes *crudelia admiſit facinora, & à* Romanorũ *more aliena.* Diſsimilia *nõ fuerũt quæ in* Thebanos *et* Orchomenios *fecit.* Quibus *et addidit, quòd illud ipſum quod* Alalcomenis *fuit* Mineru*æ ſignum eripuit.* Hunc *hominem, qui* Græcorũ *ciuitates & patrios deos tam furenter uexarat, morbus omniũ teterrimus oppreſsit, pediculis è toto corpore erumpentibus: huc priſtina hominis felicitas recidit.* Ipſum *certè templum erepto ſigno deſeri ac negligi cœptum, numine ueluti orbatum.* Con*tigit ad eius euerſionẽ ætate mea alia huiuſmodi calamitas.* Agnata *parietibus hedera magno & prævalido trunco, ita ſe intra iuncturas et coagmenta ſerpendo immiſit, ut lapides diſiunxerit.* Hàc *fluuius præterlabitur nõ magnus, quẽ* Tritonem *nuncupant, quòd* Mineruã *ad amnem* Tritonem *educatam uulgò proditum eſt: quaſi hic ille* Triton *ſit, non autẽ qui ex* Tritonide *palude, quæ in* Africa *eſt, in* Libycum *mare deſcendit.* Antequàm Coroneam *ab* Alalcomenis *uenias,* Mineru*æ* Itoni*æ templũ uideas.* Cognominis *autor fuit* Itonius Amphictyonis *filius.* Huc *ad cõmune concilium conueniunt*

niunt Bœoti. In eo templo Itoniæ ipſius Mineruæ & Iouis ex ære ſigna ſunt, Agoracriti Phidiæ diſcipuli, quiq; ei in amore fuit, opera. Gratiarum etiam ætate mea ſigna dedicata ſunt. Memoriæ proditum eſt Iodamian deæ ſacerdotium gerentem noctu intra ſacrum templi ſeptum ueniſſe, Mineruam ei ſe obtuliſſe cũ palla, in qua Meduſæ Gorgonis caput inerat, eo cõſpecto ſtatim Iodamiã in lapidẽ obriguiſſe: eam ob rem mulierẽ quotidie ad Iodamiæ arã ignẽ apponentẽ, ter Bœotorũ uoce effari, Iodamen uiuere, ignẽ ſibi depoſcere. Coronea habuit ad memoriã inſignia, Mercurij in foro Epimelij arã, & item Ventorũ alteram. Paulò infra eas aras Iunonis ſacellum eſt cum peruetere ſigno, Pythodorus illud Thebanus fecit: Sirenas manu præfert. Acheloi enim filias narrant Iunonis ſuaſu in cantus certamen Muſas prouocare auſas: uictis Muſas pinnas ex alis conuelliſſe, deq; illis coronas ſibi feciſſe. Abeſt à Coronea ſtadia fermè XL. mons Libethrius: ſigna in eo Muſarum & Nympharum ſunt cognomine Libethridum: fontem etiam Libethriadem nominant. Fons alius eſt, ubi ſaxũ mammis muliebribus figura perſimile, unde aqua quaſi lac effunditur. Ad Laphiſtium montem, & ſacram Ioui aream à Coronea ſtadiũm XX. iter ut longiſsimum, Dei ſignum è lapide eſt. Cùm eſſet Athamas Phrixum & Hellen immolaturus, ſubmiſſum à Ioue pueris aurei uelleris arietem dicunt, quo uecti illi aufugerint. Superius aliquãto eſt Hercules cognomento Charops, quaſi pœtis uel cæſijs oculis dixeris. Hìc aſcendiſſe Herculem Bœoti dicunt Ditis canem trahentem. Quì à Laphyſtio ad Itoniæ Mineruæ deſcenditur, eſt amnis Phalarus, qui in Cephiſsidem influit paludem. Trans Laphyſtiũ eſt Orchomenus, illuſtris ſi qua eſt alia Græcis urbs, & rerũ geſtarũ glo

*ria inſignis.Ad opes uerò ſummas & felicitatē maximā eue ctam, idem propè qui Mycēnas et Delon rerū exitus percu lit.*De *priſcis uerò eius rebus hæc propémodum literis man data fuere.*Con*ſediſſe hoc in loco primum omnium tradunt* Andrea Penei *fluminis filiū, & ab eo* Andreidē *terrā nomi natam:ad eum cùm ueniſſet* Athamas,*cōmunicato imperio, conceßiſſe ei agro toto qui circa* Laphyſtiū *eſt, necnō ea re-gione in qua nunc* Coronea *eſt &* Haliartia. *Athamas cùm nullā ſibi uirilem prolem ſuperſtitē fore putaret, quòd nem pe quæ per inſaniam in* Learchum & Melicerten *ipſemet fe ciſſet meminerat, &* Leuconi *morbus uitā ademerat,* Phri-*xū uerò adhuc uiuere,aut liberos ei ſuſceptos omnino igno-rabat:ob hāc cauſam* Therſandri*(filius is erat* Siſyphi*) libe ros* Coronū & Haliartū *adoptaret:nam Siſyphi ipſe frater erat.Cùm rediſſet autē è Colchis, uel* Phrixus *ipſe, ut quidā dicūt,uel ut alij malunt,*Presbone, *quē ex* Aeetæ *filia genue rat* Phrixus, *cenſuerūt* Terſandri *filij,* Athamantis *regnum iure quaſi poſtliminij ipſi* Athamanti *& eius ſoboli redden dum:accepta itaq; ab* Athamante *agri parte,* Coroneæ & Haliarti *cōditores fuere. Sed & ante horū reditū* Andreas Euippen Leuconis *filiā deſpondente* Athamāte *uxorē duxe rat, ex qua natus eſt ei* Eteocles: *etſi peruulgata inter ciues fama,*Cephiſi *amnis ſatu genitus eſt:quocirca poëtarū qui-dam* Cephiſiaden Eteoclen *carminib. appellarunt.Suſcepto* Eteocles *regno agrū ab* Andreo *uocari facilè ſiuit: tribus ue rò duas cōſtituit,quarū unā* Cephiſiaden,*alterā de ſuo nomi ne* Eteoclean *iußit appellari.*Venienti *autē ad ſe* Halmo Siſy phi *filio,ſoli non magnā utiq; partē cōceßit:ab* Halmo *itaq; uici* Halmones *nūcupati fuere.* Iis *deinde,quæ inſecuta ſunt temporibus,uſus obtinuit,ut unicus uicus* Halmones *appel-laretur.*

laretur. Eteoclen ſanè Bœoti primum omniũ Gratijs huma na hoſtia feciſſe, ac tres quidem religione ſanxiſſe norũt om nes: quæ uerò eis nomina indiderit non meminerunt. Nam Lacedæmonij *Gratias duntaxat duas colunt, quas* Lacedæmonem Taygetæ *filium dedicaſſe tradunt, easq́; Clitan & Phenan nominaſſe, conſentanea ſanè Gratijs nomina. Cõſentanea etiam quæ* Athenienſes *uſurparunt: nam & ipſi iam tum ab antiquis temporibus Gratias uenerantur,* Auxò, & Hegemonen:*nam Carpûs nomen non Gratiæ, ſed Horæ, id eſt, fructuũ tempeſtiuitatis, eſt.* Horarũ *alteri, cõmunes cum* Pandroſo *honores* Athenienſes *habent,* Talloteńq;, *hoc eſt, Germinatricẽ nominãt. Accepto ſanè ab* Orchomenio Eteocle *ritu, tribus iam Gratijs uota concipimus. Iam qui* Nunciorum *numina, qui* Liberum Patrem, *qui* Apollinem Delijs *fecerunt, tres in eorum ſignorum manibus Gratias poſuere.* Athenis *in arcis ueſtibulo Gratiæ ſunt, et ipſæ numero tres, quarũ initia uulgo incognita eo ipſo in loco peragunt.* Pamphus *omniũ, quos ipſi nouimus, poëtarum primus, carmina in* Gratias *cecinit: earum tamen neq; numerũm definiuit, neq; nomina tradidit. Et ipſe Gratiarum mentionem* Homerus *fecit.* Vulcani *uxorem earum unã dixit, quam Gratiam proprio appellauit nomine. Paſitheæ uerò amatorem eundem perhibet deum.* Idem *ubi* Somnum *loquentem inducit, talem reliquit uerſum:*

Iuncturã mihi te Charitẽ florentibus annis Paſithean.
Ex *eo ſuſpicati quidã ſunt, cùm iuniores Gratias nominet, uetuſtiores illũ ſciſſe alias fuiſſe.* Iam *uerò in eo poëmate, quo deorum* Heſiodus *originem explicat (licet enim per me,* Heſiodo *qui uolet* Theogoniã *aſſerat) ſed eo in libro Gratias* Iouis *et* Eurynomes *filias* Heſiodus *eſſe dixit, et nomina protu*

tulit, Euphroſynem, Aglaian, & Thalaiã. Eadem quoq; nomina ſuis uerſibus mandauit Onomacritus. Antimachus neque certum numerũ Gratiarũ, neq; nomina prodidit, Aegles tantùm & Solis filias eſſe dixit. Hermeſianacti elegorũ ſcriptori, quod nemo ante eum tradidit, Pithò, id eſt, Suadela, una eſt de Gratiarũ numero. At qui primus Gratias uel finxerit, uel pingendo nudas oſtenderit, nuſquã comperi: apud priſcos enim homines cũ ueſtimento eas, tam à fictoribus q̃ à pictoribus factas noui: nam & apud Smyrnæos, cùm in Nemeſium fano præter cætera ſigna, ipſæ etiam Gratiæ aureæ dedicatæ ſunt, quas Bupalus fecit: tum uerò in cantorũ ſtatione, Odeum ipſi uocant, Gratiæ imago Apellis opus eſt. Pergameni etiã in Attali thalamo, & in eo templo quod Pythium nuncupant, ſuas habent & ipſi Gratias, quas pinxit Pythagoras Parius. Socrates ad hæc Sophroniſci filius ante arcis ueſtibulum Gratiarum Athenienſibus è marmore ſigna fecit, quæ ſanè omnia ſunt ueſte uelata. Qua uerò his poſteriores ratione ita Gratiarũ ornatũ immutauerint, ut omnes planè nudas fecerint, quib. eas uel fingendo uel pingendo exprimere curæ fuit, mihi certè compertũ nõ eſt. Sed iam ad Orchomenios redeamus. Cùm uiuendi finem feciſſet Eteocles, ad Halmi poſteritatẽ regnũ peruenit. Filiæ Halmo fuere Chryſogenea, & Chryſe. E Chryſe fama eſt Phlegyan Marti genitũ. In Eteoclis imperiũ hic ipſe Phlegyas ſucceſſit, cùm ille mares filios non reliquiſſet. Totius tunc regionis immutatũ eſt nomẽ, ut quæ Andreis prius uocabatur, Phlegyantis dicta fuerit. Fuit etiã iam tum ab initio condita urbs Andreis, cui aliã de ſe appellatã addidit Phlegyas, cõgregatis in eam bellica uirtute præſtãtiſſimis quibuſq; è tota Græcia. Abiunxerũt uerò ſe inſequentibus dein tẽporibus, amentia

tia et audacia impulſi, à reliquis Orchomenijs Phlegyæ, fini timorũ bona agere et rapere aggreßi: poſtremò arma cõuerterunt ſua ad Apollinis Delphici fanum diripiendũ. Contra quos cùm Philammon Delphis opem ferens lectam Argiuorum manum duxiſſet, ipſe unà cum fortißimis uiris pugnãs cecidit. Bellicæ in primis rei ſtudia præ cunctis Græciæ populis Phlegyas fuiſſe cõſectatos, teſtimonio mihi ſunt Homeri uerſus, quos in Iliade fecit de Marte, & Martis terrore:

Illi Ephyros ambo contra tunc arma ferebant,

Siue acreis animi Phlegyas.

Phlegyarum genus propè omne crebris fulminibus, & telluris uehementißimis motibus deus funditus aboleuit: qui reliqui fuere, eos peſtilentia abſumpſit, præter paucos, qui in Phocidem effugerunt. Phlegya ſine liberis extincto, imperium excepit Chryſes è Chryſogenea Halmi filia & Neptuno natus. Huius filius fuit Minyas, à quo ij quibus imperauit populi hac etiã ætate Minyæ nominantur. Huic tam ampla fuere uectigalia, ut ſuperiores omnes diuitijs uicerit: primusq; omnium de quibus aliquid accepimus, Minyas ærarium ad pecuniã ſeruandam ædificauit. At Græci exterarũ gentium res accuratius exornantes, in maiore eas quàm ſuas ipſorum miraculo poſuere: quandoquidem clarißimi hiſtoriarum ſcriptores Aegyptiorũ pyramidas magnificentius extulerunt, cùm de Minyæ ærario, & Tirynthis muris, operibus nihilo minore dignis admiratione, perbreuem fecerint mentionem. Minyæ filius fuit Orchomenus: eo regnante urbs Orchomenus, & populus Orchomenij appellati. Manſit tamen nihil minus Minyarũ etiam uocabulum, quo ab ijs, qui in Arcadia ſunt, Minyis diſtinguerentur. Ad hunc Orchomenum regnum iam obtinentem, Hyettus uenit Ar-

gis fugiens, ob Moluri Arisbantis filij cædem, quem in uxoris adulterio deprehenſum interfecerat: ei partem agri Orchomenus conceſſit eam, quæ circa Hyettum uicum eſt, cum tota uicinitate. Hyetti mentionem fecit is, qui ea carmina compoſuit, quæ ſunt Eoæ magnæ, hoc eſt, Orientis monimenta, appellatæ.

Hyettus Megaris temerata ob fœdera lecti,
Filium Arisbantis cùm ſtrauit cæde Molurum,
Herboſis longè profugus diſceſſit ab Argis,
Orchomenumq́; adijt Minyeium: excepit amicis
Aedibus illum heros, fortunarumq́; benigno
Pectore participem non abnuit eſſe ſuarum.

Satis conſtat primũ omniũ Hyettũ de adulterio pœnã ſumpſiſſe: multò enim pòſt Dracon, cùm leges in magiſtratu ferret, quibus de pœna & impunitate factorum cauit, ſeuera lege in adulteros animaduertendũ cenſuit. Eò iam Minyarum nomen dignitatis prouectũ fuerat, ut Neleus Crethei filius Pyli rex, ex Orchomeno uxorem Aorin Amphionis ex Iaſio geniti filiam duxerit. At euenit ut Halmi etiam proles aliquando interiret. Nam cùm liberos Orchomenus nõ ſuſcepiſſet, ad Clymenum Presbonis filium, Phrixi nepotem, imperium tranſijt. Filios hic habuit natu maximum Erginum, minores Stratiũ, Arrhonem Pyleum, & poſtremũ Axeum. Clymenũ ipſum, dum feſti dies Oncheſtij Neptuni agitarentur, Thebani homines ex cauſa admodũ leui uehementi ira concitati occiderunt. Erginus patri ætatis iure in regnum ſucceſſit: is cum fratribus exercitu comparato Thebas adortus, prælio primùm hoſtes fudit, icto deinde fœdere, pecunias ſe annua Thebani de Clymeni cæde ſatisfacturos pacti ſunt. Sed enim cùm Hercules ad Thebanorũ res tuendas ſe cõuertiſſet,

tiſſet, tributo liberati ſunt Thebani, *&* Minyarū *opes bello magnopere acciſæ.* Eo *tempore* Erginus, *ut qui cōfectos iam propè belli calamitatibus ciues ſuos uideret, pacem quidem cum* Hercule *fecit: ad priſtinas autem opes, & felicitatē redintegrandam cōuerſus, ita præ hac una cura omnia cōtem pſit, ut ſenectus eum cœlibem & orbum oppreſſerit.* Magna *demum congeſta pecunia, cupiditas eum liberûm ſuſcipiendi cepit.* Quare *cum* Delphos *ea de re conſulturus ueniſſet, huiuſmodi reſponſum accepit:*

Ergine ô Clymeni *proles* Presbonidæ, *ad aram*
Exquirens ſobolem ueniſti ſerò: ſed & nunc
Temoni *uetulo ualidum prætendito roſtrum.*

Cùm igitur oraculi monitu adoleſcentulā uxorem duxiſſet, Trophonius *&* Agamedes *ex eo matrimonio nati ſunt: etſi traditum eſt,* Apollinis, *nō* Ergini *filium fuiſſe* Trophoniū: *quod ego ut credam facilè adducor, & facilè ſibi id perſuaſum habeat quicunq; ad* Trophonij *oraculum acceſſerit.* Ii *cùm ad uirilem ætatem perueniſſent, ſolertia in deorū templis, & hominum regalibus tectis ædificandis præſtiterunt.* Erexerunt *itaq;* Delphis Apollini *templum, &* Hyrico *ærarium.* In *eius pariete lapidem unum ita collocarunt, ut extrorſum eum, cùm uellent, adductum eximerent.* Quoties *itaq; libitum eſſet, clàm introeūntes aliquid repoſitæ pecuniæ auferebant.* Enimuero Hyrieum *ea res uehementer ſolicitum habebat, præſertim cùm & claues & ſigna cætera incorrupta cerneret, pecuniæ tamen numerum quotidie comminui animaduerteret.* Ad *uaſorum igitur ora, in quibus erat repoſita pecunia, laqueos diſpoſuit, uel aliud quid eiuſmodi, quo ſimulac pecuniam quis eſſet attingere conatus, captus teneretur.* Ingreſſus *itaq;* Agamedes *in uin-*

*culis hæſit. Trophonius fratris caput ſtatim præcidit, ueritus nempe ne cùm illuxiſſet, per tormenta quæſtione habita, & ipſe ab illo, quòd furti fuiſſet ſocius, indicaretur. Trophonius quidem eo ipſo in loco terræ hauſtus eſt hiatu, quo extat in luco, qui eſt in Lebadea, ſpecus, qui Agamedis dicitur, columna ſupereminente. Orchomeniorũ poſt hæc regnum obtinuere Aſcalaphus & Ialmenus, quos Marti Aſtyoche Actoris filia, Axei neptis, Clymeni proneptis, peperiſſe dicebatur. Hos ad Troiam duces Orchomenij ſecuti ſunt. Eius etiam coloniæ, quam in Ioniam Codri filij deduxerunt, conſortes Orchomenij fuere. Suis uerò à Thebanis eiectos ſedibus, Orchomenũ Philippus Amyntæ filius reduxit. Sed eorum res aduerſa grauius fortuna ſemper afflixit. Apud Orchomenios Liberi Patris templum extat, & quod maximè priſcum eſt, Gratiarum. Saxa uerò quædam precipua colunt ueneratione, quæ excepiſſe Eteoclen è cœlo delapſa ferunt: nam quæ expolitius fabricata ſunt ſigna, & ipſa è lapide, ætate mea dedicata fuere. Fons illic eſt inſigni opere exornatus, in eum deſcendunt qui aquatũ ueniunt. Minyæ ærarium, unum eſt de Græciæ miraculis, nulli omnino eorum quæ uſpiam alibi ſint, operum magnificentia ſecundum. Ad hunc autem modum extructum eſt. Lapidei ſunt omnes parietes, rotunda operis forma, non ualde in acutum ſe attollente faſtigio: ſupremũ lapidem toti ædificio modulum conuenientiæ eſſe dicunt. * Sepulchra uiſuntur Minyæ, & Heſiodi. Heſiodi quidem oſſa hoc ſe modo recepiſſe narrant. Sæuiente in homines & pecudes peſtilentia, miſſos ad oraculum conſultores, reſponſum tuliſſe ad ſedandã luem, unicum illud fore auxilium, ſi ex Naupactio agro in Orchomenium Heſiodi oſſa deportaſſent: aliam ſanè nullam reperiri*

riri poſſe mali leuationem. Percontatos rurſus eos, in qua tandē Naupactij agri parte eſſent illa reperturi: reſpondiſſe Pythiam, locum cornicem monſtraturā. Cùm redirent in patriam qui ſciſcitatum miſsi fuerant, nō longè à uia cornicem conſpexiſſe ſaxo inſidentem, ibiq; Heſiodi oſſa inuenta in eius ſaxi latebra, cum hac elegorum inſcriptione:

Heſiodi patria eſt frumenti fertilis Aſcra,
Sed bello inſignes oſſa tenent Minyæ:
Huius in Argolicis excellit gloria terris,
Iudicium quibus eſt, ingeniumq; ſagax.

Iam uerò de Actæone, uulgatum inter Orchomenios fuit, uexari agrum ab ea larua quæ ſaxo inſideret: ea de re conſulto oraculo Delphico, iuſsi ſunt, ſi quas reperiſſent Actæonis reliquias, eas ut terra tegerent: præterea ut laruæ ſimulachrū ex ære factum ad ſaxum adligarent: quod ipſe adligatum uidi. Actæoni quidem quotannis parentant. Abeſt ab Orchomeno ſtadia ſeptem Herculis templum, in quo nō magnum utiq; ſignum. Sunt ibi Melanis fluuij fontes, & hic in Cephiſidem paludem influit. Magnam ſanè partem Orchomenij agri ea palus occupat, ex eaq; hyeme anni flantibus Auſtris latè ſtagnat aqua. Narrant Thebani ab Hercule Cephiſum amnem in Orchomeniorū campos auerſum, cùm antea per montanos cuniculos in mare exiret: eos meatus occluſiſſe Herculem. Sed nouit ſanè Homerus fuiſſe paludem Cephiſiadem abſq; Herculis opera: Paludi enim, inquit, accliuis Cephiſidi. Neq; ſatis eſt ueriſimile, non fuiſſe Orchomenios apertis cuniculis, & Herculis obice diſiecto, priſtinum exitū flumini reddituros, quandò ne Troicis quidem temporibus opes illi deſiderarunt. Teſtis eſt idem Homerus eo loco, quo Agamemnonis legatis reſpondentem Achillem facit:

Non ea quæ Orchomenum portantur cuncta.

Ex quo planè colligi poteſt, magnam Orchomenijs tunc pecuniam ſuppeditaſſe. Aſpledonem quidem ob aquarum penuriam deſertam tradunt: nomen uerò urbi contigiſſe ab Aſpledone, quem Midea Nympha Neptuno pepererit. Id confirmant uerſus à Cherſia facti, uiro, ut aiunt, Orchomenio:

Neptunoq́; tridentifero, inſigniq́; Midea
Aſpledon ſatus eſt, ampla ſpectandus in urbe.

Aetate certè mea Cherſiæ carmina iam uetuſtas aboleuerat: hos tamen ipſos uerſus Callippus retulit in oratione de Orchomenijs. Eidem ſanè Cherſiæ epigrãma Orchomenij attribuunt, quod Heſiodi ſepulchro inſcriptũ fuit. Quà montes conſurgunt, Orchomenijs finitimi Phocenſes: quà campi patent, proxima eſt Lebadea. Hæc olim & ipſa in edita regionis parte habitabatur, Midæ nomine, ab Aſpledonis nempe matre. Lebedo uerò Athenis in ea loca profecto, in plana incolæ deſcenderunt, & Lebadea à Lebedo ipſo nomen accepit: cuius neq; pater quis fuerit, norunt, neq; quam ob cauſam illuc uenerit: tantùm illud ſciunt, uxorem ei Nicen fuiſſe. Exornata urbs eſt operibus, haud minus quàm alia quæuis maximè florentium Græciæ urbium. Modicè ab ea recedit Trophonij lucus: quo loco Ercynam tradunt cum Cereris filia ludentem, anſerem è manibus inuitam dimiſiſſe: uolitantem illum ſubiſſe cauernoſum antrum, ibiq́; ſe ſub lapide occultaſſe: Proſerpinam ſubingreſſam, auem à fuga retraxiſſe: quo loco lapidem ſubmouerat, aquam erupiſſe, qui poſtea fuerit Ercyna amnis appellatus. Manet ad Ercynæ ripas ædes, & ſignum in ea, uirgo anſerem manibus præferens. Fluuij fontes intra ſpeluncam ſunt: & ſtantia ſimulachra,

chra, quorum ſceptris angues circumuoluti ſunt. Conijciat quis eſſe illa Aeſculapij & Hygiæ. Sed ſuſpicari etiam liceat eſſe Trophonij & Ercynæ, cùm nõ magis Aeſculapio quàm Trophonio angues conſecratos habeant. Prope amnem eſt Arceſilai monimentum. Reportaſſe è Troia Arceſilai oſſa Leitum dicunt. In luco Trophonij maximè inſignia ſunt, ſignum, quod Aeſculapij eſſe facilè exiſtimes: Praxiteles illud fecit. Eſt ibidem Cereris, cognomento Europæ, ſacellum, & ſub diuo Iupiter Pluuius. Per montis cliuum, quà ad oraculum uia ducit, eſt Proſerpinæ Venatricis, & Iouis Regis templum, quod & propter ſpatij magnitudinẽ, & propter continuata bella, dimidia tantùm ex parte perfectum reliquerunt. In alio templo, Saturni, Iunonis, & Iouis ſimulachra ſunt. Apollinis etiam illic eſt fanum. Quod ad oraculum pertinet, obſeruatur ritus huiuſmodi. Vbi ſtatuerit quis in Trophonij deſcendere, primùm dierum certũ numerum eſt ei in ædicula quadam cõmorandum: eſt illa, Bono genio, & Bonæ Fortunæ ſacra. Illic degens & alia ſuſcipit expiationum genera, & calidis interdum cùm opus ſit ad lauandum aquis, Ercyna fluuio ſe abluit. Carnes ei de uictimis largè ſuppeditant. Immolat enim qui huc deſcendit, Trophonio, & filijs: Apollini præterea, Saturno, Ioui, cui Regi cognomen, Iunoni Heniochæ, & Cereri, quã Europen nominant, ac fuiſſe Trophonij nutricẽ perhibent. Adeſt aruſpex, qui cæſarum hoſtiarũ uiſcera inſpectat: ex ea inſpectione uaticinatur, nunquid Trophonius placatus iam & propitius, conſultorem ſit accepturus. Alia tamen exta non tam perſpicuè Trophonij mentem denunciant, uerùm ea quæ quis nocte deſcendit, arietem mactat ad ipſam foueam, Agameden illum uocitans. Exta cætera pro nihilo ducuntur, etiam

ſi maximè fuerint læta, niſi eo ipſo ariete litatum fuerit. Id *ubi ita euenerit, ut extorum cõſentiat ſignificatio, bona cum ſpe deſcendit conſultor: atq; hoc maximè modo initiatus, hocq; ritu deſcendit.* Deducunt *ſacrificuli eum noctu ad* Er*cynam fluuium, ibi hominem oleo perungunt pueri duo ex oppidanorum liberis annos fermè nati tredecim:* Hermas, *id eſt,* Mercurios *illos nuncupant: hi ſunt qui illum abluunt, quiq; miniſtrant quæ ſunt opus omnia, ut puerorum eſt captus.* Hinc *non ſtatim ad oraculum, ſed prius ad amnis fontes ducitur: ſunt uerò duo inter ſe proximi:* Bibenda *illic eſt* Lethes, *quæ dicitur, aqua, quò cunctorum ei, quæ memoria complectebatur, obliuio contingat:* Mnemoſynes *deinde, id eſt* Memoriæ, *aquas potat, ut ne mens effluat, quo minus quæ intra ea penetralia uiderit, omnia memoriæ contineat.* Iam *ſimulachrum, quod feciſſe* Dædalum *autumãt, contemplatus, nemini prorſus id oſtendunt ſacerdotes, præterquàm iis, qui ad* Trophonium *ſunt acceſſuri: eo ſigno conſpecto, & cum multa religione uotis nuncupatis, ad oraculũ progreditur, tunicam indutus lineam, ac tæniis incinctus, ſoleis popularibus in pedes inductis.* Eſt *uerò oraculum ſupra lucum in monte, crepido in orbem candido ſaxo circunſepta. Crepidinis ambitus eſt inſtar areæ minimæ, altitudine minore quàm cubitûm duûm.* Erecti *ſunt ſuper crepidine obeliſci, tam ipſi, quàm zonæ, quibus continentur, ænei.* Inter *eos media ſunt hoſtia.* Intra *ambitum ſpecus eſt non natura, ſed arte, & certo proportionis modulo quamſolertiſſimè exciſus.* Eius *ſubterraneæ cellulæ forma fornaculæ perſimilis: cuius latitudo dimenſa per rectam lineam ab imo ambitu ad ſummũ, cubita æquarit plus minus* IIII. *In altũ ſubſidit hiatus haud amplius octo ferè cubitûm.* Nulli *uerò gra-*

dus

dus conſtructi ſunt, qui ingreſſos ad imum ſolum demittãt: ſed ad Trophoniũ *deſcenſuri ſcalas admouent, anguſtas æquè atq; habiles.* Vbi *deſcenſum fuerit, media inter ſolum et antri teſtudinem cauernula eſt latitudine duorum dodrantum, altitudine dodrantali. Qui eò penetrarit, humi procumbens melle ſubactas offas tenens, pedes prius in cauernulam illã immittit: mox genua properat ad pedes adiungere: ſtatim reliquũ corpus ad genua contractum, eodem propè modo, quo ſi maximi & concitatiſſimi amnis aquarum uortice correptum fuiſſet, intrò abripitur. Qui certè intra penetrale deſcenderint, futura non uno & eodem cognoſcunt modo, ex uiſis alius, ex auditis alius id conſequitur.* Per *eaſdem fauces patet omnibus reditus, in pedes uerò retrograduntur.* Neminem *omnino ex ijs, qui eò peruaſerint, non reducem euaſiſſe affirmant, uno excepto, qui de ſpiculatoribus* Demetrij *fuit: illum certè neq; eorum quicquam ſacrorum, quæ fieri ad fanum illud religione ſancitum eſt, feciſſe: & non ſciſcitandi cauſa, ſed quòd argentum, & aurũ ſe, quod illic eſſet, erepturũ ſperarat, introiſſe aiunt: eius itaq; cadauer in diuerſam partem, & non per ſacrum hiatus illius oſtium eiectũ.* De *quo quidem homine cùm multa fuerint memoriæ prodita, ea ipſe quæ narratu duxi digniſſima expoſui. Conſultorem à* Trophonio *reuerſum ſacrificuli in ſolio collocant, quod* Mnemoſynes *uocant: poſitum illud eſt non procul ab adyto.* Ab *eo percontantur quæcunq; uel uiſa, uel audita reportarit.* Ea *ubi accepere, ſuis illum reddunt.* Hi *in cellam* Fortunæ, & Boni Genij, *in qua ueniens primùm commoratus fuerat, eum reducunt, multo illum quidem attonitum terrore, & ſuimet, atq; omniũ adſiſtentium oblitũ.* Reſpiſcit *tamẽ paulò pòſt, & priſtina ei mens,*

& riſus redit. Scribo autē non ſolùm audita,ſed quæ et alijs accidiſſe uidi,& egomet ſum expertus cùm ad Trophoniū conſulendi cauſa ipſe etiam uenerim. Coguntur ſanè omnes, qui à Trophonio redeunt, quæcunq; uel audierunt,uel ui derunt,à ſe conſcripta in tabulam referre. Seruatur illic Ari ſtomenis ſcutum in hanc uſq; diem,de quo iam antè quæ dicenda fuerunt,in alia à me ſunt hiſtoriæ parte expoſita. Hoc oraculum cùm antea prorſus ignoraretur, ex huiuſmodi ca ſu ad Bœotos eius peruenit notitia. Cùm unum & alterum iam annum nullis terra imbribus irrigaretur, è ſingulis ciuitatibus Delphos miſsi ſunt qui opem implorarent. His ſiccitatis remediū expoſcentibus, Pythius Apollo imperauit,ut Lebadean uenientes à Trophonio mali auxiliū quærerent. Lebadean itaq; profecti,cùm oraculū reperire non poſſent, Saon quidam Acræphnienſis, collegarum natu maximus, cùm apum examen conſpexiſſet, quocunq; illæ diuertiſſent ſequi ſtatuit. Vbi igitur eas ad ſpecū quandā aduolantes uidit,& ipſe ſubiens, oraculum quod quærebant, illud eſſe in tellexit. Saonem hunc cùm ea, quorum cauſa miſſus fuerat, tum ſacrorum omnem ritum, & quæ inter conſulendum fie ri fas eſt,edoctū à Trophonio memorant. Ex omnibus Dædali operibus, apud Bœotos duo extant: Hercules Thebis: apud Lebadenſes Trophonius: totidē in Creta è ligno: Brito martis ad Oluntē,& apud Gnoſsios Minerua: habent ijdem & Ariadnæ chorum,cuius in Iliade Homerus mentionem fe cit,ex candido lapide. Eſt & apud Delios Venus eiuſdem ar tificis opus,non magnum ſanè ſignum è ligno,& exeſa uetu ſtate manu dextera: qadrangulæ inſiſtit pro pedibus baſi. Crediderim ſignum hoc à Dædalo Ariadnā accepiſſe,ſecumq; illud abeuntem cum Theſeo aſportaſſe: Theſeum cer tè

tè Delij tradunt Ariadnæ ademptum Apollini Delio dedicaſſe, ne ſcilicet ſibi, ſi illud retinuiſſet, iam domum reuerſo, Ariadnæ deſiderium cõmoueret, atq; ita ex ea recordatione nouis amoris aculeis ureretur. Præter hæc quæ enumeraui, nulla quod ſciam iam reliqua ſunt Dædali opera: nam quæ in Iunonis dedicarunt Argiui, & quæ ab Omphace Gelam in Siciliam deportata fuere, cuncta temporis aboleuit diuturnitas. Lebadenſibus uicini proximi ſunt Chæronenſes. Eorum urbs olim Arne eſt appellata: filiam Aeoli Arnen fuiſſe dicunt, à qua urbs altera etiam in Theſſalia Arne fuerit nuncupata. Hoc autem quod nunc habent nominis, contigiſſe eis à Chærone, quem Apollinis fuiſſe filium arbitrantur, ex Therò Phylantis filia. Teſtatur hoc qui magnas fecit Matutinas, quas Eœas inſcripſit, his uerſibus:

Illuſtri Phylas iunxit ſibi natam Iolao
Lepephilam, diuas quæ formæ æquabat honore:
Hac illi natus præcelſa eſt editus aula,
Et Therò formoſa oculis æquanda Dianæ.
Therò dein Phœbi ſacro dignata cubili,
Cheronem generauit equos clarum arte domandi.

Mea quidem ſententia norat Homerus Chæroneam, & Lebadean appellari, ſed maluit priſcis uti earum urbium nominibus, ſicuti & flumen Aegyptũ, potius quàm Nilum dixit. In Cherronenſium agro duo ſunt trophæa: ea dux Romanorum Sylla erexit, Taxilo fuſo Mithridatis copiarũ duce. Amyntæ quidem filius Philippus, neq; ad Chæroneam, neq; uſpiam uel de Barbaris, uel de Græcis à ſe uictis ullum erexit trophæum: neq; fuit omnino patrius Macedonibus mos, uictorias ſuas trophæis ullis teſtatas relinquere. Eſt à Macedonibus ipſis traditũ, Caranum regem ſuum uicto in pugna

Ciſſeo, qui finitimis imperabat, Argiuorum *ritu trophæum conſtituiſſe.* Erumpentem *autem ex* Olympo *leonem ita illud ſubuertiſſe, ut prorſus fuerit abolitum.* Intellexiſſe Caranum *id ſibi meritò contigiſſe, quòd eò monimento erecto, ſpem ſibi reditus in gratiam finitimis præcidiſſet: reliquo dehinc tempore, neque Caranum, neq; ſucceſſorem quenquam trophæum ullum excitaſſe, quòd nempe ſibi ad reditum in gratiam cum hoſtibus, loci aliquid relictum uoluerunt. Satis certum fuit huius rei argumentum, quòd* Alexander *neque de* Dario, *neque de* Indicis *uictorijs trophæum ullum erigendum curauit.* Proximo *urbi loco eſt commune* Thebanis *ſepulchrum ijs, qui in acie contra* Philippum *ſtantes ceciderunt.* Nulla *eſt appoſita inſcriptio.* Inſigne *tumuli leo eſt, ad eorum uirorum animi magnitudinem ſignificandam.* Inſcriptum *(ut opinor) propterea nihil eſt, quòd illorum hominum uirtutem dij non fortunaſſent.* Deorum *omnium maximè colunt* Chæronenſes *ſceptrum illud, quod* Ioui *fabricaſſe* Vulcanum *cecinit* Homerus: *à* Ioue *acceptum,* Mercurium *dediſſe* Pelopi, Pelopem Atreo *reliquiſſe,* Atreum Thyeſti, *à* Thyeſte *per manus traditum tenuiſſe* Agamemnonem. Hoc *præcipuè ſceptrum uenerantur,* Haſtam *nominantes.* Diuinitatis *ei neſcio quid ineſſe declarat id, quod ex ipſo ab hominibus cernitur.* In Panopenſium *finibus, qui ſunt in* Phocide, *illud repertũ* Chæronenſes *dicunt, aurum etiam cum eo, ſed facilè à* Phocenſibus *aurum retineri paſſos, modò ut ipſi ſceptrum haberent.* Ab Electra Agamemnonis *filia in* Phocidem *exportatum putarim.* Templũ *ei nullum eſt publicè dedicatum, ſed quotannis ſacri eius curator in ſuis ædibus ſceptrum ſtatuit.* Ei *res diuina quotidie fit, menſa appoſita cuiuſuis generis carnibus, & bellarijs referta.*

ſerta. Omniũ uerò Vulcani operum, quæ & poëtarum carmina, & aſſentiens hominũ fama celebrauit, aliud ſanè nullum, quàm ſceptrum hoc, magna dignandum æſtimatione, eſt fide hominũ receptũ. Lycij quidem Pataris in Apollinis æneum oſtentant craterem, Telephi donum fuiſſe dictitantes, & Vulcani opus: ignorant ſcilicet illi (ut par eſt) primos qui æs fuderint, Theodorum & Rhœcum Samios fuiſſe. Patrenſes in Achæis Vulcani, uerbo duntaxat, opus eſſe dicunt arcam eam, quam Eurypylus ab Ilio exportarit: re nullam in cõſpectu ponunt. Eſt in Cypro urbs Amathûs: in ea Adonidis et Veneris fanum uetuſtiſsimum, in quo poſitum tradunt monile Harmoniæ ab initio datum, quod Eriphyles tamen uocatur, quòd hoc illa dono accepto uirũ ſuum prodiderit: id Phegei filij Delphis dedicarunt. Ad eos quemadmodum peruenerit, ubi de Arcadum rebus egimus, expoſitum eſt. Illud poſtea Phocenſium tyranni templo ſpoliato abſtulerunt. Neque enim eſt ſententia mea; apud Amathuſios in Adonidis, quod Eriphyles fuit, cùm è uiridibus lapidibus ſit, hoc, auro reuinctũ: Homerus uerò illud in Odyſſea aurum dicat fuiſſe:

Dura, uiri ſacro uitam quæ uendidit auro.

cùm non ignoraret tamen Poëta uariorum etiam monilium opificium. Quo enim loco cum Vlyſſe loquitur Eumæus, priuſquàm è Pylo Telemachus ueniens ad ſtabula diuertiſſet, uerſus ibi eius huiuſmodi ſunt:

Nanq; mei ſolers ſubiens uir tecta parentis,
Attulit electro fulgens, auro q; monile.

Inter ea etiam dona, quæ Penelope à procis accipit, ab Eurymacho monile perbelle diſtinctum, datum memorat:

Ornatum uariè Eurymachus torquem attulit aureum,

Lucentem electro, Phœbi uelut ignea lampas.

At Eriphylen, non diſtinctum auro & lapidibus monile, dicit accepiſſe: eo fit ut unicum hoc ſupereſſe ſceptrum ſtatui poßit ex omnibus Vulcani operibus. Supra Chæronæ mœnia, eſt prærupta montis crepido, qui Petrachus appellatur. Eo loco deceptum à Rhea Saturnum credi uolunt oblato lapide pro Ioue. In montis uertice non magnum eſt Iouis ſimulachrum. Vnguentum è floribus coquendo conficiunt Chæronenſes, roſa, lilio, narciſſo, gladiolo (quæ eſt Græcis Iris) præſens contra hominum dolores remedium. Roſaceo quidem ſi lignea ſimulachra perunxeris, facilè contra omnem materiæ tabem defenderis. Naſcitur Iris paluſtribus locis, lilio par magnitudine, colore minimè candida, odore minus quàm lilium uehementi.

PAVSANIAE PHOCICA, SIVE LIBER DECIMVS.

PHocidis partem eam, quæ Tithoream & Delphos attingit, ſatis cōſtat ab initio nomē à Phoco Ornytionis filio ſumpſiſſe: nō ita multis uerò pòſt annis, Aeginetis cum Phoco Aeaci filio claſſe in ea loca appulſis, ut regio, quanta nunc eſt, Phocis à coloniæ nouo autore perpetuo nomine uocaretur, uſus obtinuit. Enimuero Phocenſes, quà Peloponneſum ex aduerſo proſpectant, quaq; Bœotiã contingunt, maritimi ſunt, inter Cirrham Delphorum nauale, & Anticyram urbem medij. Nam quo minus ad mare proximè accedãt, ex ea parte qua eſt ſinus Maliacus, prohibent Locri Hypocnemidij, oram

eam

eam tenentes, quæ extremæ Phocidi adiuncta eſt: nam ultra Elatean ſunt Scarphenſes, & ſupra Hyampolin Abantes, qui Opuntem, & Opuntiorũ nauale Cynum incolũt. Quæ Phocenſes ad gloriam maximè illuſtria publicis opibus & conſilio geſſerũt, hæc ferè cõmemorari poſſunt. Primùm ad bellum Troianum auxilia miſere: deinde, ante Perſarum in Græciam irruptionem cum Theſſalis bellarunt, quo tempore inſigne ad memoriam facinus ediderunt. Ad Hyampolim enim quà intra ipſorum fines inuaſurum Theſſalorum equitatum exploratum habebant, urnas fictiles defodêre, quas terra ſuperaggeſta operuerunt. Hoſtes, ut qui eas inſidias non prouiderant, citatis equis excurſione facta, incauti in eas urnas inciderunt: ibi cùm eo caſu fracti & debilitati fuiſſent equorum pedes, uiri ex equis prolapſi paßim cæſi. Ea re uehementius quàm antè multò ira Theſſali inflammati, ex omnibus ciuitatibus accitis auxilijs, rurſus Phocenſes cum apparatißimo exercitu adorti ſunt. Magnus Phocenſibus inceßit terror, tum apparatum reliquum hoſtium, tum maximè equeſtres copias metuentibus, quòd non ipſo tantùm numero, ſed equorum & hominum in equeſtribus prælijs peritia atque exercitatione, facilè excellebant Theſſali. Mittunt itaq; Delphos qui de periculo propulſando oraculum conſulant. Qui mißi fuerant, tale retulerunt reſponſum:

Mortalem atq; deum iubeo decernere ferro,
Victor uterq;, aliud ſed enim mortalis habeto.

Hoc Phocenſes accepto oraculo, delectos uiros C C C. *duce Gelone in hoſtes mittũt: mandata uerò illis dedere, ut noctis initio ex occulto quammaximè poſſent, quid Theſſali molirentur ſpeculatũ irent, deinde in caſtra reuerterentur, cæ-*

co maximè itinere: ac ut omnino ne manus uoluntate ſua conſererent. Hi omnes ad unum cum ipſo Gelone duce ſuo perierunt, partim equorum pedibus conculcati, partim ab hoſtibus occiſi. Ingentem ea clades pauorem in caſtra pertulit, atque eò uentum eſt deſperationis, ut coniuges, liberos, fortunas cæteras, quas agere quiſq; aut ferre poſſet, ueſtem, aurum, argentum, deorum ſigna, in unum coëgerint, ibi maximo extructo rogo, uiros XXX. *duntaxat reliquerunt, quibus imperarunt, ſi ita accidiſſet, ut qui ad prælium exiſſent, hoſtibus ſuccumberent, primò fœminas, ac impuberes omnes iugularent: deinde quas congeſſerant opes in rogum conijcerent, atq; in eas ignem immitterent: poſtremò & ipſi uel mutuis confoderent ſe uulneribus, uel ultro in medium hoſtium equitatum ruerent. Ex eo, ſæua omnia & immania conſilia, Græcorũ uerbo, Phocica deſperatio appellari cœpta. His ita conſtitutis, cõtra* Theſſalos *copias educũt: duces fuere* Rhœcus Ambroſſenſis, et Hyampolitanus Daiphanes: *hic equitum, peditum ille agmen ducebat.* Erat apud imperatores *perhonorificus* Eleo *uati locus:* Tellias *hic fuit, in quo magnam ſalutis repoſitam ſpem* Phocenſes *habuerunt.* V*bi ad manus uentum eſt, continuò* Phocenſibus *ante ipſos propè oculos fuerũt, quæ de cõiugibus et liberis ſtatuerant: animo uerò obuerſabatur, quàm ancipiti nutantis fortunæ quaſi quodam ſalo, ſua ſuſpenſa eſſet ſalus. Hæc in cauſa fuerunt, ut alacres cuiuſuis diſcriminis aleam ſubirent. Confirmati etiã ſunt maximè, quòd ab extarũ ſignificatione in certiſſimam ſpem uenerunt, fore ſibi propitios deos. Victoriam igitur adepti ſunt omnium, quæ quibuſuis antè populis eueniſſent, maximè inſignẽ. Ac tunc Apollinis ambiguũ illud reſponſum omnibus innotuit. Cùm enim utrinq; de more*

à du-

à ducibus militi teſſaræ darentur fortuitù, ad oraculi uerba appoſitæ datæ ſunt, à Theſſalis, Itonia Minerua: à Phocenſibus, Gentis autor Phocus. Miſſa gratulandi cauſa Delphos dona Apollini, Dei ipſius ſignum, Telliæ uatis, & ducum ſtatuæ, cumq; ijs gentilium heroum: Ariſtomedon eas Argiuus fecit. Neq; uerò poſt hoc factum callida Phocenſibus conſilia defuerunt. Conſtiterant aliquando in primo Phocidis aditu aduerſa caſtra: ibi lecti homines è Phocenſibus quingenti, obſeruato eo tempore quo ſuum Luna orbem explerat, Theſſalos noctu adoriuntur, oblitis gypſo corporibus: gypſo item dealbatis armis. Ingentem memorant Theſſalorum factam cædem, quòd ea ſpecie territi, immiſſa diuinitus per noctem ſibi uiſa, non hoſtium illud aſtu eueniſſe interpretabantur. Eſt hoc etiam ab Elco Tellia in Theſſalos excogitatum. Iam uerò cùm in Europam Perſæ exercitum traiecißent, Phocenſes fama fuit neceßitate coactos, in Xerxis partibus fuiſſe: ſed mox à Barbaris deſciſcentes, cum Græcis Platæenſi prælio in acie ſtetere. Inſequenti dehinc tempore multa eſt illis ab Amphictyonibus irrogata. Neq; uerò habeo ſatis ueram eius rei cauſam compertã, nunquid noxam cõmeriti fuerint, an uerò Theſſali ob ueteres inimicitias, huius Phocenſibus calamitatis infligendæ autores fuerint. Cùm multæ magnitudinẽ iniquißimo animo ferrent, extitit Philomelus Theotimi filius, Phocenſium nemini dignitate ſecundus: Ledon ei patria erat, urbs Phocica: is pro concione docuit, longè grauiorem eſſe, quæ à ſe peteretur, pecuniæ ſummam, quàm ut eam pendere ullo pacto poſſent: cenſuit itaq; Apollinis Delphici templum ſpoliandum. Cùm & alia ualde ad perſuadendũ appoſita afferret, & illud in primis, quòd cùm ab Athenienſibus & Lacedæmonijs iampridem

ſibi pacata eſſent omnia, facilè Thebanos, & alios quoſcunq; qui ſe armis laceßiſſent, cùm uirtute, tum pecuniæ impendijs poſſent ſuperare. Philomeli oratio multitudinis ual de ſecunda uoluntate eſt accepta, ſiue quòd mentem deus à rectis conſilijs auertiſſet, ſeu quòd is populus ſuapte natura religioni ſolitus eſſet quæſtũ anteponere. Fanum Apollinis diripere aggreßi ſunt Phocenſes, principatum Delphis Heraclide, Agathocle Athenis obtinente, Olympiadis quintæ & centeſimæ, è qua ſtadij palmã meruit Prorus Cyrenæus, anno quarto. Sacra pecunia potiti, ſtatim ex omnibus Græciæ partibus, firmißimas mercenariorum militum cohortes conduxerunt. Thebani quidem apertè contra eos arma mouerunt, nempe qui et antè offenſiore in illos fuiſſent animo. Bellatum eſt continenter annos ipſos decem: quo temporis interuallo modò Phocenſes cũ ſuis cõductitijs, modò Thebani minutis prælijs, uariante, ita ut fit, Fortuna, uictores diſceſſerunt. Collatis demũ apud Neonẽ urbem ſignis, Phocenſes terga uertêre: Philomelus in fuga ex arduo & prærupto ſaxo cùm ſe præcipitem dediſſet, exanimatus eſt. Idem necis genus, Amphictyonũ decreto, eſt ijs omnibus, qui eum ſecuti fuerant, irrogatũ. Philomeli imperium Onomarcho Phocenſes detulerunt: cum Thebanis uerò ſocietatem coiuit Philippus Amyntæ filius: & ſanè eius bello gerendi imperio ſuſcepto, hoſtes acie fugit. Onomarchus ad mare fugiens à ſuis militibus eſt iaculis confixus, ipſius ignauia, & imperandi inſcitia, ea ſe clade affectos interpretantibus. Talẽ uitæ finẽ diuina ueluti quædam ſors Onomarcho attulit. Phocenſes eius fratri Phayllo ſumma cũ poteſtate imperiũ decreuerũt. ei uixdum ad imperandũ aggreſſo, talis oblata eſt per ſomnium ſpecies. Inter Apollinis donaria peruetus effigies quædam

fuit ex ære, hominis, cui carne cõſumpta, ſola eſſent reliqua oſſa: aiebant Delphi *ab* Hippocrate *medico dedicatã. Huic* Phayllus *ſe ſimilem factũ uideri uiſus eſt: ac paucis pòſt diebus macie contabeſcens ſomnij euentũ impleuit.* Phayllo *extincto, ad* Phalæcũ *filium patris principatus tranſijt. Huic, quòd ſacram pecuniam depeculatus eſſet, imperium eſt abrogatum: ac deinde, cùm in* Cretam *claſſe tranſmiſiſſet unà cùm ijs, qui eius partes ſequi uoluerant, & Cyaonem urbem cum mercenariorum manu obſideret, quòd imperatam pecuniam illa ciuitas péndere recuſaſſet, amiſſo exercitu ipſe etiam perijt.* Decimo *pòſt anno, quo templum expoliatum eſt, bello huic quod idem* Phocicum & Sacrũ *appellarũt, finem* Philippus *impoſuit, principatum apud* Athenienſes *obtinente* Theophilo, *octauæ & centeſimæ* Olympiadis, *qua de ſtadio* Polycles Cyrenæus *uictor renunciatus eſt, anno primo.* Phocenſiũ *quidẽ urbes expugnatæ, & ſolo æquatæ fuere, quæ iam enumerabuntur,* Lilæa, Hyampolis, Anticyra, Parapotamij, Panopeus. Daulis *harum nomina ſunt à priſcis iam tum tẽporibus, neq; nõ ex* Homeri *plurimũ uerſibus celebrata. Alias obſcuras antè,* Erochum, Charadran, Amphiclean, & Neonas, *cùm eas* Xerxis *exercitus concremaſſet, ſua calamitas* Græcis *notiores reddidit. In quo etiam numero fuere* Thronium, *et* Drymæa: *nam aliæ, præter* Elatean, *ante hunc* Phocici *belli exitum minimè illuſtres fuerũt,* Thracis *ſcilicet,* Phocica, Medeon, Phocicus, Echedamea: *ad has* Ambroſus *adijcienda,* Ledon & Polygonium, *amplius etiam* Sterrhis. *Omnes, quas percenſuimus, deletæ, & ad formam uicorum redactæ, præter* Abas: *nam* Abæi *ſacrilegij prorſus expertes fuerant, et nõ modò à templi direptione manus abſtinuerant, ſed à belli etiam ſocietate abhorrue*

rant. Eſt autem Phocenſibus & fini, & publici Græcorum conuentus cõmunione interdictum. Ius uerò ſuffragij quod penes ipſos fuerat, ad Macedonas Amphictyones tranſtulerunt. Non longo interiecto deinde tempore, ex uicis in ſuas quiq; patrias reſtituti, urbes inſtaurarũt, præter eas tamen, quæ ob priſtinam tenuitatem & pecuniæ inopiam refici nõ potuerunt. Reſtitutionis eius duces & autores Athenienſes & Thebani fuerunt, antequàm, clade ad Chæronean accepta, Græcorum uires acciſæ eſſent. Steterunt in acie ad Chæronean ipſi etiam Phocenſes, & poſtea ad Lamiam & Crannonem cum Antipatro Macedonum rege pugnarunt. Gallorum ijdem exercitum omnium Græcorũ acerrimè perſecuti ſunt, ſimul ut Apollinis Delphici iniuriam ulciſcerentur, ſimul uerò ut ueterem infamiã abolerent. Atq; hæc de rebus geſtis Phocenſium cõmemorari poſſunt. A Chæronea ſtadiûm XX. uia Panopeum ducit. Vrbs ea eſt Phocenſium, ſi modò urbem eam appellare par fuerit, in qua ciues nõ prætorium, non gymnaſium, non theatrũ, non forum ullum habent, non deniq; ullum perennis aquæ conceptaculum. Con cauas habitãt caſas, qualia ſunt montana tuguria, inter conuallium anfractus: ſuis tamen limitibus à finitimis diuiduntur: mittuntq; certos homines, qui ſibi attributum ſedendi locum in Phocenſium conuentu teneant. Nomen urbi ab Epei patre ductum aiunt, cùm ab initio ſe Phlegyas fuiſſe dicant, & in Phocidem ex Orchomeniorum finibus profugos tranſiſſe. Veterem Panopei ambitum uidimus, quem ſtadiûm fuiſſe VII. conijcimus. Subijt Homeri uerſuum recordatio, de Tityo, quibus Panopeum urbem cognomine Callichorum uocat. At in dimicatione de Patrocli cadauere, Schedium Iphiti filium Phocenſium regem, qui ab Hectore occi-

ſus

ſus eſt, Panopei domicilium dicit habuiſſe. Huius quidem rei fuiſſe cauſam Bœotorum metum arbitror: nam cùm alijs ex partibus ualde eſſet peruia Phocis, Panopeo ille ueluti pro arce utebatur. Alterum uerò illud quidnã ita Panopeũ Callichorum uocauerit, non potui coniectura conſequi, priuſquàm à Thyadibus id didicerim: ſunt uerò Thyades Atticæ fœminæ, quæ in Parnaſſum quotannis uenientes, unà cum Delphicis mulieribus arcana Libero Patri agitãt ſacra: his inter uias, & alibi apud Panopenſes choros inſtituere ſolennis ritus eſt. Quare uidetur Homerus, cùm eo nomine Panopeum ornat, Thyadum chorum ſignificare uoluiſſe. Eſt Panopenſibus in ipſa uia è crudo laterculo ſacellum, & in eo ſignum è lapide Pentelico: quidam Aeſculapiũ, alij Prometheum eſſe dicunt. Eius rei teſtimonia haud dubia ſe habere putant, quòd ad præruptas proximi torrentis ripas ſaxa iacent magnitudine nihilo minore, quàm ut plauſtrum onerare queant ſingula. Color illis non terreni luti, ſed qualis in ſabulo riuorum & torrentium cernitur. Odorem etiam humani propè corporis referunt: reliquias eſſe aiunt has luti illius, è quo primum illum hominem, unde uniuerſum hominum genus extitit, Prometheus finxerit. Ad eundem torrentis alueum eſt Tityi ſepulchrum: aggeris ambitus nihilo maior unius ſtadij triente. De Tityo uerſus in Odyſſea eſt:

Porrectumq; nouem Tityon per iugera terræ.

Hunc uerſum non ad Tityi magnitudinem, ſed ad illam in qua ſitus eſt, aream pertinere exiſtimãt, quòd nouem ea iugerum ſit. At Cleon Magnes (ſunt uerò Magnetes Hermi accolæ) eos maximè homines rerum miraculis fidem habere non cõſueſſe dicebat, quibus in tota uita non cõtigiſſet quicquam intueri, quod eſſet cõmuni hominũ opinione maius: ſe

certè adduci poſſe ut crederet, & Tityum, & alios ea magnitudine, quam fama prodidit, fuiſſe. Veniſſe enim fortè ſe aliquando Gades, & ab ea inſula cum tota ſui comitatus turba, quòd id Hercules imperaſſet: mox iterum Gades reuerſum, marinũ hominem in litus eiectum inueniſſe, nihilo breuiorem iugerum V. *ſpatio, qui fulmine ictus conflagrarat.* Diſtat à Panopeo ſtadia plus minus V I I. Daulis. Oppidani in ea numero non multi ſanè ſunt: fortitudine uerò Phocenſium hac ipſa etiam ætate longè præſtantiſſimi. Nomen oppido à Daulide Nympha Cephiſſi filia impoſitũ tradunt. Crediderũt alij locum, in quo urbs munita eſt, condenſum olim arboribus fuiſſe, à ueteribus uerò conſepta ſyluis loca Daulia appellata, & ex eo Aeſchylum Glauci Anthedonij montem Daulum dixiſſe. In hac urbe Tereo filiũ epulandum appoſuiſſe fœminæ dicuntur, quod fuit pollutarum menſarum hominibus exordium. Vpupa uerò in quam mutatum Tereũ fama uulgauit, auis eſt paulò coturnice maior, ſurgentibus è uertice in criſtæ modum pinnulis. Dignum illud admiratione, quòd intra huius terræ fines, hirundines neq; pariunt, neq; ex ouis pullos excludunt, nec omnino tectorum laquearibus ullos affigũt nidos. De Philomela uerò, Phocenſes dicunt etiã auem factam, Terei perculſam terrore, extra eius patriæ fines euolaſſe. Eſt apud Daulienſes Mineruæ fanum, in quo peruetus Deæ ſignum. Quod uerò è ligno eſt impolitũ, deportaſſe Procnen Athenis ferunt. Dauliadis terræ pars eſt regiuncula Thronis, in qua eſt heroicũ monimentũ, heroi illi dicatum, à quo gentis primordia extiterũt. Hunc ſunt qui dicant Xanthippum, hominem bello clarum: alij Phocum Ornytionis filium, Siſyphi nepotem fuiſſe: ei quotidianos habent honores, & hoſtijs mactatis,

ſangui-

ſanguine per cauernulam demiſſo, ſepulchrum perfundunt: uiſcera eodem in loco conſumere patriũ illis eſt. A Daulide *ad* Parnaßi *iuga aſcenditur, uia illa quidem longiore, minus tamẽ multò, quàm ea eſt quæ* Delphis *eòdem ducit, difficili.* A Daulide *rurſus flectentibus, & rectà* Delphos *pergentibus, ad læuam ædes eſt, quod* Phocicũ *uocant. Eò è ſingulis* Phocici *nominis urbibus conueniunt, qui ad conſultandum mißi fuerint.* Loci *ingens eſt magnitudo, quàm longè ſpatiũ interius patet, columnis tectum ſuſtinentibus.* Gradus *à columnis utrunq; ad parietes attolluntur: in illis ſua eſt* Phocenſium *conuentu ſeßio.* In *extremo templo neq; columnæ, neq; gradus ulli ſunt: ſed* Iouis *illic ſignum in ſolio,* Iuno *ad dexteram, ad læuam* Minerua *aßiſtit.* Hinc *progreſſus ad uiam peruenias quam* Schiſten, *hoc eſt, ſciſſam, nuncupant: in ea patris cædem* Oedipus *patrauit. Et ſanè* Oedipi *ipſius caſuum* Græciæ *pars quælibet aliquod ſeruat monimentũ.* Nam *& recens natum plantis pedum transfixis in* Cithærone Platæidis *terræ monte exponi parentes iuſſerũt: eum* Corinthus, *& quæ ad* Iſthmũ *iacet regio aluit.* Phocidis *triuiũ paternæ cædis eſt ſcelere pollutum.* Thebanis *inceſtarũ nuptiarum &* Eteoclis *perfidiæ perpetua fuit infamia ſuſtinenda. Sed omnino* Oedipo *quod in triuio cõmiſit facinus, omnium extitit malorũ initium.* Laij *certè, & ſeruuli, qui eum ſequebatur, ſepulchra in medio extant triuio, cõgeſtis in tumulum ſelectis lapidibus.* Damaſiſtratũ Platæis *regnantẽ, in cadauera incidiſſe, eaq; ad ſepulturã ſuſtuliſſe narrãt.* Militaris *hinc uia, accliuis illa quidẽ, et uel expedito homini difficilior,* Delphos *ducit.* De *ipſis quidẽ* Delphis *multa ac diuerſa traduntur, atq; in primis de oraculo* Apollinis. Aiunt *enim fuiſſe ab initio* Telluris *eam oraculorũ ſedem, et ab ipſa*

Tellure Daphnen, quæ præſideret, delectam: de Nymphis quæ monte incolerent Daphnen unam fuiſſe. Poëſin Græci habent, quæ Eumolpia appellantur: eius autorem Muſæum perhibent, Antiophemi filium. In ea proditũ eſt memoriæ, cõmune Telluri cum Neptuno oraculum illud fuiſſe: ipſam quidem Tellurem ore ſuo reſponſa dediſſe: Neptunũ interpretem habuiſſe Pyrconem. Ea de re uerſus huiuſmodi ſunt:

Telluris cuncti ſanctas cognoſcite uoces,
Et magno Pyrcon Neptuno ſacra ferebat.

Neptunus deinde Telluri dicitur parte ſua conceſſiſſe: illam Themidi oraculum totum dono dediſſe: ab ea Apollinem illud accepiſſe, tradita Neptuno, quæ ante Troëzenem eſt, Calaurea. Audiui etiã qui dicerent, paſtores quoſdam dum pecus illàc agerent, cùm propè ad eum locum, ubi oraculum fuit, acceſſiſſent, repentè terræ halitu diuinitus afflatos, Apollinis ipſius impulſu uaticinari cœpiſſe. Magna uerò fuit nominis celebritate Phemonoë, quæ cùm dei interpres prima fuerit, prima etiam ſenarijs longioribus oracula decantauit. Bœò tamen indigena mulier Delphis hymno compoſito, aduenas ab Hyperboreis profectos, oraculum Apollini dedicaſſe tradidit, cùm alios, tum Olena, qui primus uaticinatus eo in loco fuerit, primusq; ſenarios longiores reperierit. Hi ſunt quos Bœò fecit uerſus:

Hîc poſuere tibi iuuenes penetralia Phœbe,
Olim ab Hyperboreis Pegaſúsq;, & dius Agyieus.

Enumeratis alijs Hyperboreis, in ipſo hymni fine Olena nõminauit:

Atq; Olen, primus cecinit qui oracula Phœbi.

Cõmunis tamen hominum opinio priſcæ memoriæ autoritatem ſecuta, ſolas agnoſcit mulieres oraculorum interpretes.

tes. Antiquiſſimam dei ædem è lauro erectam tradunt: & lauri quidem ramos ex ea arbore decerptos, quæ ad Tempe eſt. Fuit ædis eius forma quaſi tugurium quoddam. Alteram ædiculam narrant ad apibus è cera & pinnulis compactam, quam ad Hyperboreos Apollo miſerit. Alius etiam eſt ea de re ſermo: ædem fabricaſſe hominem Delphum, cui nomen fuerit Pteras, & ex eius nomine de pinnis apum fabulæ locum datum. Ab eodem Ptera Creticam etiam ciuitatem, una litera addita, Apteræos appellatam. Quòd uerò ex ea herba, quæ in montibus creſcens, Pteris, id eſt, filix, dicitur, adhuc uiridi, fuerit illud opus contextũ, omnino ut credam non adducor. Nam tertium delubrum ex ære ædificatum fuiſſe, quod fama prodidit, mirum uideri nõ debet, ſi & filiæ Acriſius thalamum ex ære fecit. Et hac etiamnum ætate extat apud Lacedæmonios Mineruæ fanum, cui à materia Chalciœco cognomen eſt. In urbe etiam forum, quod Romanum dicunt, cùm magnitudine & ornatu reliquo ſpectantibus eſt admirationi, tum uerò æneo contegitur lacunari. Quare non omnino à uero alienũ uideri poſſit, æneum fuiſſe Apollinis templum. Nam cætera iurè fabuloſa uideantur, uel à Vulcano ædem illam exædificatam, uel aureas in eo templo uirgines cantaſſe, quod Pindarus commentus eſt, cùm cecinit:

Aureæ cantabant è laquearibus Flexanimæ.

In quo planè Homerum uidetur imitari uoluiſſe, de Sirenibus fabulantem. Sed neq; quo caſu fanum abolitum fuerit, ab omnibus ad eundem modum rem expoſitam comperi. Sunt qui terræ hiatu hauſtum, alij qui igne conſumptum dicant. Quartum ſanè templum Trophonius & Agamedes metati ſunt: è lapide uerò extructum memorant. Conflagrauit hoc

principatum obtinente Athenis Erixiclide, octauæ & quinquageſimæ Olympiadis anno primo, qua palmã tulit Diognetas Crotoniates.. Quod hac ætate extat, erexerunt de ſacra pecunia Amphictyones. Eius operis architectus fuit Spintharus Corinthius. Vetuſtiſſimã ſanè urbem olim eodem in loco à Parnaſſo conditam tradunt: Cleodoræ Nymphæ hũc filium fuiſſe, & ſicuti cæteris heroibus è dijs patrem Neptunum, ex hominibus Cleopompum attribuunt: & ab eo cùm montem Parnaſſum, tum uerò ſolum Parnaſſium nominatũ. Ab eodem præterea Parnaſſo inuentam affirmant ex auium uolatu futurorum prædictionem: urbem uerò ab ipſo conditam, imbribus deletam Deucalionis temporibus. Ac tunc quidem, qui aquarum ui oppreſſi non fuere, luporũ ululatũ ſecuti, feris ducibus ad Parnaſſi iuga cõfugerunt: quare quã illic urbem munierunt, Lycorean uocarunt. Sed ab hoc etiã diuerſus uulgatus eſt ſermo, Apollini ex Corycia Nympha genitum Lycorum, & ab eo Lycorean dictam: antrum uerò Corycium de Nymphæ nomine appellatum. Adijciũt ad hæc, Hyamo Lycori filio Celænò filiam fuiſſe, è qua Delphũ Apollo ſuſceperit, unde nomẽ, quæ extat ætate noſtra, urbs acceperit. Alij Caſtalium tradunt hominem indigenam filiã habuiſſe Thyan nomine, quæ cùm Liberi ſacerdotio fungeretur, prima Libero Patri Orgia agitauerit: & ab ea, quæ furore impulſæ ſacra Baccho faciant, ab hominibus Thyiadas nũcupari: Apollinis nempe filiũ, et Thyiæ Delphũ fuiſſe autumant: ſed alij matrẽ eius Melænen perhibent Cepiſſi filiam. Interiecto dein tempore urbem ipſam non ſolùm Delphos, ſed etiam Pythò nominarunt finitimi: teſtantur id Homeri uerſus de Phocenſium delectu. Sedenim qui ſubtilius populorum origines exquirunt, Delphi exiſtimant filium fuiſſe

fuiſſe Pythin, & ab eo, dum regnaret, urbi nomen impoſitum. Eſt inſuper peruagat o inter homines ſermone uulgatum, ab Apolline quendam eius loci incolam ſagittis confixum illic extabuiſſe, & ex eo urbi nomen cõtigiſſe, quòd eius temporis homines perſimili uoce in ijs quæ corrũperentur ſignificandis uterentur. Neque Homerus aliã ob cauſam Sirenũ inſulam fuiſſe oſsiũ plenã dixit, quàm quòd in ea putreſcerent eorum cadauera, qui Sirenum cantilenis aures præbuiſſent. Qui ab Apolline occiſus fuerit, draconem eum fuiſſe poëtæ ſcripſere, cui cuſtodiam Tellus oraculi mandaſſet. Memoriæ etiam proditum eſt, Crij cuiuſdam impotentis in Eubœa hominis filium, latrocinijs uiciniam illam totam cùm uexaret, Apollinis templum uiolaſſe, & ſimul diripere ſolitum locupletium domos. Quare cùm iam iterum adfuturus cum infeſta latronum manu expectaretur, Delphis de ui repellenda conſulentibus, æditnam & internunciam dei Phemonoën ſenarijs hiſce longioribus reſponſum dediſſe:

Phœbi miſſa manu ſternet lethalis arundo
Parnaſsi uaſtatorem: tunc cæde piabunt
Hunc Cretes, facti nec fama abolebitur unquam.

Res certè ita tulit, ut multorum ſacrilegijs Delphici Apollinis templum fuerit expoſitũ. Poſt Eubœenſem enim, de quo iam diximus, latronem, & Phlegyarum natio, & Pyrrhus Achillis filius illud ſpoliare aggreſsi ſunt: copiarum dehinc Xerxis pars, & Phocenſiũ principes, tum uerò Gallorum exercitus ſacram pecuniam diripuerunt. Non poſtremò Neronis impietatem dei donaria effugere potuerunt: is enim æneas quingentas partim deorum, partim uerò hominum ſuſtulit imagines. Cùm cœpti iam eſſent Pythici ludi celebrari, antiquiſsimum fuiſſe omnium certamen memorant, inter

coſ,qui præmio propoſito hymnum in Apollinis honorem cecinissent: & primum quidem omnium pſallentem uiciſſe Chryſothemia è Creta, cuius pater Carmanor Apollinē de cæde purgaſſet. Conſecutos Philammonem Chryſothemidis ipſius & Philammonis filium Thamyrim. Nam Orpheum myſteriorum ſcientia, & reliqua uitæ dignitate elatum: tum etiam Muſæum, quòd Orpheum ſibi quem æmularetur propoſuiſſet, negant in muſicum illud certamen deſcendere uoluiſſe. Tuliſſe narrant Eleutheren Pythicam palmam uocis cauſa, cùm alioqui cantilenā non ſuā decantaſſet. Heſiodū tradunt repulſam tuliſſe, quòd carmina ſua ad lyrā canere non didiciſſet. Homerus Delphos quidem uenit conſulendi, quod opus fuit, cauſa: ſed ei, etiam ſi fidibus didiciſſet, propter oculorū calamitatem nulli uſui ars eſſe potuiſſet. Quadrageſimæ demum & octauæ Olympiadis, qua uicit Glaucias Crotoniata, anno tertio, certamina inſtituerunt Amphictyones. Cantus ad citharam ut pridem: cātus item ad tibiā: ipſarum etiam per ſe tibiarum. Renunciati uictores ſunt de citharœdis, Cephalon Lampi filius: de aulœdis, Echembrotus Arcas: de tibijs, Sacadas Argiuus. Idem uerò poſtea Sacadas binis deinceps Pythicis ludis præmiū meruit. Eadem præterea tunc, quæ in Olympia athletis indicta ſunt certamina, quadrigis tamen exceptis, lege lata ut ſoli pueri; tum longiore, tum repetito curſu certarēt. Altera iam Pythiade ſubmotis præmijs, coronarium duntaxat certamen ut eſſet ſtatuerunt, aulœdorum arte repudiata, quòd triſte neſcio quid auditu, & minimè læti ominis tibijs caneretur: elegi enim & funebres, modicum tibijs congruebant. Teſtimonio mihi fuerit Echembroti donum, æneus tripos Herculi Thebis dedicatus, cum huiuſmodi inſcriptione:

Echem-

Echembrotus Arcas dedicauit Herculi, cũ præmiũ ludis Amphictyonum meruiſſet, decantatis modulis, et elegis. Et hæc ſanè fuit cauſa, quamobrẽ ad ludos aulœdi amplius non admitterentur. Addiderũt deinde equorũ curſum, et de quadrigis uictor renunciatus eſt Cliſthenes, is qui Sicyoniorum tyrannus fuit. Octaua Pythiade, lege ludorum compre henſi qui aſſis fidibus canerent: coronam cepit Tegeates Agelaus. Viceſima demum tertia acceſſit ad cætera ludicra armatorũ curſus, de quo laureã reportauit Timœnetus Phliaſius, Olympiadibus quinq; poſteaquàm uicerat Demaratus Ereenſis. Octaua poſt hæc & quadrageſima Pythiade bigis certari cœptum. Vicere Phocenſis Execeſtidæ iugales. Quinta ab ea pullis ad currum iunctis decurſum eſt: anteuertit Orphondæ Thebani quadriga. Iam pancratium inter pueros, bijugum & iniugem pullum multis ſerius quàm Elei annis admiſerunt, prima uidelicet & ſexageſima Pythiade, qua Thebanus Laidas uicit. Vna poſt hanc interiecta pullum induxerunt iniugem: nona uerò & ſexageſima pullorum bigas. Singulari pullo Lycormas Lariſſæus, bigis uictor renunciatus Macedo Ptolemæus. Aegyptiorum enim reges Macedonas dici ſe (ſicuti ſanè fuerunt) facillimè paſſi ſunt. Lauream quidem Pythicis ludis peculiarem fuiſſe nulla alia de cauſa exiſtimo, quàm quòd Ladonis filiam adamatam ab Apolline fama uulgauit. Conuentum hoc in loco conſtitutum ab Amphictyone primùm Deucalionis filio ſatis conſtanti hominum ſententia traditur, & ab eo conſeſſum illũ Amphictyonas appellatos. Androtion uerò in Attica hiſtoria, conueniſſe in unum conſeſſum iam tum ab initio Delphos, finitimos omnes, ſcriptum reliquit, & ex eo Amphictyonum nomen extitiſſe: inualuiſſe deinde tempo-

ris longiore interuallo ut Amphictyones dicerentur. Ab ipſo quidem Amphictyone in commune conſilium uocatos tradunt hos Græci nominis populos, Ionas, Dolopas, Theſſalos, Aeeanas, Magnetas, Maleenſes, Phthiotas, Phocenſes, & Locros Phocidi finitimos, Cnemedis montis accolas. Poſtea uerò quàm Phocenſes templum diripuerunt, decennali iam bello confecto, mutationem etiam ſenſit Amphictyonum curia: ſiquidem Macedones locũ in ea ſunt adepti. Phocenſiũ uerò natio, & ex Dorico nomine Lacedæmonij, ſunt ordine moti: illi ob admiſſum ſacrilegium, hi quòd opem Phocenſibus tuliſſent, multa affecti. Verùm cùm Galli duce Brenno Delphos adorti fuiſſent, præ cũctis Græcis Phocenſes ſtrenuè rem geſſere, quare & Amphictyonatum, & priſtinam omnem ueterem dignitatem receperunt. Auguſtus deinde Imperator Nicopolitanis etiam, qui ad Actium ſunt, locum eſſe inter Amphictyonas uoluit, cùm Magnetas, Maleenſes, Aeeanas, & Phthiotas, contribuere ſe Theſſalis iuſſiſſet. Suffragia uerò quæ illorum & Dolopum fuerunt (interierat enim iam Dolopũ gens) ad Nicopolitanos tranſtulit. Fuerunt ætate mea Amphictyones numero x x x. A Nicopoli, Macedonia et Theſſalis bini: ex Bœotis uerò (nam et hi priſcis temporibus Theſſaliæ partẽ tenuerunt, Aeolenſes appellati) ex Phocenſibus item & Delphis bini: unus ex uetere Dorica terra. Mittũt præterea Locri, qui Ozolæ appellantur, & ſimul qui ultra Eubœam ſunt, unum utriq;. Vnus Eubœenſis, & itẽ unus Athenienſis accedit. Athenæ quidẽ, Delphi, & Nicopolis, omnes obeunt Amphictyonũ conuentus: nam ex cæteris quos enumerauimus populis, uicẽ quiſq; ſuam rato temporis ambitu in eum conſeſſum conueniunt. In primo urbis ingreſſu continentes ſunt ſacræ ædes quatuor;

tuor: earũ una ruinoſa eſt, uacua eſt altera ſignis & ſtatuis: tertia & quarta Romanorum Imperatorum *non ſanè mul torum habent imagines: & quarta ſanè* Mineruæ *uocatur* Pronææ. E *ſignis quæ ſunt in primo templi aditu, quod eſt maius quàm id quòd intus eſt,* Maßilienſium *donum fuit. Sunt hi* Phocenſium, *quæ* Ioniæ *gens fuit, colonia, eorum nempe hominũ pars, qui ex* Phocea Harpagum Medum *fugêre.* Hi *nanq; cùm nauali pugna* Carthaginienſes *uiciſſent, occupata ea, quam nunc incolunt, regione, ad magnas opes & luculentam fortunã ſunt prouecti.* Et Maßilienſium *quidem æneum eſt donum. Aureum uerò ſcutum à* Crœſo Lydorum *rege dedicatum* Mineruæ Pronææ *aiebant* Delphi, Philomelum *eripuiſſe. Adiuncta eſt* Pronææ *templo* Phylaci *ſacellum heroicum. Hunc* Phylacum *inter* Delphos *fama proditum eſt auxilium ipſis* Perſis *irruentibus tuliſſe. In ea gymnaſij parte quæ ſub dio eſt, feram aliquando ſuem natam tradunt: eam* Vlyſſem *ad* Autolycum *proficiſcentem unà cum ipſius* Autolyci *filij uenatione perſecutum, & ab ea ſanè uulnus ſupra genu accepiſſe.* Flectentibus *ad læuam à gymnaſio, ac nihilo fermè longius quàm ſtadia* III. *deſcendentibus, fluuius eſt* Pleſtus *nomine: is ad* Cirrham Delphorum *naualem ſtationem, et proximum mare defluit* Rurſus *à gymnaſio ſurſum ad fanum uia ducit: ad dexteram* Caſtaliæ *aqua præterfluit, ſuauis illa quidem potu.* Fonti *nomen indigenam quandam mulierem dediſſe ferunt: uirum alij* Caſtalium. Panyaßis *autem* Polyarchi *filius in ijs uerſibus quos in* Herculem *fecit,* Acheloi *filiam fuiſſe* Caſtaliã *perhibet: ſic enim de* Hercule *loquens ſcripſit:*

Parnaßi *ut celeri pede ſaxa niualia liquit,*
Caſtaliæ *tetigit iuges* Acheloidos *undas.*

Audiui etiam qui dicerent, aquam illam Caſtaliæ dono datã à Cephiſſo amne. Hoc Alcæus uerſibus mandauit in proluſione quadam ſuorum in Apollinem uerſuum. Id confirmãt Lilæenſes, qui cùm in Cephiſsi fontem patria quædam bellaria, & alia quæ ſunt more maiorum tradita, ſtatis quibuſdam diebus quotannis porriciant, eadem in Caſtalia rurſus emergentia conſpici dicunt. Vrbs ipſa Delphis quauis ex parte in cliuum reſupinatur. Et eodem ſanè eſt, quo oppidũ ſitu, ſacrum Apollinis ſeptum: ſpatio illud quidem peramplum in ſuprema urbis parte eminet: ſcindũt ſe illinc multifidi exitus. Ea certè donaria, quæ memoria in primis digna uiſa mihi fuerint, perſequar: nam athletas, et eos qui in muſices certamẽ deſcenderũt, ordinarios alioqui homines, nulla mentione dignabor. Nam illuſtribus uiris, quorum in maxima fuit celebritate nomen, in ijs quos de Eleis conſcripſimus commentarijs, locum ſuum dedimus. In eum tamen numerum non uenit Phaillus Crotoniata, quòd nulla ei contigit Olympica palma: Pythicis uerò ludis de quinquertio duas, de ſtadio tertiam tulit. Idem nauali prælio cum Perſis conflixit, cùm propriã ſibi nauem ædificaſſet, et in eam Crotoniatas omnes, qui fortè in Græcia tunc peregrinabantur, impoſuiſſet. Huic Delphis ſtatua poſita fuit. Hæc quæ de Crotoniata homine dicerem habui. Sacrã ingreſsis areã taurus ex ære præ oculis eſt, Theopropi Æginetæ opus, Corcyræorum donum. Proditũ memoriæ eſt, Corcyræ aliquando alijs bobus relictis, taurum è paſtu redeuntem, contra pelagus mugitus edidiſſe: cumq; per totum diem illic conſtitiſſet, bubulcum ad mare deſcendiſſe: conſpexiſſe uerò infinitum propè thunnorum numerum, quod cùm indicaſſet Corcyræis, illi (quòd thunnos capere conati operam luſerant)

ſci-

ſciſcitatum Delphos *miſere.* Ex Apollinis *uerò reſponſo tau rum* Neptuno *mactant, cõfectoq́; mox ſacro piſces capiunt.* Donum *è decima prædæ in* Olympiam *&* Delphos *mittũt.* Subinde *ſunt* Tegeatarum *&* Lacedæmoniorũ *dona,* Apollo, *&* Victoria, *& indigenæ heroës,* Calliſtò Lycaonis *filia,* Arcas *è quo regioni nomen, &* Arcadis *filij* Elatus, Aphidas, *&* Azan: *cumq́; his* Triphylus, *cuius mater non* Eratò *fuit, ſed* Laodamea Amyclæ Lacedæmoniorum *regis filia.* Dedicarunt *etiam* Eraſum Triphyli *filium.* Apollinem *&* Calliſtò, Pauſanias Apolloniata: Victoriam, *&* Arcadis *effigiem,* Dædalus Sicyonius: Triphylum *&* Azana, Samolus Arcas: Elatum, Aphidantem, *&* Eraſum, Antiphanes Argiuus *fecit.* Hæc Tegeatæ *ſigna* Delphos *miſere,* Lacedæmonijs *bello captis, qui hoſtiliter eorũ fines inuaſerãt. Sunt his è regione quæ* Lacedæmonij Athenienſibus *ſuperatis dedicarunt,* Caſtores, Iupiter, Apollo, Diana: *cumq́; his* Neptunus, *&* Ariſtocriti *filius* Lyſander, *à* Neptuno *coronam accipiens:* Abas *præterea, quo uate uſus eſt* Lyſander: *& qui fuit prætoriæ nauis gubernator* Lyſandro, Hermon. *Hunc* Hermonẽ Theocoſmus Megarenſis *finxit, cùm fuiſſet in* Megarenſium *ciuitatẽ adſcriptus.* Caſtores Antiphanis Argiui *opus fuere. Vatem fecit* Pœſon *è* Calaurea Troëzeniorum: Damias Dianam, Neptunum, *&* Lyſandrum: Athenodorus Apollinem *&* Iouem: Arcades *ambo ex* Clitore *fuerunt. Sunt à tergo ijs, quos iam recenſuimus, poſiti, qui ad* Aegos *flumen uel è* Spartanis, *uel è ſocijs* Lyſandro *operam ſuam nauarũt,* Aracus *&* Erianthes, Lacedæmonius *ille, hic* Bœotius *è* Minante: *iam uerò* Aſtycrates, Cephiſocles, Hermophantus, Iceſius, Chij: Timarchus *&* Diagoras, Rhodij: Cnidius Theodamas, Epheſius Cimmerius, Mileſius Aeantides:

hos omnes Tiſander fecit. Qui deinceps nominabuntur, Alypus Sicyonius, Theopompū Midenſem, Cleomeden Samiū: ex Eubœa Ariſtoclen Caryſtium, Autonomū Eretrienſem, Ariſtophantum Corinthium, Apollodorū Troëzenium: ex Epidauro, quæ in finibus Argiuorū eſt, Dionem. Adhærent his Achiuus Axionicus ex Pellene, ab Hermione Theares, Phocenſis Pyrias, Conon Megarenſis, & Agimenes Sicyonius. Ex Ambracia, Corintho et Leucade, Telecrates, Pythodotus Corinthius, et Ambraciotas, Euantidas. Poſtremi ſunt omniū, Epicyridas & Eteonicus Lacedæmonij. Opera hæc eſſe dicūt Patrocli & Canachi. Clades certè, qua affecti ſunt ad Aegos flumen Athenienſes, dictitant illatam ſibi non iuſto prælio, ſed prætorum ſuorum proditione, quos pecunia hoſtes corrupiſſent: dona enim à Lyſandro, Tydeum et Adimantum accepiſſe. Eius rei teſtimonium ex Sibyllinis carminibus afferunt:

Ac tum Cecropidis luctum, gemitusq; ciebit
Iuppiter altitonans, rerum cui ſumma poteſtas.
Nauibus exitium, & crudelia funera bello
Ille feret, culpaq; ducum dabit omnia peſſum.

Alia etiam Muſæi carmina pro oraculis habent:

Et fera tempeſtas urgebit Cecrope cretos
Fraude ducum: ſed certa aderunt ſolatia uictis:
Nanq; urbem hoſtilem euertent, pœnasq; repoſcent.

Et hæc quidem de pugna illa prædicta fuerint. Nam eius etiam prælij, quod ad Thyream inter Lacedæmonios & Argiuos cōmiſſum eſt, ancipitem euentum fore eadem Sibylla prædixerat. Sed Argiui ſecū præclarius quàm cum hoſtibus actum rati, equum ad effigiem Durij Delphos miſerunt, ab Antiphane Argiuo fabricatū: in cuius baſi inſcriptio indicabat,

bat, proxima ſigna ex decima Marathoniæ pugnæ dedicata: ea fuerũt Minerua & Apollo: & *ex ijs qui imperiũ geſſerunt,* Miltiades: *ex eorũ uerò qui heroum nomine celebrantur,* Erechtheus, Cecrops, & Pandion: Celeus *etiam,* & Antiochus, *quem ſuſcepit* Hercules *ex* Midea Phylantis *filia: tum* Aegeus, & *de* Theſei *filijs* Acamas: *hi enim* Athenienſiũ *tribubus ex* Apollinis Delphici *oraculo cognomina dedere. In hoc numero ſunt* Melanthi *filius* Codrus, Theſeus, & Phyleus, *cùm ab his tamen non acceperint tribus nomina. Atq; hos quidem quos percenſuimus,* Phidias *fecit,* & *omnino de* Marathoniæ *pugnæ decima ſunt.* Antigonum *poſtea,* & *eius filium* Demetrium, *ac ſimul* Ptolemæũ Aegyptium Delphos *miſerunt, hunc beneuolentia adducti, illos metu. Sunt non procul ab illo equo alia etiam donaria,* Argiuorum *uidelicet duces, qui* Polynicis *partes ſecuti,* Thebas *oppugnatum iere,* Adraſtus Talai, Tydeus Oenei *filius.* Prœti *etiam nepotes,* Capaneus Hipponoi, & Eteoclus Iphis *filij,* Polynices, & Hippomedon *ex* Adraſti *ſorore genitus. Poſitus eſt illic* Amphiarai *etiã currus: in eo* Baton *ſtat* Amphiarai *auriga,* & *eidem etiã generis neceſſitudine coniunctus. Eorum poſtremus eſt* Alitherſes. *Opifices horum fuere* Hypatodorus & Ariſtogiton. *Dedicatos* Argiui *dicunt de manubijs eius uictoriæ, qua ipſi ad* Oenoën Argolicæ *terræ urbem,* Athenienſibus *adiuuantibus, de* Lacedæmonijs *potiti ſunt. Ex eadem, opinor, pecunia eos etiam dedicarunt, qui ſunt cõmuni inter ipſos uocabulo* Poſteri *appellati: eorum enim ſunt ibi poſitæ imagines,* Sthenelus, & Alcmæon, *cui ætatis cauſa honoratiorẽ exiſtimo locum datum. His adiuncti* Promachus, Therſander, Aegialeus, & Diomedes: *inter hos poſtremos medius eſt* Euryalus. *Sunt ex aduerſo aliæ*

ſtatuæ. Omnes miſerunt Argiui, cùm in Meſſenijs reſtituendis Epaminundam Thebanorum ducem iuuiſſent. Heroum ibi ſunt effigies, Danaus rex, cuius magnæ fuerunt Argis opes: Hypermneſtra, quòd una ex eius filiarũ numero manus puras habuiſſet: prope eam Lynceus, & omnes qui ab Hercule, & eo altius repetitum, à Perſeo genus ducerent. Iam Tarentinorum equi ænei, & captiuæ fœminæ, dona ſunt, quæ Meſſapijs Barbara gente, finitimis ſuis uictis, miſerũt: Ageladæ ſunt Argiui opera. Tarentum quidem coloniã Lacedæmonij deduxere, duce Phalantho Spartano. Huic coloniam deducturo Delphis oraculum redditũ eſt, cùm ſub Aethra pluuiã animaduertiſſet, tunc ſe agri & urbis cõpotem fore. Sed cùm neq; per ſe quid illud reſponſum innueret ſatis conſideraſſet, neq; omnino quenquã interpretũ conſuluiſſet, claſſe in Italiã applicuit: ibi cùm Barbaros uiciſſet, neq; tamen uel urbe uel agro ullo potiri poſſet, oraculi è re nata ei in mentem uenit, ac planè ſibi quod fieri nullo pacto poſſet, dei uoce ſignificatum ſuſpicari cœpit, quòd ſcilicet nunquam euenturũ eſſet, ut puro ſerenoq; cœlo (quam Aethran Græci uocant) plueret. Hunc uxor animum deſpondentem (conſecuta enim domo fuerat) amanter multis modis ſolabatur, & eius genibus aliquando caput ſuſtentans, dum pediculos legit, lachrymæ præ animi ægritudine ob aduerſos uiri caſus & irritã ſpem mulieri obortæ: quare effuſius flens, uiri caput perfudit. Tunc primùm euolutæ ſunt oraculi ambages: Aethræ enim uxori nomẽ fuerat. Ea itaq; nocte, quæ diem illum conſecuta eſt, Tarentũ hoſtium urbem maritimã maximam & opulentiſſimã cepit. Tarantũ quidam heroëm Neptuni & indigenæ Nymphæ filiũ fuiſſe dicũt: ab eo uerò nomen impoſitũ urbi & flumini: eodem enim fluuius, quo

urbs

urbs nomine uocatur. Proximum *eſt* Tarentinorũ *dono Si-cyoniorum theſaurus: pecuniæ id ſacræ receptaculum eſt: uerùm pecunia neq; in eo, neq; in theſauro alio quoquam* Delphici *templi ulla eſt.* Gnidij *etiam ſigna* Delphos *attulerunt,* Triopan Gnidi *conditorem equo inſidentem,* Latonam, Apollinem, *&* Dianã *ſagittis* Tityum *petentes, ſaucio illum iam corpore.* Hæc *iuxta* Sicyoniorũ *theſaurum ſunt.* A Siphnijs *etiã factus eſt theſaurus ob cauſam huiuſcemodi.* Siphniorum *inſula aurifodinas habet, de quarum fructibus iuſsit* Apollo *ſibi decimam offerri. Illi certè theſauro condito decimam obtulerunt: poſtea uerò quàm nimio pecuniæ retinendæ ſtudio ab ea religione deſciuerunt, maris alluuie metalla prorſus abolita ſunt. Statuas etiam* Liparæi Tyrrhenis *nauali prælio uictis dedicarunt.* Liparæi *ipſi* Gnidiorũ *colonia fuerunt, cuius ducem hominem* Gnidiũ Pentathlum *nomine fuiſſe,* Antiochus Syracuſanus Xenophanis *filius in* Sicilienſi *hiſtoria ſcriptũ reliquit. Addit* Gnidios *ex ea urbe, quam ad* Pachynum *promontoriũ condiderant, ab* Elymis *&* Phœnicibus *bello pulſos, inſulas deſertas tenuiſſe, eiectis prioribus colonis, quæ ex* Homericis *uerſibus noſtra etiãnum ætate* Aeoli *nuncupantur. Earum unam, cui* Lipare *nomen, cùm muniſſent, in ea domicilia ſtatuerunt ſua:* Hieran, Strongylem, *&* Didymas *ad arationes reſeruarũt, & in eas ſanè nauibus agri colendi cauſa tranſmittunt. In* Strongyle *haud dubiè è terra ignis erumpit. In* Hiera *ignis è ſummo eius inſulæ promontorio ſponte ſua accenſus euomitur. Proximè ad mare balneæ ſalubriũ aquarũ ſunt: & ibi lauantes aqua temperatior excipit: nam alibi præ feruore in eam deſcendentibus incõmodior eſt. Sed ut ad templi donaria redeamus, dedicarunt* Thebani *etiã &* Athenienſes *ob rem in*

prælijs bene geſtam, quos theſauros appellant. De Gnidijs non habeo dicere, uictoriæ'ne uotum miſerint, an uerò ſuas opes oſtentandi cauſa theſaurum ædificarint. Nam Thebani Leuctricæ pugnæ, Athenienſes Marathoniæ theſauris dedicatis memoriam extare uoluerunt. Cleonæi cùm peſtilentia nihil minus quàm Athenienſes laboraſſent, oraculi monitu Sole primũ oriente caprũ immolarunt, ac deinde lue ſedata æneũ caprum Apollini miſerunt. Cõiuncta ſunt Potidæatarum, qui ſunt in Thracia, & Syracuſanorũ dona: hi cladem Athenienſiũ inſignem, illi pietatẽ duntaxat in deum ſuã theſauris collocandis teſtificati ſunt. Porticũ Athenienſes de manubijs, quas tum Peloponneſijs, tum uerò eorũ ſocijs Græci nominis eripuerãt, dedicarunt. Affixa etiã eodẽ in loco ſunt nauium roſtra, & ſimul ſcuta ænea. Ciuitates enumerat inſcriptio, de quibus manubias miſere Athenienſes, Eleorum, Lacedæmoniorum, Sicyonem, Megara, Pellenenſes Achæorum, Ambraciam, Leucadem, Corinthum ipſam. Ex naualibus quidem pugnis cõtra hos populos Theſeo parentarunt, & Neptuno, eodem in loco, cui cognomen Orio, ſacrum fecere. Eadem inſcriptio (uti mihi uidetur) Phormionẽ Aſopichi filium, & eius res geſtas ornat. Saxũ illic eminet, de quo Sibyllam Herophilen oracula canere ſolitã Delphi tradidere, quæ cognomine Sibylla nuncupata ab initio fuit, perinde atq; aliam quamuis antiquam fuiſſe comperi. Filiam Græci Iouis & Lamiæ dictitãt: Lamiam ipſam Neptuno genitam, mulierum omnium primã uaticinatam, & ab Afris Sibyllam nominatam: hæc uerò de qua nunc eſt ſermo Herophile, illa certè poſterior: conſtat tamen & ipſam ante Troianum bellum uiguiſſe: prædixit enim ad Aſiæ & Europæ perniciem, Spartæ Helenam educatum iri, propter quam futurum

turum eſſet ut Iliũ euerteretur à Græcis. Eius fœminæ hymnorum Delij mentionem faciunt: ipſa uerò ſe non Herophilen ſolùm, ſed Dianã etiam ſuis uerſibus uocat. Eſt ubi uxorem ſe, & ubi uel ſororem, uel filiam Apollinis eſſe dicit: ſed hæc ſcilicet furens, & diuino afflatu perculſa. Alibi uerò immortali matre, patre homine ſe natam dixit, hiſce uerſibus:

Partim ego Cetiuoro mortali patre creata,
Partim immortali Nympha: me fontibus Idæ
Eduxit uitreis, tenuis, glebaq; rubente:
Marpeſſus matri patria eſt, fluuiusq; Aidoneus.

Extant autem adhuc in Ida Phrygiæ Marpeſſi urbis ueſtigia, quo loco ſunt inquilini circiter L X. *Tota eſt circa Marpeſſum terra ſubruffa, & mirè torrida. Quocirca quòd Ladon amnis modò ſe ſubter terram abdat, modò rurſus emergat, ac eiuſmodi ſæpius repetitis uicibus poſtremò penitus occultetur, ad Idæ montis naturam arbitror referendum, quod rarum eſt, ac pertenue ſolum, et multis cuniculis cauernoſum. Abeſt ab Alexandrea, quæ eſt in Troade, Marpeſſus ſtadia fermè ducenta & quadraginta. Et Herophilen quidem, qui Alexandreæ degunt, Apollinis aiunt Sminthei fuiſſe æditυam: Hecubæ uerò ſomnium interpretatam, ita ut rei, qui uulgò notiſſimus eſt, euentum diuinarit. Magnam uitæ partem egit hæc Sibylla Sami, ſed Claron etiam, quæ Colophoniorũ urbs eſt, uenit: uenit eadem Delon, & Delphos: ac Delphis quidem de quo diximus ſaxo uaticinia edebat ſua. Mors ei in Troade contigit: eius eſt ſepulchrum in Sminthei luco, inciſis columnæ elegis:*

Illa ego ſum Phœbi interpres, non uana Sibylla,
Hîc quæ marmoreo contineor tumulo:
Vocalis quondam, æternùm nunc muta puella,

Heu nimis, heu fati compede preſſa graui.
Mercurio tamen & Nymphis ſociata quieſco,
Quòd fuerim Phœbo grata, ferens precium.

Iuxta ſepulchrũ erectus eſt Mercurius è lapide figura quadrangula. Ad læuam aqua in conceptaculum delabitur, ubi Nympharum ſigna ſunt. Erythræi (de Herophile enim hi acerrimè Græcorũ omnium certant) Corycũ montem & in eo antrũ oſtendunt, in quo natan Herophilen dicunt. Parentes eius fuiſſe Theodorũ hominem indigenã, & Nympham, cui fuerit cognomen Idææ. Cognominis non eſſe aliã rationem, quàm quòd cõdenſa arboribus loca Idas tunc homines appellarint. Verſum quidem de Marpeſſo, deq; Aidoneo flumine eximunt Erythræi ex Herophiles carmine. Iam poſt illam, eam quæ fatidica ipſa etiã fuit, è Cumis, quæ ſunt in opicis, & Demò nomine fuiſſe appellatam Hyperochus uir Cumanus ſcripſit. Eius tamen fœminæ prædictionem omnino nullam Cumani, quam cuiquã oſtenderent, habuerunt: oſtendunt certè urnulam in Apollinis, in ea Sibyllæ condita eſſe oſſa dictitantes. In fatidicarũ fœminarum numerũ conſcribunt Hebræi qui ſupra Palæſtinam ſunt, ſecundùm Demò gentilem ſuam, Sabbam nomine, quam Beroſo patre, matre Erymanthe genitã tradunt: hanc alij Babyloniã, Aegyptiã alij Sibyllam uocãt. Phænnis uerò hominis in Chaonibus regnantis filia, et Peleæ apud Dodonæos, quas columbas fuiſſe fabulati ſunt, diuinarunt illæ quidem, Sibyllæ tamen non fuerunt ab hominibus uocitatæ. Phænnidis certè neq; ætatẽ inquirere, neq; uaticinia colligere eſt difficilè: ijſdem enim temporibus extitit, quibus regnũ Antiochus capto Demetrio occupauit. Peliadas uerò Phemonoë fuiſſe dicunt ætate ſuperiores, et mulierũ omniũ primas uerſus illos decantaſſe:

Iupiter

Iuppiter eſt, fuit, atq; erit: ô bone Iuppiter alme,
Quæ tribuit fruges tellurem dicite matrem.

Inter uiros autem uates numerantur Euclous Cyprius, Athe*nienſis* Muſæus Antiophemi *filius*, Lycus Pandionis, *& ex* Bœotia Baccis, *quem Nympharum inſtinctu diuinaſſe cre-dunt*. Horum *omniū uaticinia, præterquàm* Lyci, *uſurpāt*. Et *hæc quidē de fœminis & uiris, quibus ad hunc uſq; diem diuinandi ſcientia diuinitus cōtigit, memoriæ prodita ſunt. Inſequentibus dehinc ſeculis credi facilè poteſt eiuſmodi homines, qui futura prædicant, non defuturos*. Biſontis *uerò* Pæonici *tauri caput ex ære fabricatum*, Dropion Deontis *filius*, Pæoniorum *rex*, Delphos *miſit*. Biſontes *belluarum omnium uiui difficillimè capiuntur: nullæ enim ſunt adeò ualidæ plagæ, quæ irruentis feræ impetum ſuſtineant*. Eius *uenatio ita comparatur. Supinū deligunt locum, & in conuallem decliuem: eum præualido ſepto undiq; muniunt: cliuum deinde recentibus boum corijs inſternunt: recentium ſi non ſuppeditarit copia, arida aſperſione olei lubricant, ibi in equis exercitatiſsimi homines*, Biſontes *intra illum ambitum agunt, qui per uncta coria delapſi, in præceps ad imā uſq; planitiem deuoluuntur: illic ad quartum aut quintum ad ſummum diem neglecti relinquuntur: tum laßitudine & fame debilitati, cadentibus iam animis facilè conficiuntur. Sunt qui ad eos manſuefaciendos artē adhibeant, & iacentibus adhuc pineæ nucis nucleos interioribus exemptos teſtulis apponant: alium enim cibum nullū bellua tunc appeteret: poſtremò uinculis diſtrictos abigūt. & ad hunc* Biſontes *modum capiuntur*. Ex *aduerſo* Biſontis *capiti æneo, ſtatua eſt loricā induta, & ſupra loricā chlamydem: poſitā aiunt* Delphi *ab* Andrijs, Andreo *ſuæ gentis autori*. Apollinis, Mi-

nervæ, et Dianæ ſigna Phocenſiū dona ſunt, de uictis Theſſalis ſempiternis hoſtibus ſuis, & finitimi illis quidem præter quàm ex ea parte, qua à Phócide dirimuntur Locris Hypocnemidijs interiectis. Dedicarunt etiā Theſſali qui ad Pharſalum ſunt, & Macedones è Dio urbe Pieriæ: tum uerò Cyrenæi Græci nominis in Libya: currū hi, et in curru Ammonem: Diæi Apollinem ceruam prenſantem: Pharſalij Achillem equo inſidentē. *Iam uerò Corinthij, qui in Dorienſibus cenſentur, theſaurum exædificarunt, & in eo aurum de Lydis repoſuerunt.* Herculis ſignum, donum eſt Thebanorum, de bello, quod cum Phocenſibus geſtum, Sacrum appellarunt. *Sunt & æneæ effigies, quas iſdem poſuerunt Phocenſes, fuſo altero congreſſu Theſſalorum equitatu.* Delphos Phliaſij comportarunt æneum Iouem, & item æneum Aeginæ ſimulachrum. Ex Arcadum Mantinea Apollo æneus eſt. Non procul à Corinthiorum theſauro, Hercules & Apollo tripodem prenſitant, ac de eo iam propè ſunt pugnam cōmiſſuri: ſed Latona & Diana Apollinis, Minerua Herculis iram leniunt. Hoc ipſum etiam fuit Phocenſium donum. Eo dedicarunt tempore, quo ipſos contra Theſſalos Tellias Eleos duxit. Signa alia Diyllus & Amyclæus communi opera fecerunt: Mineruam & Dianam Chionis elaborauit: fuiſſe hos opifices dicunt Corinthios. Tradunt Delphi uenienti ad oraculum Herculi Amphitruonis filio, Xenoclean dei interpretem reſponſum dare recuſaſſe, quòd cæde Iphiti erat pollutus. Tunc itaq; ſublatum è templo tripodem Herculem foras aſportaſſe: ipſam uerò interpretem ex tempore dixiſſe,

Hic Tirynthius Alcides, non ille Canobeus.

Nam et antè Aegyptius Hercules Delphos uenerat. Sed Amphitruonis filius Apollini tripode reddito, quicquid uoluit

à Xe-

à Xenoclea didicit. Hinc poëtæ ſumpto argumento fabulæ mandarunt Herculis *cum* Apolline *de tripode pugnam.* Cō*mune fuit* Græcorū *de* Platæenſi *prælio donum, aureus tripos, ſuſtinente æneo dracone. Sed æs adhuc manet ex eo donario integrum, auri quod fuit* Phocenſium *duces amouerunt.* Tarentini *etiam de* Peucetijs *Barbara natione à ſe uictis, decimā* Delphos *miſerunt. Signa elaborarunt* Onatas Aegineta, *&* Calynthus. *Equeſtres & pedeſtres ſunt imagines,* Opis *rex* Iapygum, Peucetijs *auxilium ferens, atq; hic quidem in pugna cadenti perſimilis: qui uerò adſtant* Taras *heros eſt, &* Phalanthus Lacedæmonius, *& ab eo nō longè* Delphinus. *Antè enim q̄ in* Italiā *perueniret, naui in* Criſſæo *mari fracta, ad litus* Delphino *euectū* Phalanthū *tradunt. At bipennes quædam* Periclyti Eutymachi *filij,* Tenedij *hominis donum. Vetus fama dedicationis cauſam uulgauit:* Cycnum *aiunt* Neptuni *fuiſſe filium, regnaſſe cum* Colonis: *oppidum hoc in* Troade *fuit, ad* Leucophryn *inſulā.* Filiā *is habuit* Hemithean, *&* Tennen *filium ex* Proclea Clytij *filia,* Caletoris *illius germana ſorore, quem ab* Aiace *in prælio interfectū memorat* Homerus, *cùm faces in* Proteſilai *nauem immitteret.* Proclea *mortua, alterā* Cycnus *uxorem duxit* Philonomen, Craugaſi *filiam. Ea cùm in priuigni incidiſſet amorē, repulſam ægrè ferens,* Tennen *ficta calumnia apud uirum criminata eſt ſuum, quòd ille inuitam & repugnantē conſtuprare conatus eſſet. Mendacio captus* Cycnus, *iuuenē cum ſorore in arcam incluſos, in mare abijcit: incolumes illi in inſulam exponuntur, cui cùm antè* Leucophrys *nomen fuiſſet, de* Tenni *poſtea nomine* Tenedos *fuit appellata. Sed fraude aliquando detecta, ad filiū* Cycnus *nauigauit, quò ſe illi purgaret, & eius quod per crudelitatem temerè cōmi-*

ſiſſet, facti ueniam poſceret. Cùm itaq; appuliſſet, & ad ſaxum ſiue arboris truncum nauem religaſſet, Tennes ira impulſus bipenni retinacula abſcidit. Ex eo in prouerbij conſuetudinem uenit, ut quicquid quiuis præfractè negarit, is Tennedia bipenni præcidiſſe dicatur. Tennen ipſum ab Achille, dum prædas ex inſula agentibus Græcis occurrit, occiſum autumant. Tennedij inſequentibus dein ſeculis ſe Alexandrinis, qui in Troade continenti ſunt, cõtribuerunt. Iam Græci, qui contra Perſarum regem bellarunt, Iouem in Olympia æneum, Apollinem Delphis, uota, de uictoria ad Artemiſium & Salaminem dedicarunt. Aiunt etiam Themiſtoclen Delphos profectum Apollini Medorũ exuuias attuliſſe: percontantem uerò nunquid intra templum ea dona locaret, iuſsiſſe Pythiam, ut eas omnino extra fani limen auferret. Verſus, quibus illa reſponſum dedit, hi ſunt:

In templo pulchras noſtro ne figite Perſei
Exuuias, ſubitò ſed ueſtras mittite in ædes.

Cum admiratione certè cauſa quæri poteſt, cur ab uno Themiſtocle oblata dona de Medis, accepta deus non habuerit. Sunt enimuero qui Perſica omnia ſpolia itidem repudiaturum fuiſſe credant, ſi antequàm dedicarentur, nunquid ſibi ea uellet offerri, quæſitũ eſſet. Nõ deſunt qui dicãt, Apollinẽ cùm præſciret ſupplicem ad Perſas iturum Themiſtoclen, idcirco ſibi exuuias illas dedicari prohibuiſſe, ne religioſis monimentis teſtatum odium, fidem deprecationi abrogaret. Hanc Barbarorũ in Græciam irruptionem prædictam Bacidis oraculis inuenias. Antè etiam ab Euclo ea de re carmina edita ſunt. Delphorum eſt ipſorum, prope aram maximam, donum lupus æneus. Hominem quendã aiunt ſacram pecuniam, quam compilaſſet, abdidiſſe in ea Parnaſsi parte

quæ

quæ maximè eſſet ſyluestribus arboribus condenſa: lupum uerò in dormientem impetu facto illum occidiſſe, ac deinde quotidie cum ululatu ſolitũ intra urbẽ penetrare. Id cùm non niſi diuinitus fieri exiſtimare homines cœpiſſent, feram ſecuti, aurum ſacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam lupum ex ære dedicarunt. Phrynes inauratam effigiem elaborauit Praxiteles, unus & ipſe de mulieris amatoribus: ipſamet dedicauit. Quæ his adiuncta ſunt Apollinis ſigna, alterum Epidaurij, qui ſunt in Argiuorum finibus, de Medorum manubijs: alterũ Megarenſes, uictis ad Niſſæam Athenienſibus, poſuerunt. Bucula à Platæenſibus dedicata, eius eſt temporis monimentum, quo intra ſuos fines ij cum alijs Græcis Mardonium Gobriæ filium ulti ſunt. Sunt alia rurſus duo Apollinis ſigna, Heracleotarum alterum, qui ad Euxinum pontũ ſunt: Amphictyonum alterum de mulcta, quam Phocenſibus irrogarunt, ob id, quòd Sacrum ſolum coluiſſent. Eſt apud Delphos huic Apollini cognomen Sitalcas, magnitudine quinq; et triginta cubitorum. Sunt illic duces multi: Dianæ præterea, & Mineruæ, duoq; Apollinis ſigna, ab Aetolis dedicata, de Gallis in pugna ſuperatis. Gallorum quidem exercitũ ex Europa in Aſiam ad urbium perniciem tranſmiſſurum prædixit Phaënnis ætate una antequàm res gereretur:

Hoſtilis Gallorum acies tunc milite multo
Littora complebit: tranſmiſſis fluctibus Helles
Vaſtabit populans Aſiam: ſed dij grauiora
Intentant illis pelagi prope cærula ſedes
Qui poſuere ſuas: ſed enim his quoq; Iuppiter ipſe
Auxilio clari mittet tauri generoſam
Progeniem, triſti quæ ſternet funere Gallos.

Add 5

Tauri filiũ dixit Attalum Pergami regem, quem ipſum Tauricornem etiam idem Apollo nominauit. Equitatus duces aſcendentes in equos, fuſis equeſtribus Athenienſium copijs, Apollini ſtatuerunt Pheræi. At palmam æneam dicarunt Athenienſes, cum Mineruæ ſigno aureis laminis intecto, duplicis uictoriæ monimentũ, qua potiti ſunt ad Eurymedontẽ, pedeſtri acie, & nauali pugna proſperè in ipſo flumine cõmiſſa. A multis eius ſigni partibus cùm aurum reuulſum uidiſſem, culpã ego in homines improbos & ſacrilegos conferebam, priuſquàm ex Atticarum rerum cõmentario, quem ſcripſit Clitodemus, eorum qui literis res patrias mandarũt uetuſtiſsimus autor, cognouiſſem, comparata ab Athenienſibus claſſe, ad Sicilienſem expeditionem magnum coruorum numerum Delphos conuolaſſe, irruentesq́; in illud ſignum, aurũ roſtris auelliſſe. Additũ eſt, haſtam, noctuas, & cariotas, quæ ad palmularũ ſimilitudinem ex auro factæ fuerant, eoſdem illos coruos abrupiſſe. Sed & alia prodigia idem commemorat Clitodemus, quæ ab ea nauigatione ſuſcipienda Athenienſes deterrere debuerãt. Cyrenæi Delphis Batti ſtatuã poſuerũt in curru, quòd is ex inſula Thera eos in Africam deduxiſſet in coloniã. Auriga eſt eius mater Cyrene. In curru Libye Nympha Batto coronã imponit. opus fecit Amphion Aceſtoris filius Gnoſsius. Deducta iam Cyrenis colonia, Battus uocis huiuſmodi medelam reperit. Dum Cyrenæi in Africæ deſerta excurrunt, leonem conſpexit: re improuiſa territus, magnum & clarum ſuſtulit clamorem. Non longè ab Ariſtæi ſtatua Apollinem alium Amphictyones dedicarunt, de pecunia mulctatitia Phocenſium. Ex tam multis, quæ Apollini miſerunt Lydorũ reges, donis, reliquũ iam nullum eſt, præter ferream Halyati crateræ baſin. Eam

fecit

fecit Glaucus Chius, qui primus ferri artem ferruminandi excogitauit. Illius certè baſis iuncturæ ſingulæ nullis aut fibulis, aut clauis, ſed ſolo coagmentãtur ferrumine. Baſis forma eſt eadẽ propè qua turris, ima parte latior, in obtuſum faſtigiũ ſurgens. Latus quodlibet nõ continenti ferro clauditur, ſed obliquis incingitur è ferro zonulis: ea perinde ſunt ac in ſcalis gradus. Sũma labia extrorſum reſupinãtur. Atq; hæc fuit illius crateræ ſedes. Iam qui à Delphis Vmbilicus uocatur, è candido marmore, eſſe eum aiunt mediũ terræ uniuerſæ punctũ. Congruunt cum hac opinione, quæ in quodam carmine cecinit Pindarus. Lacedæmoniorũ illic dona ſunt, Hermione Menelai filia, quæ fuit cum Oreſte Agamemnonis, cùm prius tamen nupta fuiſſet Neoptolemo Achillis filio: eam Calamis fecit. Eurydamo ſtatuam, quòd eo duce contra Gallorum exercitum pugnarunt, Aetoli poſuerunt. Extat adhuc in Cretæ montibus urbs Elyros. Ea ciuitas capellam æneam Apollini donum miſit. Lac præbere uidetur infantibus Phylacidi & Philandro. Filios fuiſſe eos Elyri dicunt Apollinis & Nymphæ Acacallidis. Cum ea cõgreſſum Apollinẽ in urbe Tarrha, & Carmanoris domo. Caryſtij ex Eubœa bouem & ipſi æneũ Apollini ſtatuerunt de Perſica uictoria. Boues quidẽ & Caryſtij & Platæenſes idcirco dedicarunt, quòd, uti ego opinor, Barbaris è Græcia expulſis, & alias fortunas incolumes habuerunt, & libero ſolo terrã arare potuerũt. Ducũ effigies, & cũ iis Apollinẽ & Dianã, Aetolorũ gens, Acarnanibus finitimis ſuis debellatis, dedicarunt. Incredibile propè dictu eſt, quod Liparæis narrant eueniſſe. Oraculo iuſſos cum Tyrrhenis paucißimarũ nauiũ claſſe confligere, triremes contra eos quinq; deduxiſſe. Illos cùm ſe Liparæis haudquaquam inferiores naualibus re-

bus fore confiderent, pari nauium numero congreſſos. Sed cùm quinq; eorū triremes Liparæi cepiſſent, mox totidem iterum, ac tertiò, & poſtremò quartò eduxiſſe: omnes uerò eas claſſes à Lyparæis captas. In huius rei memoriā Apollinis ſigna pari numero, ſuperatis à ſe iam toties nauibus, dicarunt. Echecratides homo Lariſſæus Apollinem paruū dedicauit: hunc Delphi dicunt antiquiſſimū eſſe, ac ſanè primū donariorū omniū. Barbari qui ad Occidentem Sardiniam inſulam incolunt, ſtatuam eius, à quo ipſi nomen acceperūt, ex ære Delphos miſerunt. Eſt ipſa Sardinia magnitudine & felicitate cum iis, quæ maximè celebrantur, inſulis comparanda. Nomen eius quodnā fuerit patria lingua, compertum non habeo. Qui illuc è Græcis cōmercij cauſa adnauigarunt, Ichnuſam, quòd formā habeat humani ueſtigij, inſulam uocarunt. Longitudo eius perhibetur ſtadiûm MCXX. Latitudo CCCCLXX. Primi in eam tranſmigraſſe nauibus Libyes dicuntur, duce Sardo Maceridis filio, cui apud Aegyptios & Libyas Herculis cognomē fuit. Eius patri Maceridi nihil illuſtrius ad memoriā contigit, quàm quòd uenit aliquando Delphos. Sardus Ichnuſam coloniā Libyū deducendam ſuſcepit: quare priore nomine obſoleto, eſt de Sardi nomine inſula appellata. Non tamen indigenas eiecit ea Libyū manus, ſed in domiciliorum ſocietatem recepti ſunt noui inquilini, atq; id neceſſitate magis quàm beneuolentiæ gratia. Vrbes certè non plus Libyes tunc, quàm in ipſa inſula genitus populus, norant condere, diſperſi in tugurijs & ſpeluncis, ut ſua cuiuſq; ſors tulerat, ita habitabat. Aliquot annis poſt Libyas è Græcia in inſulam eam uenerunt, qui Ariſtæi ductū & auſpicia ſecuti fuerant. Apollinis & Cyrenes Nymphæ fuiſſe filium Ariſtæum tradunt: cum ob Actæonis caſum

ſum acri confectum dolore, ac Bœotiæ iam & Græciæ toti infenſum in Sardiniã migraſſe. Sunt qui putent eodem tempore Dædalum, Cretenſium arma metuentem, in Sardiniã aufugiſſe, & coloniæ ac domicilij conſortem Ariſtæo fuiſſe. Probari uerò nulla ratione poßit, Ariſtæo, qui cum nupta erat Cadmi filia Autonoë, Dædalum, qui eadem fuit ætate, qua Thebis regnauit Oedipus, potuiſſe uel coloniæ, uel alius cuiuſquã rei participem eſſe. Verum neq; hæc manus oppidum ullum muniuit, quòd erat numero minor quàm quantum ſat eſſet ad nouam ciuitatem conſtituendam. Poſt Ariſtæum Iberi in Sardiniam ex Hiſpania tranſmiſerunt duce Norace, à quo nouam urbem Noram uocarunt. Et hanc primam omnium, quæ in ea inſula fuerint, urbem norunt. Filium Noracem fuiſſe dicunt Mercurij, ex Erythea Geryonis filia. Quarta inquilinorũ cohors, Iolao duce in Sardiniam contendit, è Theſpienſibus & Attica terra. Hi Olbiam munierunt, Ogryllen etiam dictam, uel translatitio ab aliqua de Atticis curijs nomine, uel quòd unus de claßis ducibus Gryllus fuerit. Hac ipſa etiam ætate in Sardinia uici manent, qui Iolaij nuncupantur, & ab incolis honores Iolao habentur. Poſt Ilium euerſum, ex Troianis & alij profugerunt, & ij qui cum Aenea incolumes euaſerunt: horum pars una acti tempeſtatibus in Sardiniam, Græcis, qui antè illic conſederant, permiſti ſunt. Quo minus uerò cum Græcis & Troianis Barbari bello cõfligerent, id primùm uetuit, quòd belli apparatu neutra pars alteri cedebat: deinde Thorſus fluuius, qui inſulam mediam præterfluit, utranq; aciem tranſmittere metuentem coërcebat. Multis pòſt annis Libyes maiore claſſe in Sardiniam appulſi, Græcosq; bello adorti, omnes ad internitionem exciderunt, uel certè quam-

pauciſsimos reliquos fecere. Nam Troiani cùm in montanã inſulæ regionem confugiſſent, ibiq́; ſe rupium confractibus, & uallo iacto munitionibus tutati eſſent, Ilienſium nomen adhuc retinent, facie illi quidem, armatura, atq; ipſa uictus ratione Afris perſimiles. Abeſt non longè à Sardinia inſula, Cyrnos ab inquilinis è Libya, à Græcis Corſica nominata: ex hac non parua utiq; manus ſeditione pulſi in Sardiniam tranſiere, montibusq́; occupatis oppida ſibi muniere: à Sardis certè patrio ipſorum nomine Corſi appellantur. Carthaginienſes cùm eſſent maritimis rebus præpollentes, omnes è Sardinia, præter Ilienſes & Corſos, eiecerũt: nam illos, quo minus potuerint in poteſtatem redigere, prærupti & ardui montes obſtiterũt. Munierunt in ea inſula Pœni urbes duas, Carnalin, & Syllos. Orta autem de præda controuerſia, Libyes & Hiſpani ira accenſi, cùm à Pœnis defeciſſent, & ipſi montium iugis occupatis ſeorſum conſederunt: eos patria lingua ſua Balaros Corſi appellarunt, quòd eodem nomine exules uocant. Atq; hæ quidem gentes, & in eas quas diximus diuiſi urbes, Sardiniam incolunt. Eius ora, quæ eſt ad Aquilonẽ & Italiæ littora conuerſa, in montes conſurgit inuios, coëuntibus propè uerticibus: adnauigantes uerò opportunis accipit ſtationibus. E proximis montiũ iugis præualidi & incerti uentorum flatus in mare irruunt. Sunt & & alij interius montes multò aſcenſu faciliores, ſed inter eos turbidus & omnino peſtilens intercluditur aër. In cauſa eſt concretus ibi ſal, & prægrauis ac uiolenter incumbens Auſter. Obſtant præterea prælti montes, quo mnus à Septentrionibus flantes uenti, cœli et terræ uaporẽ æſtate anni tempeſtiuo frigore leniãt. Exiſtimant tamen alij Corſicã inſulã, quæ à Sardinia nõ amplius quàm decem ſtadia lato mari diuiditur,

uiditur, excelſis ſe undiq; montibus attollentem, Fauonio & Aquiloni obtendi, quo minus eorum in Sardiniã flatus peruadant. Serpentes certè neq; hominum generi infenſi, neq; ueneni expertes, aut lupi uſpiam in ea inſula gignuntur. Capreæ quidem magnitudine nihilo alijs præſtant: forma illis non diſsimilis arieti, qui inter opera Aeginææ figulinæ uiſitur, pectore tantùm magis hirto: cornua illis non eminent è capite diſtuncta, ſed protinus in aures utrinq; retorta: uelocitate feras omnes anteeunt. Eadem inſula eſt uenenorum omnium & lethalium ſtirpium expers. Vna eſt herba pernicioſa apio perſimilis, qui eam comederint ridentes emoriuntur. Ex eo Homerus primùm, alij deinde poſt eum, Sardonium eum dixerũt riſum, qui ſimulatè, & cum ſtomacho ederetur. Gignitur circa fontes maximè, cumq; ipſis aquis ueneni naturam cõmunicat. Ac de Sardinia quidem ſermonem huic de Phocenſiũ rebus cõmentario inſeruimus, quòd nulla adhuc ad Græcos eius inſulæ notitia peruenerat. Equus deinde Sardi ſtatuæ proximus eſt quẽ Callias Athenienſis Lyſimachidæ filius ſe dedicaſſe teſtatur de pecunia priuata, quã de Perſico bello fuerat adeptus. Achæi Mineruæ ſignũ poſuerũt, Aetoliæ urbe per obſidionem expugnata, cui nomen Phana. Cùm autẽ obſidionis tempus duceretur, neq; ulla urbis capiendæ ratio iniri poſſet, qui miſsi fuerãt Apollinem ſciſcitatum, huiuſmodi reſponſum acceperunt:

Qui Pelopis terras, quiq; arua tenetis Achiuũm,
Pythò ueniſtis ſcitatum qua ratione
Vrbs obſeſſa iugum accipiat: curæ uobis ſit
Obſeruare, bibant quantum, qui mœnia ſeruant.
Sicq; Phana imperium ueſtrum turrita ſubibit.

Hoc oraculum quidnam ſibi uellet cùm non intelligerent, ſo

luta obſidione domum retro nauigare decreuerant. Hoſtem planè cõtemnebant, qui obſidebantur: quare mulier quædam ad proximum fontem aquatum è portis egreſſa fuerat: eam militum globus excurſione facta captiuã in caſtra pertrahunt. Docentur ab ea Achæi oppidanos noctu ex eo fonte aquã hauſtam ſuis diuidere, neq; eos ad ſitim leuandam, aliud quicquam præſidij habere: conturbato itaq; fonte oppidum Achæi capiunt. Rhodij Lindi incolæ prope hanc Mineruã Apollinis ſignum ſtatuerunt. Dedicarunt etiã Ambraciotæ æneum aſinum, uictis nocturna pugna Moloßis. Nam cùm in illos noctu inſidias diſpoſuiſſent Moloßi, aſinus, qui fortè ex agro in oppidũ agebatur, aſellam inſectãs cum multa laſciuia uehementem ruditum ſuſtulit. Ipſe etiam agaſo per tenebras, obſcura & incondita uoce inclamabat: iniecit ea res tantam Moloßis trepidationem, ut ſtatim inſidiarum locum deſeruerint. Eos Ambraciotæ detecta fraude noctu inuadentes prælio ſuperant. Orneatæ, qui ſunt in Argolica terra, cùm Sicyoniorũ bello premerentur, uotũ Apollini nuncuparunt, ſi hoſtibus repulſis patriam periculo liberare potuiſſent, quotidianam ſe illi pompam miſſuros, et hoſtias ad certum & præfinitũ numerũ immolaturos. Verùm cùm Sicyonijs prælio uictis uoti rei facti eſſent, pompã quotidie ex uoto mittẽtibus, nõ tam impenſa grauis, quàm laboris et moleſtiæ cõtinuatio uiſa eſt. Venit igitur in mentẽ ſatis deo factum iri, ſi & pompam ſemel, & hoſtiarũ numerum, ducta æquæ æſtimationis ratione, miſiſſent. Aenea ſunt itaq; uotum teſtantia illic opera. Exin Herculis contra Hydram ærumna, Tiſagoræ donũ, & opificiũ. E ferro tam Hercules eſt quàm hydra. Facere ſanè è ferro ſigna res longè difficillima, & laboris plurimi. Sed ipſa Tiſagoræ ars, quicunq; ille fuerit

fuerit Tiſagoras, iurè digna admiratione uideatur. Spectan tur ſiquidem etiã cum admiratione Pergami, leonis & apri capita, & ipſa ferrea, Libero Patri conſecrata. Ex Phocenſi bus, qui Elatean incolunt, obſidione, qua à Caſſandro urgebantur, liberati, Athenis miſſo ad opem ferendam Olympiodoro, Delphico Apollini leonem æneum miſerunt. Qui uerò leoni proximus eſt Apollo, Maßilienſium decima eſt, de Carthaginienſibus nauali prælio ſuperatis. Dedicarunt Aetoli trophæum, & armatæ mulieris (Aetolia ſcilicet ea eſt) ſimulachrum: atq; hæc de pecunia Gallis imperata ob crudelitatem qua ſunt Gallienſes perſecuti. Inaurata ſtatua, Gorgiæ Leontini donum eſt, ipſa nempe Gorgiæ effigies. Ei adhæret Amphictyonũ donum Scionæus Scyllis, homo urinandi peritia clarus. Is eandem artẽ, natandi ſcilicet ſubter altißimas aquas, Cyanam filiam edocuerat. Ambo itaq; cùm circa Pelion uehemens tempeſtas Xerxis claſſem oppreßiſſet, anchoris & alijs (ſi qua fortè fuerant infra aquas) nauiũ retinaculis abſcißis, perniciem triremibus apportarũt. Eius in Græcos uniuerſos meriti memoriã, patri & filiæ ſtatuis poſitis, extare Amphictyones uoluerũt. Sed ad cætera orna menta quæ Delphis erepta in urbem Nero aſportauit, Cyanæ ſtatua acceßit. Dicuntur infra mare ſe demergere tutißimè fœminæ ſalua uirginitate. Locus admonet, ut Lesbi uulgatam narratiunculam exponã. Methymnæi aliquando piſcatores retibus è mari extraxerunt ex oleæ ligno fabricatũ caput, diuina illud quidem facie, ſed peregrina, atq; omninò diuerſa quàm Græcorũ dij eſſe conſueuerint. Conſulentibus Methymnæis, cuius ea uel deorũ, uel heroum imago eſſet, reſponſum eſt, Bacchũ Cephallenem uenerarentur: eductã igi tur è mari ligneã effigiẽ, ſacris faciundis & uotis nuncupan

dis coluerunt:pro ea uerò Delphos æneam miſere. In ipſis faſtigium ſuſtinentibus aquilis ſunt, Diana, Latona, Apollo, Muſæ, Sol occidens, Liber Pater, fœminæ quæ Thyiades dicuntur. Horũ omnium ſignorũ ora elaborauit Athenienſis Praxias Calamidis diſcipulus: nam cùm templo nondũ expolito mors Praxian oppreßiſſet, reliqua aquilarum ornamenta abſoluit Androſthenes, & ipſe patria Athenienſis, Eucadmi diſcipulus. Affixa ſunt columnarũ capitulis aurea arma. Ex ijs dedicarũt Athenienſes ſcuta, de uictoria ad Marathonem. Aetoli quæ in tergo queq; ad læuã ſunt Gallorũ ſpolia. Scuta eadem propè forma ſunt ijs, qua Perſarũ gerrha. Gallorum in Græciam irruptionis nonnulla mentio nobis fit eo etiam loco quo de Athenienſium curia agimus. Latius autẽ & planius in hoc, qui de rebus Delphicis conſcriptus eſt cõmentario, rem totam explicandam putaui, quòd in hac maximè orbis terræ parte, Græci uirtutis cõtra Barbaros egregia documenta dederũt. Expeditionem primam Galli extra ſuos fines Cambaule duce ſuſceperũt: hi in Thraciam uſq; progreßi, de uia ab inſtituto itinere loca attingere non ſunt auſi, quòd planè intelligebant, minores eſſe quas eduxerant copias, quàm ut numero Græcorũ populis pares eſſe poſſent. Cùm itaq; exteris nationibus iterum bellum inferre decreuiſſent, ijs incitantibus, quos antè Cambaulen ſecutos lucri cupiditas, & guſtatæ prædæ amor ac rapiendi licentia impellebat, ingens peditum manus, neq; multò equitum minor in unum conuenerunt. Tripartito uerò agmine duces in Græciam mouerunt, ac ſua cuiq; parti prouincia attributa. In Thracas & Triballorum gentem copiæ ducendæ Cerethio traditæ ſunt. In Pannoniam contendentibus Brennus & Acichorius præfuerunt. In Macedonas & Illyrios

rios agmen duxit Bolgius*: is cum* Ptolemæo *Macedonum rege ſigna contulit*. Hic *nempe ille fuit* Ptolemæus, *qui* Seleucum Antiochi *filium,etſi ad eum ſupplex confugerat,dolo tamen occidit,cognomento* Fulmen *appellatus, ob immodicam audaciam.* Ipſe *certè in eo prælio* Ptolemæus *cecidit, & cum eo non minima Macedonici roboris pars deleta.*Sed *cùm neq; tunc* Galli *auſi eſſent ad* Græcos *armis laceſſendos longius progredi,breui intra fines ſuos rediere*. Non *deſinebat* Brennus *modò publicè uniuerſos cõuentus, modò uerò* Gallorũ *principes ad nouã in* Græcos *expeditionẽ ſolicitare, cùm & longè eſſe illos quàm antè uirtute inferiores diceret: & cùm publicæ ſingularum ciuitatum pecuniæ magnitudinẽ, tum donaria templorũ, ac elaborati argenti & auri uim cõmemoraret,perpulit eadem repetita ſæpius oratione,ut nouas ad inuadendam* Græciam *copias mitterent.* Collegas *ex* Gallorum *primoribus tum alios, tum uerò* Acichorium *quendam ſibi cooptauit.* Nomina *in hanc iam tertiam expeditionem dederunt,peditum centum & quinquaginta millia,* Equites *uicies mille & quadringenti.*Atq; *hæc quidem equitum manus tota ad pugnã idonea.* Nam *uerior numerus fuere ſupra ſexaginta equitũ millia,amplius mille & cc.*Nã *ſingulos equites famuli ſequebantur duo in equis & ipſi,& equeſtriũ artium maximè gnari.* Ii *præliantibus dominis in extrema acie conſiſtentes,ei erant uſui,ut ſi fortè equus eſſet amiſſus,ſtatim ſuum ſubmitterent: ſi uir cõcidiſſet, ſeruus in eius locũ ſuccederet: quòd ſi utrunq; belli impetus euertiſſet, iam præſtò erat tertius, qui pro demortuis locum teneret:iam uerò ſi uulnera primarius ille accepiſſet, è ſecũdarijs alter ex acie illum ſubducebat, alter uerò ſaucij uicem obibat.*Hæc,*ut mea fert opinio,apud* Gallos *ad imita*

tionem Perſarum militia fuit instituta: nam & illi ſelectos habent milites decies mille, quos Immortales uocāt. Tantùm intereſt, quòd cōmiſſo demum prælio illi ſuccenturiant: Galli inter pugnandū integros, uel cæſis uel ſaucijs ſupplemento eſſe iubent. Atq; hanc quidem equeſtris pugnæ inſtitutionem uoce patria Trimarciſian nominant, equum enim Marcam appellant. Hoc apparatu, & ea, quam antè diximus, fretus confidentia Brennus, in Græciam exercitum duxit. Græci etſi prorſus animis conciderant, imminentis tamen periculi terror facilè in eam ſententiam uniuerſos adduxit, ut laboranti patriæ opem ferre ſibi neceſſarium eſſe ducerent. Perſpicuè uidebant non de libertate (ut olim cum Perſis) decertandum: neq; enim ſi aquā & terrā hoſtibus dediđiſſent, reliquæ incolumitati & ſecuritati propterea conſuli poſſe ſperabant. Recens erat eorum memoria calamitatū, quibus priore excurſione Barbari Macedonas, Thracas, & Pæonas afflixerant. Quàm iniurioſe Theſſalos paulò antè tractaſſent, ex certis nuncijs cognouerāt. Fuit igitur cùm priuatim ſingulis hominibus, tum publicè ciuitatibus una & communis omnibus ſententia, aut funditus pereundum, aut bello hoſtem ſuperandum. Poteſt non difficillimè, qui uelit enumerando perſequi, cùm eas Græcorū ciuitates quæ ad Thermopylas Xerxi reſtiterunt, tum uerò quæ contra Gallos arma cepere. Aduerſus Perſas quidem hi Græcorū populi, cumq; hoc militum numero prodiere. Lacedæmonij Leoniden ſecuti, haud plures quàm CCC. fuere. Tegeatæ D. totidem è Mantinea. Ab Orchomenijs ex Arcadia miſſi CXX. Ex alijs Arcadiæ ciuitatibus mille & LXXX. Mycenis & Phliunte CC. Hunc numerum duplicarunt Corinthij. Iam uerò præſtò fuere ex Bœotia DCC. è Theſpia & Thebis CCCC.

Oetæ

Oetæ quidem tramitem cuſtodiebant Phocenſium M. *ſi horum etiam ratio in hac Græcorum recenſione ſit habenda.* Nam Locros, *qui ſub Cnemide monte ſunt, in hoc delectu* He*rodotus non comprehendit: ueniſſe tantùm eos ex omnibus ciuitatibus ſcripſit.* Horum *tamen proximè ad uerum quàm magnus numerus fuerit, facilè poßis conijcere.* Athenienſes *enim ad* Marathonem *hoſti occurrerunt, non maiore numero, quàm nouem millibus hominum, in quo et inutilis ad pugnam ætas & ſerui cenſebantur. Quare exiſtimandū relinquitur, militarem* Locrorum *manum ſex millibus hominū nibilo pleniorem fuiſſe. Fuerit itaq; uniuerſus ille exercitus hominum undecim millium & ducentorum. Satis uerò conſtat nō perſtitiſſe omnes, qui* Thermopylas *præſidio occupauerant: præter* Lacedæmonios *enim,* Theſpienſes & Mycenæos, *reliqui non expectato pugnæ euentu receſſere.* At *contra* Barbaros, *qui ab ultimis* Oceani *finibus in* Græciam *irruperant, ad* Thermopylas *præſidium ex his* Græciæ *populis miſſum.* Ex Bœotia *peditū grauis armaturæ decē millia, equites* D. His *duces* IIII. *præerant,* Bœotarchi *appellati,* Cephiſſodotus, Thearidas, Diogenes, & Lyſander. A Phocenſibus *miſsi equites* D. *pedites ter mille: duces fuere* Critobulus & Antiochus. Locros, *qui ſunt ad inſulam* Atalantā, Midias *duxit, pedites* DCC. *Equeſtres hi copias nullas habuere.* A Megarenſib. *adfuere grauis armaturæ pedites* CCCC. Equitatum Megareus *duxit.* Aetolorum *agmen cùm numero præſtitit, tum uerò fuit ad omne pugnæ genus inſtructiſſimum. Quæ fuerint equeſtres eorum copiæ non eſt proditum: ſed partim expediti, partim uerò grauis armaturæ fuere, haud minus peditū ſeptem millium & nonaginta.* His *imperarunt* Polyarchus, Polyphron, *et* Lacrates. Athenien

ſium imperator fuit Callippus Meroclis filius, quod eſt à me ſuperius etiam expoſitum. Copiæ ipſorum fuere, primũ triremes omnes quæ deduci potuerũt: Equites deinde C C C. pedites in acie ſteterunt mille. Atq; Athenienſibus quidem ob ueterem dignitatem eſt imperium omnium conſentienti uoluntate decretum. Miſere reges conductitium militem: quingenti ex Macedonia, totidem ex Aſia uenere. Fuit uniuerſa huius delectus ſumma, peditum uigintitria millia, centum & nonaginta: equitum plus minus tria millia. Ab Antigono rege Ariſtodemus Macedo, ab Antiocho ex Aſia miſsis auxilijs Teleſarchus præfuit: è Syria is fuit, quæ ad Orontem flumen eſt. His in unum ad Thermopylas copijs congregatis, ubi cognitum eſt Gallorũ exercitum intra Magneſiæ & Phthiotidis terræ fines caſtra iam habere, mitti placuit expeditorũ globũ hominũ mille, & cum his optimã equitatus partem ad Sperchium amnem, quò difficilem & periculoſam Barbaris traiectionẽ oſtentato certamine redderent. Hi cùm eò perueniſſent, pontes, quos Galli fecerant, ſoluerunt: ſolutis pontibus, ipſi quoq; ad fluminis ripam caſtra poſuere. Erat Brennus haudquaquã incallidus aut rudis, quin, ut Barbarus homo, ſatis acutus et experiens ad eas artes, quibus hoſtẽ falleret, excogitandas. Ea igitur quæ conſecuta eſt nocte relicto uetere pontiũ tranſitu, ad inferiores amnis partes militum decem millia natandi peritiſsimum quenq;, & corporis ſtatura (ut ſunt Galli præ cæteris hominibus eximia corporum magnitudine) eminentiſsimũ miſit. Quid ageretur, hoſtes, qui longius aberant, animaduertere non potuerunt: & inferior amnis per campos latè ſtagnans, non ut ſuperiore alueo rapidus & altus deuoluitur, ſed in paludem ſe ac ſtagnũ diffundit. Ea igitur ex parte per paludes ma-

des manus illa noctu tranauit, eorum partim ſcutis patrijs, quos thyreos uocāt, pro ratibus utentes, partim pedibus uada, quæ fuit corporum proceritas tranſmeantes. At Græci *qui ad Sperchium conſtiterant, re ſtatim cognita, ad exercitum qui ad* Thermopylas *erat retroceſſerūt*. Brennus *populis* Maliaci *ſinus accolis imperauit, ut ponte Sperchiū iungerent: qui ſanè ſumma celeritate opus perfecerunt, tum quòd illum uehementer metuebant, tum uerò quòd* Barbaros *diſcedere è ſuis finibus quamprimū cupiebant, ne ſi longiora haberent ſtatiua, indies detrimentis maioribus afficerentur*. Fluuio *per pontes trāſmiſſo, ad* Heraclean *accedentes, agrū quidē depopulati ſunt, & deprehenſos in agris homines occidère*. Vrbem *certè nō ceperunt, quòd ſuperiore proximo anno* Aetoli Heracleotas, *ut ſecū facerent, coëgerant: opem igitur tunc illis tanquā ſuæ ditionis hominibus impigrè tulerunt*. Sed & Brennus *minus omnino de* Heracleotis *in ſuam poteſtatem redigendis laborabat: uerùm hoc maximè fuit ei periculum cauendum, ne, qui de muris pugnabant, obſiſterent, quo minus ad eam* Græciæ *partem, quæ intra* Thermopylas *eſt, peruaderet*. Heraclean *igitur prætergreſſus, cùm de perfugis quibuſdam cognouiſſet, quæ copiæ ex ſingularum ciuitatum delectibus in unum conueniſſent, contempſit planè* Græcorū *apparatū, ac poſtero die ſub ipſum* Solis *ortū pugnam ſtatuit cōmittere, nullis ille quidem, uel cuiuſpiam* Græci *aruſpicis uſus conſilio, uel dis ullis per ſacra patrio ritu ſuſcepta, conſultis, ſi tamen ulla eſt* Gallis *res futuras diuinitus præſentiendi ars*. Græci *cum ſilentio, & æquabili ac temperato greſſu, in pugnā proceſſerūt*. Vbi *ad manus uentum eſt, grauis armaturæ peditatus tam longè ab acie excurrit, ut ſuā ipſi phalangē laxatis ordinib. turbaue-*

rint: leuis armatura ordinem conſeruauit, & hoſtem eminus iaculis, ſagittis & fundis laceßiuit. Equitatus *in utroq; exercitu prorſus nulli fuit uſui, neq; id ſolũ propter montis (quæ porta appellatur) anguſtias, ſed quòd etiam in lubrico ſaxo cùm loci ipſius natura, tum uerò ob aquarũ interfluentium crebritatem, equorum ueſtigia hærere non poterant.* Erat Gallis *armatura infirmior: nam præter ſuos illos thyreos, nullo armorũ genere corpora munierant.* Et quod *caput fuit, rei militaris ſcientia multò erãt hoſte inferiores: furore tantùm, & animi impetu oppreſſa ratione, ritu ferarũ ruebant.* Neq; *uerò aut bipennibus diuiſos, aut gladijs conciſos, ſua illa efferatæ mentis cõcitatio, dum animam agerent, deficiebat: aut ſagittis & mißilibus confixi, quandiu uitæ reliquiæ ſupereſſent, ſæuire deſinebant.* Fuerũt *qui è ſuis ipſorum uulneribus euulſa ſpicula in* Græcos *retorſerint, uel cominus impreſſerint*. Interea Athenienſium *claßis uix, neq; omnino ſine periculo, per paludis cœnum, quo latè etiam procul à litore maris pars ea obducitur, quamproximè ad* Barbaros *appropinquans, latera & frontem hoſtilis agminis omni iaculorum genere & ſagittis feriebat.* Laborantes *igitur uehementer* Galli, *quippe qui in illis anguſtijs* Græcis *parũ omnino obeſſent, multis uerò ipſi partibus maioribus afficerentur incõmodis, ſuis receptui cani iuſſerunt.* Temerè *illi, & undiq; conturbatis ordinibus, cùm in caſtra ſe reciperent conarentur, in ipſa fugæ trepidatione multi ſunt inter ſe colliſi: multi etiam in paludem collapſi, cæca ſunt limi uoragine abſorpti*. Quare *non minore retrocedentes clade affecti ſunt, quàm quantam antè in ipſo prælij diſcrimine plagã accepiſſent.* Athenienſium *in primis eo die uirtus enituit: ipſis uerò* Athenienſibus *antecelluit* Cydias, *qui peradoleſcens*

ac pla-

nè tyro, prima eo bello militiæ rudimenta poſuerat. Eius à *Gallis occiſi, cum hac inſcriptione propinqui ſcutum* Ioui *Liberatori dicarunt:*

Cydiæ erat parma hæc iuuenili corpore clari,
Hoſpes quam ſacram conſpicis eſſe Ioui:
Huic cubitum inſeruit flammato corde ſiniſtrum,
Cùm premeret Mauros *armipotens* Galatas.

Manſit ea inſcriptio uſquedũ Syllæ milites & alia Athenienſium *inſignia, & ſcuta è Liberatoris* Iouis *porticu ſuſtulerunt.*Hic *fuit pugnæ cũ Gallis ad* Thermopylas *initæ euentus.Poſtero die Græci ſuorum cadauera ſepulturæ mandarunt, & hoſtibus ſpolia detraxerunt.*At Barbari *nullas omnino per caduceatorẽ, quantiſper ſuos ad ſepulturã tollerẽt inducias popoſcerunt, ac planè oſtenderũt ſe nihil intereſſe putare, humóne tegerẽtur, an uerò à feris et uolucribus, ijs quæ ſolent infeſtæ ad cadauera aduolare, dilaniarentur.*Ac *duplex opinor cauſa eſt, quamobrẽ nulla illis cura ſit, eos, qui in pugna ceciderint, ſepeliendi: una, quòd maiorem ex hac de immanitate ſua opinione iniÿci hoſtibus terrorẽ exiſtimant:altera, quòd nõ eſt omnino ipſis cum cæteris cõmunis, in eos qui è uita exceſſerint, miſeratio.* Deſiderati *ſunt ex omni Græcorũ numero* XL.Nam *qui cæſi ſunt ex* Barbaris *accuratè recenſeri non potuerunt, cùm nuſpiam apparuiſſent quos palus abſumpſerat: atq; is quidẽ magnus fuit hominum numerus.* Septimo *à pugna die reliquæ* Gallorũ *cohortes, ſecundùm* Heraclean Octam *aſcendere conatæ ſunt:uerùm peranguſto & hac in parte tramite iter erat faciendum, ſupra quem* Trachinis *ruinæ fuere:& ultra* Trachiniæ *terræ fines* Mineruæ *templum, in quo donaria multa.*Ac *certè per arctiſſimũ illum callem ſperarunt tamen ſe*

Oetæ iugum Galli occupaturos,et ſimul ſibi, dum aliud agerent,templi diripiendi poteſtatem fore. Sed cùm illis præſidium,quod in aditu montis collocatū fuerat, Teleſarcho duce occurriſſet,altero prælio Barbari uicti ſunt:Teleſarchus quidem ipſe dimicans cecidit, uir ut qui maximè in Græcorum cauſa acer. Hic cùm alios iam Gallorum duces hoſtium uirtus exterruiſſet, et de futuris rebus animos deſponderēt, nempe quibus prima quæq; aduerſa eueniſſent, Brenno in mentem uenit,facilem ſibi fore belli conficiendi rationē,modò Aetolos cogere poſſet ut domū redirent. Delectis itaq; è toto exercitu peditum quadragies mille,equitibus octingentis,ijs Oreſtorium et Combutin præficit,quibus mandat, ut per Sperchij pontes,in Theſſaliam primùm ueniant,atq; illinc in Aetoliā inuadant.Fuerūt duo hi,quos nominaui,qui in Callienſes dira,et omnium quæ unquam ad aures noſtras peruenerint, atrociſsima edidere facinora, & quæ omnino auſos unquam homines fuiſſe,ueri neutiquam ſimile uideri poſsit.Quicquid marium fuit ad internitionem exciderunt: ſenes & paruulos ab ipſis matrum uberibus abreptos immaniter trucidarunt.Horū, ſi qui erant lactis alimonia melius curati,ſanguinem hauſerunt, & ipſis etiam carnibus in cibum ſunt abuſi. Mulieres,et nubiles puellæ,urbe expugnata,quæ fuerūt elatioris animi, ſua ſibi manu mortē cōſciuerunt:quæ ſuperſtites fuere,eas Barbari omni cuiuſuis exquiſitæ contumeliæ genere affectas lacerarūt, gens ſcilicet tam amoris,quàm miſericordiæ expers.Et carū ſanè multæ,Gallorū enſes nactæ, in eos ultro incubuerūt.Aliæ nō ita multò pòſt immaniter Barbaris in eas uiciſsim irruentibus, inedia et uigilia mortē oppetiere: quibus neq; ſpiritum exhalantibus,neq; iam exanimis,quo minus libidinē explerent ſuam, illi

illi parcebãt. Aetoli audita ex certis nũcijs domeſtica clade, quamcelerrimè potuerũt cum ſuis copijs à Thermopylis in Aetoliam contenderunt, tum ob Callienſium exitium uehementi ira incenſi, tum uerò maximè conſulendum rati, earum urbium ſaluti, ad quas nondum hoſtilis furor peruaſiſſet. Confluxit undiq; in caſtra ex oppidis omnis militaris ætas, et ei etiã permiſſi ſenes, cùm neceſſitate, tum priſtina uirtute impulſi. Fœminæ certè ipſæ, maiore quàm uiri in Gallos ira incenſæ, arma cepere. Iam Barbari domibus & ſacris ædibus direptis ac ſpoliatis, immiſſisq; ignibus, Callioq; exuſto, præda onuſti, eadem uia ad ſuos redibant, cùm ſoli Patrenſes ex omnibus Achæis, Aetolis opem ferentes, cũ graui armatura, qua omniũ ſcientiſſimè utebantur, illis occurrêre. Sed cùm ob ingentẽ hoſtiũ numerũ, iam debilitatis animis propè affligerentur, Aetoli, neq; minus fœminæ quàm uiri, uia utrinq; armatorum ordinibus obſeſſa, iaculis Gallos figebant, quos petere, thyreis tantum ſuis protectos, nõ erat difficile: atq; inſequentes quidem Gallos quamfacillimè effugiebant: eoſdem ſimulac inſequi deſijſſent, miſſilibus urgebant. Effectum certè eſt, ut Callienſes calamitatũ ſuarũ, quæ tantæ fuerunt, ut quæ ab Homero de Læſtrygonibus et Cyclopibus dictá ſunt, fabuloſa uideri iam nõ poſſint, uindicem tamen non magnopere deſiderare debuerint. Siquidẽ ex eo Gallorum numero, qui fuit, uti antè diximus, hominũ quadraginta millia et octingenti, uix dimidia pars ad Thermopylas in caſtra ſe ſua recepit. Reliqua Græcorũ res apud ipſas Thermopylas ad hunc modum geſtæ ſunt. Tramites duo fuere, per Oetam montem unus, ſupra Trachinem præruptus, & arduus ualde: per Aenianas alter multò, uel cum exercitu iter facientibus, facilior. Hic nẽpe ille fuit, quo uſus

Medus Hydarrhes, Græcorum præſidium, cui Leonida præerat, à tergo circumuenit. Nunciatum eſt eadem uia duci Brennum ab Heracleotis & Aenianibus, non quòd in Græcos animo eſſent infenſo, ſed quòd bene ſecum actum iri putarent, ſi è finibus ſuis Barbari diſceßiſſent, priuſquàm omnia peſſum darent. Quare uerißimè (ut mihi quidem uidetur) Pindarus, cùm

Vehementer ſuis quenq; malis affici dixit,

Calamitatis uerò alienæ ſenſum haud utiquam grauem.

Tunc enim excitatus Aenianũ & Heracleotarũ monitu ac promißis, Brennus Acichoriũ in caſtris reliquit, docẽs tempeſtiuum ei fore in hoſtes inuadere, ubi à tergo à ſe oppreſſos certior eſſet factus. Ipſe cũ delecta è toto exercitu manu hominũ quadraginta milliũ, per tramitis monſtratũ ſibi diuerticulum, ut Græcos à tergo adoriretur, contendit. Fortè ita accidit, ut mons totus ea die denſa nebula obduceretur: quo factum ut ea caligine Sole obſcurato, Phocenſes, qui eas anguſtiarum fauces cum præſidio obtinebant, non antè Gallos adeſſe animaduertere potuerint, quàm ſe propè circumuentos ſenſerunt. In ea trepidatione pugnam alij inire, alij ſtrenuè hoſtis impetũ ſuſtinere: poſtremò loco pulſi, per eaſdem illas anguſtias retrocedere coacti ſunt. Cum feſtinatione itaq; & curſu ad ſocios reuerſi, antequã ex omni parte Græci circumuallerentur, qui foret rerum ſtatus nunciarunt. Athenienſes re cognita, exercitum Græcorum è Thermopylarum caſtris in triremes receptum, periculo eximere maturarunt. Atq; illi ſanè omnes in ſuam quiſq; patriam dilapſi ſunt. At Brennus neq; tantiſper quidem commoratus, dum Acichorius conſtitutum tempus obiret, rectà Delphos cõtendit. Oppidanos ad oraculum confugientes, bono

animo

animo eſſe, ac nihil formidare iuſsit deus, ſe ſua defenſurum pollicitus. Qui pro aris & focis pugnaturi arma cepere, hi fuerunt Græcorũ populi. Phocenſes ex omnibus undecunq; ciuitatibus. Ab Amphiſſa grauis armaturæ pedites CCCC. *Ab Aetolis pauci quidã ad primũ de Barbarorũ progreſsione nuncium: mille deinde & quingentos duxit Philomelus. Græci earum, quas habuerũt, copiarũ robur in Acichorij agmen cõuerterunt: neq; tamen acie dimicarunt, ſed iter facientium tergum laceſſebãt, cùm impedimenta diripientes, tum homines ipſos, qui clitellaria iumenta agebãt, trucidantes: quam ob cauſam fuit Barbaris iter illud tanto tardius. Relicta uerò eſt ab Acichorio pars copiarum apud Heraclean, quæ pecuniam in caſtris repoſitam aſſeruaret. Aduerſus Brennum qui Delphos conuenerant Græci in acie ſtetere. Prodigia uerò repentina, & omnium, quæ unquam audierimus, euidentiſsima in Barbaros diuinitus extitere. Primùm enim terra, quantũ ſoli Gallorum acies occupauerat, ingenti motu ad multas horas contremuit: crebra deinde tonitrua & fulmina Gallos non ſolùm acriter exterruerunt, ſed ad exaudienda, quæ dabantur à ducibus, ſigna, hebetato aurium ſenſu propè attonitos reddiderũt. Neq; uerò ſinguli tantùm homines cœleſtibus ignibus corripiebantur, ſed loco etiam proximi quiq;, cum ipſis armis cõflagrabant. Viſæ præterea in eos conſurgere heroum ſpecies, Hyperochus, Laodocus, & Pyrrhus, quibus Phylacum ciuem ſuum Delphi quartum adnumerant. Conciderunt tamen in prælio è Phocenſibus & alij complures, & Aleximachus, qui in ea pugna, cùm animi egregiã quandam alacritatẽ ad florentis ætatis uigorẽ & corporis robur adiunxiſſet, magnas ediderat hoſtiũ ſtrages. Eius effigiem Phocenſes ad uiuentis imagi*

nem expreſſam Delphos ad Apollinem miſere. Atq; huiuſmodi quidem interdiu Galli terroribus & cladibus perculſi, ea quæ diem illum conſecuta eſt nocte, funeſtioribus perculſi fuerunt caſibus. Acerrimum frigus eos cum niue plurima uehementer afflixit. Saxa præterea ingentia, & montis crepidines ſpontè è Parnaſſo auulſæ, in Barbaros, quaſi unicum illud eſſet quod peteretur ſignum propoſitũ, corruerunt. Neq; uerò aut ſinguli, aut bini opprimebantur, ſed triceni, & eo plures, uti fortè ſimul, aut ad certi loci præſidiũ conſtitiſſent, aut unà quieſcerent, collidebantur. Ac prima quidem luce Græci Delphis erumpentes, cæteri rectà in ipſam hoſtilis exercitus frontem impetum fecerunt: Phocenſes uerò locorum notitia freti, per medias niues, ex arduis & præruptis Parnaſſi anfractibus deſcendentes, ac de improuiſo Gallos à tergo adorti, miſſilibus illos et ſagittis impunè figebant. Inito prælio cùm omnes, tum præcipuè prætoria Brenni cohors, ut erant eminentibus corporibus, & omniũ fortiſſimi, præſenti animo reſtiterũt: ij enim etſi undiq; iaculis petebantur, neq; magis uulneribus quàm frigore erant iam propè confecti, non tamen prius loco ſunt deturbati, quàm Brennum aliquot acceptis uulneribus, iam propè animam agentem extra aciem extulerũt. Tum Barbari uniuerſi, urgentibus ab omni parte Græcis, fugam malo ſuo coacti fecerunt: ac eos quidem, qui uel ob uulnera, uel aliquã corporis imbecillitatem ſequi non poſſent, occidêre. Fugientes caſtra habuerũt, quo loco nox eos primùm oppreſſit: ea nocte Panicus illis inceſſit terror: quibus enim nulla ſubeſt caua trepidationibus, eas Panos numine immitti autumãt. Cœptum eſt hoc furoris genere agmẽ exagitari intempeſta iam nocte: & pauci ſanè ab initio eo mentis errore cõturbati, ut

audire

audire ſibi uiderentur ſonitum pulſati equorũ pedibus ſoli, ac iam propè cernere inſultantes hoſtes, non ita multò pòſt ad omnes eadem peruaſit inſania. Arreptis igitur armis, & inter ſe facto agminis diſsidio, uiciſsim & occidebant alij alios, & occidebantur, cùm neq; per tenebras & amentiam illam patriam linguam intelligerent, neq; uultus inter ſe, nec ſcutorum ſigna poſſent agnoſcere: ſed contrarijs ordinibus utrinq; per cæci illius erroris uecordiã, Græci eſſe, qui contrà pugnarent, uiderentur, & Græca eſſe arma putarent, quin & Græcam eſſe uocem crederent, quam homines mitterent. Primi hanc rem animaduertêre, qui è Phocenſibus in agris relicti fuerant ad pecoris cuſtodiam: ij igitur, quæ Barbaris per noctem accidiſſent, Græcis annunciarũt. Excitati eo nuncio Phocenſes, alacrius multò in hoſtes irruerũt. Græges præterea accuratiore multò cuſtodia ſeruarũt, ac ne cõmeatus ex agris ſine pugna ſumi poſſent, prouiderunt: quo factũ ut ingenti cùm frumenti, tum cibariorũ omnium penuria uniuerſus Gallorũ exercitus uehementer laborarit. Fuere eorũ qui in Phocide perierũt, nõ multò pauciores, quàm ſex hominũ millia: nocturno gelu, & Panico terrore cõfecti amplius decem millia: non minor numerus fame conſumpti. Qui ex Athenienſibus Delphos ſpeculatũ miſsi ſunt, & alia quæ Gallis euenerãt, & quibus caſibus perculſi fuerant, renunciarũt. Cum iiſdẽ uerò Athenienſibus dum caſtris motis per Bœotiã iter faciũt, ſe Bœoti cõiunxerũt: utriq; uerò Barbaros inſectantes, paſsim ex inſidijs extremos interficiebãt. Brenni agmen Acichorij copiæ ſuperiore tantũ nocte aſſecutæ fuerãt: ſiquidem Aetolis inceſſentibus cùm iaculis, tum fortuitorũ quouis miſsiliũ genere, lentius iter fecerant: quare ad ea caſtra, quæ ad Heraclea metati fuerant, non magna

omnino ipſorum manus effugerat. Brenno certè uulnera reliquā fecerant aliquā uitæ ſpem, metu tamen uel pudore potius, quòd autor ipſe ciuibus ſuis fuiſſet ſuſcipiendæ in Græciam tam calamitoſæ expeditionis, ultro aiunt hauſto mero poſt accepta uulnera mortem oppetijſſe. Eo mortuo uix, & *periculoſo maximè itinere,* Aetolis *acriter urgentibus,* Barbari *ad* Sperchion *retroceſſere: ibi eos ex inſidijs* Theſſali & Malienſes *adorti, ita ſunt hoſtium cæde ſatiati, ut ex tanto hominum numero ne unus quidem ſaluus domum redierit.* Facta *in* Græciam *irruptione* Galli *deleti ſunt, ſummum* Athenis *magiſtratum gerente* Anaxicrate, *anno altero* Olympiadis *centeſimæ quintæ & uiceſimæ, qua de ſtadio uicit* Ladas Aegienſis. *Inſequenti uerò anno,* Damocle Athenis *eundem honorem gerente, in* Aſiam Galli *tranſmiſere. Atq; hæc ad hiſtoriæ fidem expoſita hactenus fuerint.* Pro *templi foribus leguntur perutilia uitæ hominum documenta, ab ijs hominibus conſcripta, quos* Græci *ſapientes & habuerunt, & appellarunt.* Fuerũt *illi ex* Ionia *quidem,* Thales Mileſius, & Prienenſis Bias: *ex* Aeolica *uerò natione, è* Lesbo *inſula,* Pittacus Mitylenæus: *ex ijs qui in* Aſia *ſunt* Dorienſibus, Cleobolus Lindius: Athenienſis *prætereà* Solon, & Spartanus Chylon: *Septimum* Plato Ariſtonis *filius, pro* Periandro Corinthio Cypſeli *filio, enumerat* Chenenſem Myſonem. *Incolitur in* Oeta *monte uicus* Chenæ. *Hi ſanè* Delphos *profecti, celebratas illas hominũ ſermone ſententias* Apollini *dedicarunt:* Cognoſce te ipſum. Ne quid nimis. *Hæc inquã illi ſcripta eo in loco reliquerunt.* Videas *ibidem & æream columnæ ſuperimpoſitam* Homeri *ſtatuam.* In*ciſum eſt in ea columna illud* Apollinis *reſponſum, quod ipſi poëtæ de patria ſua ſciſcitanti editum memorant:*

Felix

Felix atq; miſer, te ſors ad utrunq; creauit.
De patria quæris, tibi matria, non patria illa eſt.
Inſula Ios *matris patria eſt, quæ colliget oſſa*
Exanguis: ſedenim puerorum ænigma caueto.

Monſtrant Ietæ *in inſula* Homeri *ſepulchrum, & ſeorſum* Clymenes, Homeri Clymenen *matrem fuiſſe dictitantes.* Cyprij *uerò (nam & hi ſibi* Homerum *uindicãt)* Themiſtò *indigenam fœminã* Homeri *fuiſſe matrem dicunt.* Euclum *uerò de ipſius ortu hiſce uerſibus fuiſſe uaticinatum:*

Fluctiſona in Cypro *tunc uatem dia* Themiſtò
Altiloquum pariet Ditis Salaminos *in agris.*
Poſthabita hic Cypro, *longè prouectus in altum,*
Graiugenum *terras luſtrabit. Carmine ſæuos*
Heroum caſus, & triſtia funera dicens,
Nec ſenium metuet, nec inexorabile fatum.

Hæc nos de Homero *partim audiuimus, partim etiã ex oraculis quibuſdam collegimus, nihil omnino quod de eius uel patria, uel ætate ſcribamus, certi ex nobis ipſis habentes. Intra templum dicata fuit* Neptuno *ara: erat enim iam tum ab initio id oraculum, propria* Neptuno *ſedes. Extant &* Parcarum *duarum ſimulachra, tertiæ locum* Iupiter Mœragetes, *& item* Mœragetes Apollo, *id eſt,* Parcarũ *duces, tenẽt. Oſtenditur ibidem focus ille, in quo* Achillis *filium* Neoptolemum Apollinis *ſacerdos occidit: qua de re multa alio loco expoſuimus. Nõ procul hinc* Pindari *ſella ſita eſt, è ferro fabricata: in ea* Pindarum *quoties* Delphos *ueniſſet, ſedere, & cantica omnia, quæ fecit in* Apollinis *honorem, decantare ſolitum tradunt. In templi receſſu, quô paucis admodũ eſt aditus, alterũ poſitum eſt aureũ* Apollinis *ſignũ. E templo egreſſis, & ad læuam conuerſis, circunſepta quædam eſt a-*

rea, in qua Neoptolemi Achillis filij ſepulchrũ, cui parentant quotannis Delphi. Ab eo monimento cùm ſurſum aſcendere inceperis, lapidem uideas modicè magnũ. Hunc ſingulis diebus, & feſtis maximè, oleo perfundũt, & ſuccida lana uelant. De eo lapide percrebuit opinio, illum ipſum eſſe, quẽ pro puero appoſitum, ac deuoratum, Saturnus per uomitum eieciſſet. Vbi lapidem ſpectaueris, ſi pedem retuleris quaſi ad fanum rediturus, fontem uideas, cui nomẽ Caſſotis: murus ei obiectus eſt: per murũ ad fontem aſcenditur: aquã credunt eius fontis ſub terram mergi. In templi penetrali fatidicas fœminas uerſibus aiunt reſponſa dare: quæ fonti nomen dederit, fuiſſe de Nymphis unam Parnaßi accolis. Supra Caſſotiden ædificium quoddam eſt: in eo picturæ aliquot Polygnoti, quas Gnidij dedicarunt: locum Delphi Leſchen uocant, quaſi confabulationem, aut ſtationem dicas, quòd eò conuenientes priſcis olim temporibus, ſeria & ioca inter ſe conferebant. Talia fuiſſe multa in omni Græcia conciliabula Homerus docuit, quo loco Melanthij in Vlyſſen conuicium exponit:

Non ſomnum ut capias æratis te ædibus infers:
Non Leſchen celebras, iſtinc tam multa locutus.

Vbi introieris, pictam uideas in dextero templi pariete, Ilij euerſionem, & Græcorũ claſſem domum ſoluentem. Menelao deinde ſunt qui omnia ad reditũ adornant. Nauis ibi picta, & inter nautas permiſti uiris pueri. In media naui cernitur Phrontis gubernator contos diſponens. Neſtorẽ Homerus & alia Telemacho dicentem fecit, & nõnulla de Phrontide, Onetoris ſcilicet filium fuiſſe, gubernandi peritiſſimũ: quodq; is è uita deceſſerit, cùm Sunium Atticæ terræ promontorium iam præteruecti eſſent: & ſanè Menelaum ſe-

cum unà illuc uſq; nauigaſſe: eo uero in loco commoratum, dum tumulum Phrontidi extruendum curat, & alia pro ui ri dignitate iuſta facit. Spectatur ille quidem in Polygnoti opere. Paulò infra ipſum, Ithæmenes neſcio quis ueſtimentum portans, & Echæax per nauticum pontem cum urna ænea ingrediens. Tollunt Menelai tabernaculum, quod fue rat non longè à naui collocatum, Polites Strophius, & Alphius: & aliud tabernaculum refigit Amphialus. Sub Amphiali pedib. ſedet puer: eius nomẽ nulla indicat inſcriptio. Barbatus unus ex omnib. Phrontis eſt: et huius unius ex Homeri de Vlyſſe carminibus nomen ſumpſit: nam alia, ut opinor, nomina ipſe ſibi Polygnotus finxit. Stat Briſeis, Diome des ſupra ipſam, & Iphis, Helenæ formã admirantibus ſimil limi. Sedet ipſa Helena, et prope eam Eurybates. Vlyſsis eſſe hunc præconẽ conijcimus: eſt tamẽ adhuc imberbis. Ancillæ ibidem ſunt duæ, è quibus Panthalis Helenæ aſsiſtit, Electra heræ calceum ſubligat. Diuerſa ab his nomina ſunt, quæ Homerus in Iliade uſurpat, quo loco Helenam, & cum ea ancil las ad muros euntes facit. Sedet ſupra Helenã uir purpureo uelatus amiculo, mœſtus ut qui maximè: Helenũ eſſe facilè intelligas, uel priuſquàm inſcriptionẽ legas. Prope Helenũ Meges eſt brachio ſaucio, quod ijs uerſib. mãdauit Leſcheus Pyrrhæus Aeſchyleni filius, quos de Ilij populatione fecit: et uulneratũ quidẽ ab Admeto Argiuo in ea pugna, quã Troiani poſtrema excidij ſui nocte cõmiſerunt. Pictus eſt proxi mè ad Megetẽ Lycomedes Creontis filius, & ipſe ſaucius in eo articulo, quo cum lacerto manus iungitur, καρπὸν Græci uocant: ea enim in parte uulneratũ ſcripſit Leſcheus ab Agenore: quod ut pingeret nõ fuiſſe Polygnoto in mentem uenturum facilè credi poteſt, ni Leſchei poëſin legiſſet. Sed alia

etiam duo uulnera accepit Lycomedes, quæ penicillo expreßit Polygnotus: in talo unum, in capite alterum. Euryalus etiam Meciſtei filius, uulneribus affectus eſt duobus, in capite, & manus iunctura. Sunt hi omnes in ea pictura, ſupra Helenæ caput. Adiunctæ Helenæ ſunt Aethra Theſei mater, detonſo ad cutē capillo: & Theſei filius Demophon, meditans (quantū oris figura oſtendit) num qua ratione queat auiam paternā in libertatem aſſerere. Argiui Theſeo è Synnidis filia Melanippum genitum ferunt, qui de curſu palmā tulerit, quo tempore, qui Poſteri ſunt appellati, Nemeorum ludicra, edita primùm ab Adraſto, retulerunt. Leſcheus carminibus prodidit ſuis, Ilio capto elapſum è medio tumultu Aethran in Græcorum caſtra ueniſſe: ibi à Theſei filijs agnitam, Demophontemq́; eam ab Agamemnone repetiſſe: & illum quidē cùm gratificari Demophonti maximè uellet, nō prius tamen ſe id facturū dixiſſe, quàm Helenæ idem placere intellexiſſet. Miſſo igitur caduceatore, facilè Helenā exoraſſe. In ea certè pictura apparet Eurybaten ad Helenā Aethræ cauſa, ut quæ mandata fuerant perferret, ueniſſe. Troianæ ibidem mulieres, captiuarum & lugentiū habitu agnoſcuntur. Andromache primùm, cui adhæret paruulus filius ab ubere abſtractus: hunc è turri præcipitem abiectū ſcribit Leſcheus: non tamen Græcorum decreto in eum ſæuitum, ſed priuato Neoptolemi odio, qui ſibi eius necem depopoſcerat. Picta præterea eſt Medeſicaſte: una hæc Priami filiarū, non illa quidem ex legitimo toro genita, nupta fuit Pedæi (urbs ea eſt, ut inquit Homerus) cum Imbrio Mentoris filio. Andromache & Medeſicaſte uelato ſunt capite: Polyxena uirginū more collecto in nodum crine: mactatā illam fuiſſe ad Achillis tumulum, & poetæ decantarunt, & tabulæ teſtantur,

ſtantur, quas cùm Athenis, tum Pergami, quæ urbs ſupra Caicū eſt, mihi ipſi cōtigit intueri: ſunt uerò in illis expreßi Polyxenæ caſus. Pinxit eodem in loco Polygnotus etiam Neſtorem, pileo uelatum, haſtam tenentem. Equus propè, ſe uolutantis ſpeciem oſtentat. Solum equo, litoris forma, paſſim iacentibus calculis. Reliqua area non qualis mari proxima eſſe uidetur. Supra eas fœminas, quæ mediæ ſunt inter Aethrā & Neſtorē, captiuæ cernuntur Clymene, Creuſa, Ariſtomache, & Xenodice. Clymenen Steſichorus ijs, quos fecit de Ilij excidio carminibus, inter captiuas numerat. Ariſtomachen Priami filiā Ennus poëta ſcripſit, Critolaoq; nuptam fuiſſe Icetaonis filio. Xenodices qui mentionem fecerit, neq; carminis, neq; ſolutæ orationis autorem ullum comperi. De Creuſa memoriæ proditum eſt, à deûm matre & Venere Græcis ereptam, & in libertatem uindicatā: fuiſſe uerò eam Aeneæ uxorem. Leſcheus tamen, & qui Cypria carmina ſcripſit, Aeneæ uxorem Eurydicen nominant. Supra has, in lectulo decumbentes pictæ ſunt Deinome, Metioche, Piſis, et Cleodice. Harum unius mentio Deinomes fit in eo opere, quæ Parua inſcribitur Ilias. Alijs (uti ego ſentio) Polygnotus ipſe nomina impoſuit. Pinxit uerò etiam Epeū, Troiæ muros æquantem ſolo. Prominet inter ruinas caput ſolùm equi Duratei. Adeſt & Polypœtes Pirithi filius uitta præcincta capite. Adſiſtit Acamas Theſei filius caput criſtata galea tegente. Adeſt et Vlyſſes lorica indutus. Aiax Oilei cum ſcuto ad aram accedit iuſiurandū cōcepturus, priuſquàm Caſſandræ uim afferat. Sedet ipſa Caſſandra humi, Palladiū complexa, quod ipſum è ſuis ſedibus uirgo auellit, cùm ſupplicē ab ara Aiax abſtraxit. Picti etiā ſunt Atrei filij, & ipſi cum galeis: Menelaus ſcutū tenet. In eo expreſſus

etiam duo uulnera accepit Lycomedes, quæ penicillo expreßit Polygnotus: in talo unum, in capite alterum. Euryalus etiam Meciſtei filius, uulneribus affectus eſt duobus, in capite, & manus iunctura. Sunt hi omnes in ea pictura, ſupra Helenæ caput. Adiunctæ Helenæ ſunt Aethra Theſei mater, detonſo ad cutẽ capillo: & Theſei filius Demophon, meditans (quantũ oris figura oſtendit) num qua ratione queat auiam paternã in libertatem aſſerere. Argiui Theſeo è Synnidis filia Melanippum genitum ferunt, qui de curſu palmã tulerit, quo tempore, qui Poſteri ſunt appellati, Nemeorum ludicra, edita primùm ab Adraſto, retulerunt. Leſcheus carminibus prodidit ſuis, Ilio capto elapſum è medio tumultu Aethran in Græcorum caſtra ueniſſe: ibi à Theſei filijs agnitam, Demophontemq́; eam ab Agamemnone repetiſſe: & illum quidẽ cùm gratificari Demophonti maximè uellet, nõ prius tamen ſe id facturũ dixiſſe, quàm Helenæ idem placere intellexiſſet. Miſſo igitur caduceatore, facilè Helenã exoraſſe. In ea certè pictura apparet Eurybaten ad Helenã Aethræ cauſa, ut quæ mandata fuerant perferret, ueniſſe. Troianæ ibidem mulieres, captiuarum & lugentiũ habitu agnoſcuntur. Andromache primùm, cui adhæret paruulus filius ab ubere abſtractus: hunc è turri præcipitem abiectũ ſcribit Leſcheus: non tamen Græcorum decreto in eum ſæuitum, ſed priuato Neoptolemi odio, qui ſibi eius necem depopoſcerat. Picta præterea eſt Medeſicaſte: una hæc Priami filiarũ, non illa quidem ex legitimo toro genita, nupta fuit Pedæi (urbs ea eſt, ut inquit Homerus) cum Imbrio Mentoris filio. Andromache & Medeſicaſte uelato ſunt capite: Polyxena uirginũ more collecto in nodum crine: mactatã illam fuiſſe ad Achillis tumulum, & poetæ decantarunt, & tabulæ teſtantur,

ſtantur, quas cùm Athenis, tum Pergami, quæ urbs ſupra Caicũ eſt, mihi ipſi cõtigit intueri: ſunt uerò in illis expreßi Polyxenæ caſus. Pinxit eodem in loco Polygnotus etiam Neſtorem, pileo uelatum, haſtam tenentem. Equus propè, ſe uolutantis ſpeciem oſtentat. Solum equo, litoris forma, paſſim iacentibus calculis. Reliqua area non qualis mari proxima eſſe uidetur. Supra eas fœminas, quæ mediæ ſunt inter Aethrã & Neſtorẽ, captiuæ cernuntur Clymene, Creuſa, Ariſtomache, & Xenodice. Clymenen Steſichorus iis, quos fecit de Ilij excidio carminibus, inter captiuas numerat. Ariſtomachen Priami filiã Ennus poëta ſcripſit, Critolaoq; nuptam fuiſſe Icetaonis filio. Xenodices qui mentionem fecerit, neq; carminis, neq; ſolutæ orationis autorem ullum comperi. De Creuſa memoriæ proditum eſt, à deûm matre & Venere Græcis ereptam, & in libertatem uindicatã: fuiſſe uerò eam Aeneæ uxorem. Leſcheus tamen, & qui Cypria carmina ſcripſit, Aeneæ uxorem Eurydicen nominant. Supra has, in lectulo decumbentes pictæ ſunt Deinome, Metioche, Piſis, et Cleodice. Harum unius mentio Deinomes fit in eo opere, quæ Parua inſcribitur Ilias. Alijs (uti ego ſentio) Polygnotus ipſe nomina impoſuit. Pinxit uerò etiam Epeũ, Troiæ muros æquantem ſolo. Prominet inter ruinas caput ſolùm equi Duratei. Adeſt & Polypœtes Pirithi filius uitta præcincta capite. Adſiſtit Acamas Theſei filius caput criſtata galea tegente. Adeſt et Vlyſſes lorica indutus. Aiax Oilei cum ſcuto ad aram accedit iuſiurandũ cõcepturus, priuſquàm Caſſandræ uim afferat. Sedet ipſa Caſſandra humi, Palladiũ complexa, quod ipſum è ſuis ſedibus uirgo auellit, cùm ſupplicẽ ab ara Aiax abſtraxit. Picti etiã ſunt Atrei filij, & ipſi cum galeis: Menelaus ſcutũ tenet. In eo expreſſus

draco, is nempe qui Aulide inter ſacra repens, pro oſtento fuit. Aiaci iuſiurandum hi deferũt. Ex aduerſo illi equo, qui Neſtori proximus eſt, Neoptolemus conſpicitur Elaſſum occidens: quiſquis ille Elaſſus fuerit, iam propè expiranti ſimilis eſt. Aſtynoum etiam, cuius Leſcheus meminit, in genu collapſum Neoptolemus ferit. Ac ſolũ quidem ex omnibus Græcis Neoptolemum fecit Polygnotus, nondum deſinentẽ Troianos cædere: quod totum eius picturæ argumentũ Neoptolemi maximè tumulo conuenire uoluit. Achillis quidem filium ubiq; Homerus Neoptolemum nominat. Teſtantur Cypria carmina, à Lycomede Pyrrhum, à Phœnice deinde nomen ei Neoptolemum impoſitum, ex ea ſcilicet re, quòd Achilles admodum iuuenis ad bellum uenerit. Ad hæc ara picta eſt, et paruulus puer præ metu aram prenſans. Super ara poſita eſt lorica ænea, forma planè his temporibus inuſitata: ſed tali utebãtur priſci illi heroës. Duæ ſunt fibulis iunctæ æneæ laminæ: earum altera pectori & uentri, dorſo altera muniendo erat apta: et partem quidem anticã Gyalon, Proſegon poſticam uocabant. Satis id firmum eſſe corporis munimentum uidebatur etiam ſine clypeo: ob eam rem Homerus Phorcynem Phrygem ſine clypeo pugnantem fecit, quòd habili utrinq; lorica uteretur, quam Gyalothoracem appellat. Ego eius loricæ imaginem in Polygnoti opere conſpexi. Et in Dianæ Epheſiæ Calliphon Samius Patroclo fœminas neſcio quas pinxit loricæ gyala aptantes. Laodicen pinxit Polygnotus ſtantem ultra aram. Hanc neminem poëtam inueni, qui inter captiuas Troianas recenſuerit. Neq; conſentaneum mihi ullo pacto uideri poteſt, non fuiſſe eam ſtatim à Græcis dimiſſam. Sanè Homerus in Iliade ab Antenore hoſpitio acceptos Menelaum & Vlyſſem memorauit:

&

& cum Helicaone Antenoris *filio,* Laodicen *matrimonij cauſa fuiſſe. Leſcheus uulneratum tradidit in pugna nocturna* Helicaonem, *& ab* Vlyſſe *agnitum, uiuentem periculo liberatũ: in* Antenoris *domũ, ut facilè credi poßit, neq; in* Helicaonis *uxorem quicquam* Agamemnonem *&* Menelaum *fuiſſe hoſtili animo commiſſuros: etſi* Euphorion Chalcidenſis, *de* Laodice *cõmentus eſt, quæ prorſus ab omni ueri abhorrent ſimilitudine. Statim poſt* Laodicen *eſt fulcrum lapideum, cui æneum labrum impoſitum eſt:* Meduſa *utraq; manu fulcrum id ſuſtinens, in imo ſolo ſedet: hanc etiam inter* Priami *filias numerauerit, qui* Himeræi *poëtæ canticum audierit.* Prope Meduſan *eſt anus ad cutem detonſa, ſiue ille* Eunuchus *eſt: nudum infantẽ genibus ſuſtinet: manũ infans præ metu ob oculos opponere uidetur.* Mortui illic, Pelis *nomine, pronus in dorſum abiectus.* Infra cum Eioneus *&* Admetus *iacent, nondum detractis loricis.* Eioneum *à* Neoptolemo, *à* Philoctete Admetum *interfectos ſcribit* Leſcheus. *Alia ſupra hos iacent cadauera: ſub ipſo labro* Leocritus Polydamantis *filius ab* Vlyſſe *occiſus: ſupra* Eioneum et Admetum Corœbus Mygdonis *filius. Eſt nobile* Mygdonis *monimentum intra* Phrygum *fines in* Tectorenis: *& ab eo poëtis translatitium,* Phrygas Mygdonas *appellare.* Venerat Corœbus *ad* Caſſandræ *nuptias, quæ ipſi deſponſa fuerat: interemptum à* Neoptolemo *fama uulgauit.* Leſcheus *à* Diomede *occiſum carminibus prodidit. Sunt ſupra* Corœbum, Priamus, Axion, *&* Agenor. *Priamum non fuiſſe ad aram* Hercei Iouis *mactatum ſcribit* Leſcheus, *ſed ab ara abſtractum, cùm pro regiæ foribus obuius eſſet* Neoptolemo *factus, ab eo obtruncatum.* De Hecuba Steſichorus *ijs carminibus, quæ de* Ilij *euerſione ſcripta reliquit, fuiſſe eam ab*

Apolline in Lyciã tranſportatam cecinit: Axionem Priami filiũ fuiſſe, & ab Eurypylo Euæmonis filio occiſum tradidit Leſcheus. Agenoris, idem poëta teſtatur, Neoptolemum interfectorem fuiſſe. Ita autem accidit, ut huius Agenoris filius Echeclus ab Achille, Agenor ipſe à Neoptolemo fuerint interfecti. Laomedontis cadauer Sinon Vlyßis ſocius, & Anchialus efferũt. Eſt et alius illic inter cæſos, cui nomẽ Ereſus. De Ereſo quidem & Laomedonte, quod ſciam, nihil quiſquam uerſibus mandauit. Pro Antenoris ædibus ſuſpenſa eſt Pardi pellis ſupra ueſtibulum. Teſſera fuit ea Græcis, ne Antenoris domum uiolarent. Picta Theanò etiam eſt cum filijs. Eorũ Glaucus, loricæ bipartita lamina excuſæ, ſaxo inſidet Eurymachus. Huic adſiſtit Antenor, & continenter Antenoris filia Crinò: infantem ea puerum geſtat. Is eſt omniũ uultus, qui aduerſis perculſis caſibus eſſe conſueuit. Ciſtam aſelli dorſo, & alia impedimenta imponunt ſerui: inſidet paruulus puer. Sunt in totam eam picturam Simonidis elegi:

Sacra Polygnotus Thaſio ſatus Aglaophonte,
Argiuûm pinxit Pergama capta manu.

Habet altera picturæ pars, quæ ad læuã eſt, Vlyſſem ad inferos deſcendentem, ut Tireſiæ manes de ſuo domũ reditu & ſalute conſulat. Eſt uerò talis eius picturæ forma. Aqua conſpicitur, quẽ Acherontẽ eſſe fluuiũ facilè exiſtimare poßis. Plurima in eius luto paluſtris arundo, & piſciũ formæ quædam adeò exili corpore, ut piſciũ potius ſubluſtres umbras, quàm piſces ducas. Nauis eſt in eodẽ amne, & ad remos portitor. Secutus eſt, ni fallor, Polygnotus Miniadem poëſin, in qua, ubi de Theſeo & Pirithoo agitur, hi ſunt uerſus:

Atq; hic exangues longæuus portitor umbras
Puppe uehit patula, ſed non & Pleiade natum.

His

His adductus Polygnotus,*iam grandē natu pinxit* Charontem.*Qui naui uehuntur,non ſatis internoſci poſſunt,ita parum ſunt euidenti ſpecie.*Inter eos *tamen* Tellin *uideas ætate puberem,* Cleobœan *uerò adhuc uirginem. Ciſtam ſuſtinet genibus,eadem forma, qua* Cereri *fieri ciſtas ſolenne eſt.*De Telli *aliud nihil compertum habeo, præterquàm quòd* Archilochus *poëta ſeipſum inter* Tellidis *poſteros tertium numerat.*Cleobœan *uerò primam tradunt ex* Paro *inſula* Thaſon *Cereris initia trāſtuliſſe.*In Acherontis *ripa expreſſa eſt res exempli nō contemnendi.*Paulò *infra* Charontis *nauem, iniquus in patrem filius,ab ipſo parente ſuo laqueo ſtrangulatur:priſci enim illi,parentes præ cunctis rebus plurimo dignabantur honore: quod facile cùm ex alijs exemplis colligas,tum uerò ex eorū facto & euentu, qui apud* Catanen Siciliæ *urbē,*Pij *ſunt cognomento appellati.*Cùm *enim ex proxima* Aetna *eam urbē flamma corripuiſſet,nulla uel argenti uel auri habita ratione,fugientes matrem hic,patrem ille, humeris ſuſtulerunt.*Sedenim *cùm haudquaquā otioſe feſtinantes incendium tamen urgeret, neq; illi propterea parentes dimitterent,ita illum flammarū quaſi torrentem in duas aiunt partes diſceſsiſſe, ut per medios ignes cum ipſis parentibus adoleſcentes incolumes euaſerint.* Iis *apud* Catanæos *hac etiā ætate certi & ſolennes honores pietatis ergò habentur.*Prope *eius effigiem, qui quòd patrē inſolentius tractaſſet,apud inferos pœnas luit. Eſt in eodem* Polygnoti *opere homo,qui ob ſacrilegium plectitur: apparet mulierem,cui ille puniendus traditur,cùm medicamentorū omnium, tum uenenorū,quibus homines per cruciatus enecantur, eſſe maximè gnaram.*Egregiè *ſanè,et ſupraquàm dici poſsit,in religionis ſtudiū homines incumbebant.*Præclara *eius rei docu*

Ccc 3

menta Athenienſes dedere, cùm capto Iouis Olympij Syracuſis templo, nihil quicquam ex omnibus donarijs amouerunt: Syracuſanum etiam ſacerdotem, qui ea cuſtodiret, reliquerunt. Declarauit *&* Dates Medus *homo, quàm impenſe deos uereretur, neq; magis oratione, qua ad* Delios *uſus eſt, quàm re ipſa: nam cùm* Apollinis *ſignum in* Phœniſſa *naui reperiſſet, illud ſtatim* Tanagræis Delium *reportandũ tradidit.* Erat *enimuero omnibus olim gentibus præcipuæ curæ deorũ cultus: cuius rei non inſcius* Polygnotus, *ſacrorum expilatorem ad eum modum pinxerat. Supra eos, quos iam enumerauimus, eſt* Eurynomus. Inter *deos inferos, qui* Delphis *ſunt, ſacrorũ interpretes* Eurynomũ *numerant, & circunrodere eum dicunt mortuorum carnes, ita ut nuda relinquat oſſa. Sed neq;* Homeri *de* Vlyſſe *carmina, neq; poëſis ea quæ eſt* Minyas *appellata, nec poſtremò quæ* Noſti, *id eſt,* Reditus, *inſcribitur (in ijs enim potiſsimũ libris, de* Orco, *deq; inferûm terroribus multa expoſita ſunt) ullum eſſe indicant inter manium deos* Eurynomũ. *Illud mihi fuerit reliquum, ut qualis hic ſit, et qua adumbratus forma, oſtendam. Colore eſt inter cæruleum & nigrum medio, quales muſcæ eſſe ſolent, quæ carnibus inſederint: dentes oſtentat: ſedenti, uulturis eſt ſubſtrata pellis. Continenti poſt* Eurynomũ *ſpatio, proximæ ſunt* Arcadicæ *puellæ,* Auge, *et* Iphimedea. Auge *in* Myſiæ *oram eam, quæ* Teuthranti *proxima eſt, uenit, ibi una præ cæteris omnibus, quibus cum familiarius fuerit* Hercules *cõgreſſus fœminis, patri ſimillimũ filium peperit.* Iphimedeæ *uerò in* Mylaſsis, Cariæ *is populus eſt, magni fuerunt honores tributi. Loco in ea tabula ſuperiores ijs, quos nominauimus, ſunt ſocij* Vlyſsis Perimedes, *&* Eurylochus, *hoſtias afferentes.* Nigri *eæ hoſtiæ arietes ſunt. Secundùm il*

los

los uir quidam ſedet,inſcriptio indicat Ocnũ *eſſe:texit è iun co reſtim: adeſt aſella,totum id,quod ille iam texuerit,pertinaciter abrodens.* Hunc Ocnum *aiunt gnauũ & induſtriũ hominem fuiſſe,qui uxorem ſumptuoſam & prodigam habuerit, quæ quicquid ille opere faciundo per ſummum laborem quæritaſſet,profundere ſolita eſſet:eam rem credunt per ambages uoluiſſe* Polygnotum *ſignificare.* Satis *ſcio* Ionum *uerbũ eſſe, quoties hominem uiderint ad laborem quidem uehementer propenſum,ſed cui ſuus nulli emolumento labor ſit, uir ille, inquiunt,* Ocni *funiculum torquet.* Inter *præpetes etiam uolucres* Ocnum *augures numerant: eſt ea in ardearum genere maxima & pulcherrima, & quæ tam rarò, quàm auis alia quæuis, aſpicitur.* Iam *uerò* Tityus *ita ſe in ea pictura habet, ut non plecti amplius,ſed ipſa pœnæ diuturnitate iam propè abſumptus, & confectus uideatur: ſubobſcura enim quædam umbra eſt, ac uix iam ſub oculorum ſenſum cadens.* Reliquas *oculis picturæ partes perſequentibus, proximè ab eo qui funem torquet,* Ariadna *in conſpectu eſt.*E *ſaxo,ſuper quo ſedet,* Phædram *ſororem aſpicit,reliquo pendentem corpore,catenam uerò utraq; manu prenſantẽ.* Nimirũ *quæ de* Phædræ *nece prodita memoriæ ſunt,uidentur honeſtiore argumenti ſpecie ſignificata.* Ariadnã *certè uel fortuito rei euentu,uel conſultò inſidijs factis,* Theſeo *eripuit* Liber Pater, *cùm eſſet illo claſſe multò ſuperior: neq; fuit opinione mea hic* Liber *alius ab eo, qui primus ad* Indos *cũ exercitu penetrauit,cùm* Euphratẽ *ponte iunxiſſet,quo loco urbi* Zeugma *nomẽ fuit:in ea ad ætatẽ hanc ſeruatur funis,quo ad pontẽ religandum uſus dicitur, uitigineis & hederaceis contortus ſarmentis.* De Libero *quidem* Patre *multa ſunt priſcarum rerum monimentis, &*

à Græcis et ab Aegyptijs mandata. Inferius aliquanto quàm Phædra eſt, recumbit Chloris ad Thyiæ genua. Nihil omnino fallitur, qui eas, dum uiuerent, eximia quadam ſe mutuò beneuolentia proſecutas putat. Fuit Chloris ex Orchomeno quæ eſt in Bœotia. De ipſis uulgatus eſt etiam ſermo, Thyiā à Neptuno uitiatam, Chlorin cum Neleo Neptuni filio nuptam fuiſſe. Adſtat proximè ad Thyian Procris Erechthei filia, & poſt ipſam Clymene, ſed auertit ſe Clymene. In ea poëſi, cui Noſti nomen, ſcriptum eſt Minyæ filiam Clymenen fuiſſe, ac Cephalo Deionis filio nuptam, è qua ille Iphiclum genuerit. De Procri uerò ſunt paßim peruagata, fuiſſe illam cum Cephalo multò ante Clymenen, & ab eo ipſo uiro ſuo fuiſſe interemptā. Interius poſt Clymenen Megarā Thebanā uideas: fuit hæc Herculis uxor; ſed poſteaquàm ijs, quos ex ea ille ſuſceperat, filijs eſt orbatus, mulierem ſibi ratus non ſatis fauſtis coniunctam auſpicijs, dimiſit. Supra earum, quas recenſuimus, fœminarum caput, eſt Salmonei filia ſaxo inſidens, propè adſtante Eriphyle: ea per tunicam ſummos digitos ac collum exerit. Facile uerò conijcias intra tunicæ ſinus manibus eam occultare celebratum illud poëtarum uerſibus monile. Supra Eriphylen, Elpenorem pinxit, & Vlyſſem pronum demiſſo poplite, & ſupra ſcrobem gladium ſtringentem. Ad ſcrobem accedit Tireſias uates: ſecundùm Tireſiam ſaxo inſiſtit Anticleas Vlyßis mater. Elpenor pro ueſtimento, nautarum more, tegete uelatur. Infra Vlyſſem in ſolio ſedent Theſeus & Pirithous: Theſeus Pirithoi enſem, & ſuum ipſius, ambabus manibus ſtringit. Ad gladios reſpicit Pirithous: indignari uidetur, quòd ad facinus capeſſendum, quod animo agitabat, nulli ſibi ſint illi enſes uſui. Panyaſis uerſibus teſtatus eſt ſuis, nō fuiſſe illos tan-

quam

quam captiuos ad ſolium religatos, ſed quaſi agnatū adhæſiſſe pro uinculis corpori ſaxum. Celebrem hominum ſermone eorum amicitiam utraq; poëſi nobilitauit Homerus. Vlyſſes enim apud Phæacas ſic eſt de ipſis locutus:

Vidi etiam iuuit quos tunc uidiſſe priores,
Theſea, Pirithoumq;, deûm de ſemine cretos.

Et in Iliade cùm alia Neſtor, Agamemnonem & Achillem ad reditum in gratiam adhortans, tum illa memorat, quæ ſunt uerſibus illis perſcripta:

Nanq; uiros nunquam uidi, taléſue uidebo,
Qualem Pirithoum fortem, regemq; Dryanta,
Cænea & Exadium, & ſuperis ſimilem Polyphemum,
Theſeáq; Aegiden dis immortalibus æquum.

Pinxit deinceps idem Polygnotus Pandari filias, de quibus Pelenopen Homerus dicentem fecit: Dum uirgines etiamnum eſſent, ereptos illis deorum ira parentes, orbas à Venere educatas. Tribuiſſe uerò illis & alias deas certa munera: Iunonem certè prudentiam & formoſitatem, corporis proceritatem Dianā, elargitas. Iam uerò à Minerua edoctas lanificium, & quicquid mulieribus didiciſſe in laude ducitur. Poſtremò Venerem in cœlum aſcendiſſe, quo à Ioue puellis fauſtas nuptias conficeret: cùm interea Venere abſente ab Harpyis abreptæ, diris traditæ fuerint. Hæc de illis Homerus. Sed Polygnotus corollis eas exornauit, & talis ludentes fecit. Nomina puellarū fuere Camirò, & Clytie. Pandarū earum patrem conſtat Mileſium, è Mileto Cretæ urbe, Tantaloq; cùm in furto per ſummū ſcelus cōmittendo, tum uerò in iureiurando ſubdole concipiendo, ſocium fuiſſe. Poſt Pandari filias Antilochus cernitur ſaxum altero pede premens, os & caput utraq; manu ſuſtinens. Agamemnon Antilocho

proximus ſiniſtra ala ſceptro innititur: manibus uirgam tenet. Proteſilaus Achillem *ſedens aſpicit. Stat ſupra* Achillem Patroclus. *Imberbes omnes, excepto* Agamemnone. Phocus *ſuperior loco pictus eſt, impuberi adhuc ætate, præclara ad modum indole: anulum ei de digito demit* Iaſeus: *id cuiuſmodi ſit iam exponetur.* Cùm Phocus Aeaci *filius ex* Aegina *tranſmiſiſſet in eam regionem, quæ nunc* Phocis *dicitur, ibiq́;, uindicato ſibi eius continentis terræ imperio, domicilium ſuum ſtatuiſſet, cum eo* Iaſeus *ſingularem quandam amicitiam conciliauit, & alia quidem illi pro dignitate dona dedit, & cælatũ lapidem anulo aureo incluſum. Sed cùm poſtea* Phocus *in* Aeginam *reuertiſſet,* Pelei *inſidijs uitam amiſit. Veteris igitur amicitiæ monimentũ ex anuli ſigno in ea tabula* Iaſeus *poſtulat agnoſcere: ac facilè quidem* Phocus *patitur gemmam inſpici. Supra hos eſt* Mæra *ſaxo inſidens: de ea ſcriptum in ijs libris reperias, qui* Noſti *appellantur, uirginem adhuc è uita exceſſiſſe: filiã* Prœti *fuiſſe, qui* Therſandro *genitus eſt* Siſyphi *filio.* Proximè *abeſt* Actæon Ariſtæi *filius, et mater eius hinnuleum manibus præferens, ac ceruinæ inſidens pelli: adſiſtit uenaticus canis: ad uitam hæc omnia, et* Actæonis *interitum pertinent. Iam ſi ad inferiores tabulæ partis oculos demiſeris,* Orpheum *uideas, ſtatim poſt* Patroclum, *in ſummo tumuli uertice ſedentem: læua citharam cõtingit, altera ſalicis frondes contrectat: ipſe arboris trunco accliuis eſt. Lucus ille* Proſerpinæ *ſacer exiſtimari poteſt: in eo (uti uiſum eſt* Homero *uerſibus mandare) nigræ populi et ſalices exurgũt.* Orpheo Græcus *eſt ornatus: nam neq; ueſtimentum, neq; capitis integumentum quicquam* Thraciũ *præ ſe ferunt. Auerſæ ſalicis parti innititur* Promedon. *Sunt qui nomen hoc in picturam, tanquã in poẽ*

ſin

ſin inductū à Polygnoto arbitrentur. Tradiderunt alij Græcum fuiſſe hominem, cui præcipuum fuerit ſtudium, tum omnes uocū numeros, tum maximè Orphei cantus audire. In eadem tabulæ parte eſt Schedius, qui Phocenſes ad Troiā duxit: & poſt eum Pelias in ſolio ſedens, cana æquè barba, ac capite. Intuetur is Orpheū. Schedius pugiunculum ſtringit, gramine coronatus. Aſsidet Peliæ Thamyris iam calamitate oculorum affectus: fracto illum eſſe & abiecto animo indicat, habitus corporis obſoletus, promiſſa cæſarie et barba. Iacet ante pedes lyra fractis cornibus, diſruptis omnib. neruis. Paulò ſuperius eſt Marſyas, propè Olympus: habitus eſt pueri iam pubeſcentis, tibijs diſcere uidetur. Phryges, qui Celænas incolunt, amnem præterfluentem, qui Marſyas dicitur, tibicinem olim illū nobilem fuiſſe dictitant. Addunt Marſyæ inuentum fuiſſe eum tibiarum cantum, quem Matroum uocāt: credo ob eam cauſam, quòd in Magnæ matris ſacris uſurparetur: eundem uerò Marſyam contra Gallos ſibi opem tuliſſe, cùm irrumpentes in Phrygiā, & amnis latè ſtagnantibus aquis, et tibiarum modis exterruiſſet. Quòd ſi rurſus oculos ad ſuperiores tabulæ partes ſuſtuleris, cernes illic continenti ſerie Actæoni proximū Aiacem Salaminium, mox Palameden et Therſiten teſſeris (quod ludicrum ipſe Palamedes excogitauit) luſitantes, alter Aiax aſpicit. Huic idem eſt, qui naufragis eſſe ſolet, color, perfuſo etiamnum corpore multa maris aſpergine. Videtur Polygnotus dedita opera Vlyſsis inimicos uno in loco conſtituiſſe. Idcirco uerò Aiax Oilei filius cum Vlyſſe inimicitias exercuit, quòd poſt nefariū Caſſandræ ſtuprū, ſententia ſua cenſuerat Vlyſſes Aiacem lapidibus obruendum. Nam Palamedem cùm piſcatū iſſet, ab Vlyſſe & Diomede demerſum in aquis

periiſſe, ex iis carminibus cognoui quæ Cypria dicuntur. Aliquanto ſuperior loco eſt quàm Aiax, Oenei filius Meleageris Aiacem intueri uidetur. Cum barba cæteri, ſolus Palamedes imberbis. De Meleagro ſcriptum Homerus reliquit, Althææ imprecationibus diris confixũ è uita exceßiſſe. At ij libri quæ ſunt magnæ Eœæ appellatæ, et Minyas, in idem utraq; poëſis conſentit, adiutos ab Apolline contra Aetolos Curetas, in eo bello ab ipſo Apolline occiſum Meleagrum. Torrem uerò à Parcis Althææ datum, quo demũ igni conſumpto Meleagrũ extingui neceſſe foret, & illum torrẽ ab Althæa acri ira concitata exuſtum. Eam rem primus omniũ uerſibus mandauit Phrynichus Polyphradmonis filius, cùm Pleuronem fabulam docuit. Verſus in ea fabula ſunt:

Atræ neq; ille mortis laqueos
Effugit: uorax peredit uirum
Inextincti flammula ſtipitis
Inſidioſæ matris heu dolo.

Non tamen pluribus eſt eam rem uerſibus perſecutus: quod facturus fuiſſe uideri poßit, ſi peculiare ipſius hoc inuentũ fuiſſet. Satis uerò, opinor, habuit, uti rem inter Græcos peruagatam, locum hunc paucis perſtringere. Infima tabula poſt Thracem Thamyrin, Hectorẽ habet ſedentem, & utraque manu læuum genu prementem, triſti admodum facie, et lugubri habitu. Et poſt Hectorem ſaxo inſidens Memnon: adhæret Sarpedon: alteram manum eius humero imponit Memnon. Promiſſa eſt his omnibus à mento barba. In Memnonis chlamyde aues pictæ, quæ ſunt Memnonis appellatæ. Eas uolucres dicũt Helleſpontij ad Memnonis ſepulchrũ ſtatis dieb. quotãnis aduolãtes euerrere ſoli areã, quæ circa tumulũ pura, et arboribus undiq; atq; herba nuda ſit, et eam,

collecta pinnis ex amne Aeſepo aqua, aſpergere. Prope Memnonem nudus eſt puer ex Aethiopia, quòd nempe Aethiopum rex fuit Memnon. Venit tamē ad bellum Troianū non ex Aethiopia, ſed à Suſis Perſarū urbe, debellatis ijs omnibus nationibus quæ mediæ ſunt uſq; ad Choaſcū flumen. Monſtrant Phryges, quo itinere exercitum duxerit, dum locorū compendia conſectaretur. Interſecta uerò eſt per manſiones uia. Supra Sarpedonē & Memnonem eſt Paris impuber adhuc: plauſum dat manibus qualem agreſtes homines ſolent: facilè conijcias ea manuū comploſione Pentheſileam accerſiri. Aſpicit Paridem Pentheſilea, & eo ſanè uultu, ut appareat contemni illum, et omnino pro nihilo haberi. Virginis in morem ornata eſt: arcum gerit Scythicis perſimilē, pardi pelle ab humeris demiſſa. Quæ ſupra eum locum, ubi Pentheſilea eſt, aquā pertuſis fictilibus urnulis portāt: earū altera ſpecie adoleſcētula eſt, altera ætate iam adultior: neutri eſt quicquam priuatim adſcriptum: cōmunis teſtatur inſcriptio, eſſe de numero earum quibus interdictum ſit ſacris arcanis, quòd initiatæ non fuerint. Superiores ijs loco ſunt Lycaonis Calliſtò, Nomia & Però Nelei filiæ. Pro hac Neleus ſponſaliū nomine Iphicli boues popoſcit. Calliſtò pro ſtragula ueſte urſæ pellē habet: pedibus imminet Nomiæ genibus. Expoſitum eſt ſuperius, uulgatum Arcadum ſermone Nomiā unam fuiſſe de Nymphis Arcadiæ indigenis: ac Nymphas quidem annos uiuere penè innumerabiles, non tamen eſſe mortis immunes, poëtarum eſt carminibus decantatū. Poſt Calliſtò & eas quæ cum ipſa ſunt mulieres, rupes conſurgere uidetur, in cuius ſummū uerticem Siſyphus Aeoli filius ſaxum nititur ſubuoluere. In eadem parte tabulæ doliū. Inſident ſaxo ſenex uir, adoleſcentulus deinde, & fœminæ

*aliquot. Earum una ſeni illi eſt æqualis. Hauſtam alij aquã portant. Anus illa, fracta urna, quod reliquum eſt aquæ è teſta in dolium transfundit: quantum coniectura aſſequi poſſum, ſignificatos eos putarim, qui in operto quæ Eleuſinæ fiunt ſacra, naucifaciant. Veteres enim Græci initia Eleuſinia religione quanta non alia quæuis ſacra ſanxerunt, tantoq; cæteris initijs auguſtiora duxerũt, quanto dij heroibus præſtent. Infra dolium eſt Tantalus, inter eos cruciatus quos uerſib. ſuis expoſuit Homerus: ad quos accedit ſilicis impendentis, & iam caſuræ terror. ab Archilocho id ſumpſiſſe Polygnotum perſpicuum eſt. Acceperit'ne uerò Archilochus ipſe de ſaxo quòd dixit ab alijs, an ipſe primus id in poëſin induxerit, non ſatis mihi liquet. Ac tam multa ſunt numero, tamq; decorè & eleganter expreſſa, quæ Thaſius pictor tabulis illis mandauit. Adiunctum eſt ſacro ſepto inſigni opere theatrum. Quà diſceditur à ſepto, ſuperiore loco eſt Liberi Patris ſignum, Cnidij dedicarunt. Eſt in ſuprema urbis parte ſtadium, è ſaxo, quo Parnaſſus mons abundat, extructum: ſed illud poſtea Pentelico lapide exornauit Herodes Atticus. Atq; ea quidem, quæ literarũ monimentis cum aliqua dignitate mandari poſſe uideantur, neq; plura illic, neq; aliter ſe habentia, ad ætatem uſq; meã uetuſtas reliqua fecit. Quà Delphis ad Parnaſsi iuga iter eſt, interuallo ſtadiûm fermè L X. eſt æneum ſignum. * . . Et facilior iam expedito uiatori, mulis etiam & equis cliuus ad antrum Corycium. Huic antro nomen inditum à Corycia Nympha paulò ſuperius docui. Omnium uerò, quæ unquã uiderim, antrorum, quod ſpectetur digniſsimũ hoc mihi uiſum eſt. Et ſanè in oris maritimis, ac litoribus, in profundis maris receſsibus, quàm ſit magnus huiuſmodi cauernarum*

nume-

numerus, facilè quis uel accuratè commentando conſequatur. Sed maximi ſunt nominis quædam cùm in Græcia, tum in Barbarorum *terris.* Nam *Phryges amnis* Peucellæ *accolæ, oriundi ab* Arcadiæ *Azanum gente, ad ſe uenientibus antrum monſtrant, Steunos nuncupant.* Patet *oſtium orbiculatu ambitu.* Deſcenditur *molli & amœno cliuo.* Intus *Magnæ matris fanum cum ſimulachro ſuo.* Themiſonium *urbs ſupra* Laodicean *eſt: incolunt Phryges.* Cùm Gallorum *exercitus* Ioniam, *& finitimas* Ioniæ *oras, cuncta ferens & agens uexaret,* Herculem, Apollinem, *&* Mercurium *Themiſonenſes narrant ad ferendum auxilium præſtò fuiſſe: eorum numinum monitu, per ſomnium iuſſos qui ſummæ reipub. præerant, popularibus ſuis imperare, ut in antrum quod iidem dij oſtenderant, et ipſi deſcenderent, & in eo uxores & liberos occultarent.* In *huius rei memoriã ſigna non ſanè magna pro ſpeluncæ faucibus* Herculi, Apollini, *&* Mercurio *erecta.* Et *ea ſigilla* Spelaitæ *appellati, abeſſe aiunt ab oppido ſtad.* XXX. Intra *ſpeluncã ſunt perennis aquæ fontes: ad eam neq; ſemita ulla uiã indicat, neq;* Solis *lumen peruadit: & fornicis utiq; pars maior nõ ualde ſe ſupra ſolũ attollit.* Eſt *præterea apud* Magnetas *ad flumen* Lethæũ *uicus, cui nomen* Hylæ. In *eo ſpecus* Apollini *ſacer, ea magnitudine, quæ ſanè nullam afferat admirationem.* Intra *ſpecum uerò ſignũ* Apollinis *ualde priſcũ.* Ex *eo corporibus mirificum ad omne opus robur afflari autumant: quo fit, ut ſacri* Apollini *homines deſiliant illæſi de ſummis rupibus, præruptisq; ſaxis: iidemq; præcelſas arbores radicitus auulſas haud magno negotio portãtes, per anguſtiſsimos tramites et anfractus iter faciãt.* Verũ *hæc omnia quæ enumerauimus, magnitudine facilè ſuperat antrũ* Cory

cium:qui introierit, ſine ulla face longius progredi poßit. Ab imo ſolo ad ſuperiorem partem, quæ pro tecto eſt, ſatis multum intereſt ſpatij: multi hinc illinc è uiuis fontibus fluitant riui, ſed humoris multò plus ex ipſa quaſi antri teſtudine deſtillat. Cernuntur uerò paßim in ipſo ſolo guttarum ueſtigia. Parnaßi accolæ ſacrū Coryciarum Nympharū, et Panos putant. A Corycio antro uel expedito iter arduū ac difficile ad Parnaßi iuga: ſunt enim ferè ea ſupra nubes, & illic Thyades per furorem ſacra Libero et Apollini faciūt. Abeſt à Delphis Tithorea ſtadia plus minus LXXX. iter per Parnaſſum facienti: uiam uerò non prorſus montanā, ſed quà uehicula etiam agi poßint, tenenti, aliquot ſtadijs longior eſſe dicitur. Quod ad urbis nomina pertinet, diuerſa ab Herodoto, quo loco agit de Perſarū in Græciā irruptione, dicta ſcio ab ijs, quæ Baccidis oraculis prodita ſunt. Baccis enim hunc populum Tithorenſes uocauit. Herodotus inuadente Barbaro milite, horum locorum incolas in montis uerticē effugiſſe dicit: urbem Neonem, Parnaßi iugum Tithorean nominat: quare credibile fuerit totam aliquando regionē Tithorean nuncupatā: temporis uerò longiore curriculo ita accidiſſe, ut cùm ex uicis in unam ſe urbem contuliſſent, ea quæ Neon antea fuerat, uſus peruicerit Tithorean uocari. Sumptū hoc nomen incolæ dicunt à Tithorea Nympha, de ijs una, quas priſci poëtarū ſermones, cùm ex cæteris arboribus, tum uerò è quercubus maximè genitas prodiderunt. Aetate ſanè una ante me natum, Tithoreæ res aduerſæ fortunæ impulſu receſſum ire cœperunt. Manet adhuc theatri priſtina ſuperficies, & uetuſtioris fori ambitus. Intra oppidum ſunt non indigna quæ literis mandentur, Mineruæ lucus, fanū, & ſignum, et in memoriam Antiopes & Phoci monimentū. Iam

tum

tum cùm res Thebanorũ ſtylo perſequeremur, Antiopen ira Liberi in furorem actam, quaq; fuerit culpa eam noxã cõmerita, commemorauimus. Oſtendimus eodem loco Phoco *Ornytionis filio eam nupſiſſe, & unà cum eo ſepultã fuiſſe: & ſimul indicauimus quæ cecinerit fatidicus* Baccis *eodem carmine tam de hoc, quàm de* Zethi *&* Amphionis *ſepulchro*. Et *hæc in oppido extant, quæ meritò fuerint hiſtoria comprehendenda: aliud præterea nihil*. Præter Tithoreæ *mœnia labitur amnis: aquatum ad eius ripas deſcendũt oppidani: fluuio nomen* Cachales. Tithorea *ſtadia* LXX. *diſtat Aeſculapij fanum.* Cognomento *deus,* Archagetas, *id eſt, originum autor uocatur: colitur multa cum religione à Tithorenſibus, atq; omnino pari à cæteris* Phocenſibus. Intra *ſacrum aræ ſeptum, qui ſupplices ad deum confugerint, & ſimul ſacrati deo ſerui, domicilia habent. In medio templũ, et marmoreum ſimulachrum cum barba, duûm pedum altitudine*. Ad *ſimulachri dexteram lectus collocatus eſt*. Deo *quibuſuis hoſtijs præterquàm capellis faciunt*. Ab Aeſculapij *ſtadia fermè* XL. *abeſt circumſepta area, cum penetrali ſacrario* Iſidis: *religione ſanctiſſimum hoc eſt eorum omnium, quotcunq;* Græci Aegyptiæ *deæ conſecrarunt*. Neq; *enim, quantum ſoli in ambitũ patet, habitari* Tithoræenſes *fas ducunt: neq; ad id penetrale acceſſus eſt alijs quàm quos* Iſis *ipſa per ſomniorum uiſa ſibi præ cæteris delectos aduocauerit.* Quod *ipſum in ijs quæ ſupra* Mæandrum *ſunt urbibus, faciunt ſubterranei dij: quos enim intra penetralia deſcendere facilè patiantur, per nocturnas imagines exuſcitant*. Et Iſidi *ſanè* Tithoreæ *binæ celebrantur quotannis nundinæ, uere ſcilicet anni, & autumno*. Tertio *uero ante nundinas die, quibus introire penetralia fas, arcano illi ſe*

quodam ritu luſtrant, & eorum quæ porrecta fuerant ſuperioribus nundinis extorũ reliquias, in eundem ſemper locũ deportatas, defodiunt. abeſt locus ille (quantum conijcimus) à penetrali ſtadia duo. Solennis hic eſt illius diei ritus. Poſtero die inſtitores tabernas ſibi erigunt ex arundine, & alia fortuita quauis materia. Poſtremò tertio die qui ad eum mercatum cõuenere, emũt mancipia, et quoduis genus pecudes: ueſtem etiã, argentũ, & aurum. Pomeridianis iam horis ad ſacra animũ adijciunt: immolant lautiores, boues & ceruos: tenuiores, anſeres, et Meleagrides aues. Impuras hoſtias ſuẽ & capram ducunt, eas idcirco non cædunt. Summa eſt religio, ubi adoleuerint, uictimas intra aditũ, ubi extructa iam pyra eſt, demittere. Colligare uerò illas neceſſe habent lineis uel byßinis uinculis. Eſt hic ſacri apparatus ab Aegyptijs traditus. Cum pompa uerò quæ immolantur omnia tranſmittuntur: ac iam intra adytũ ſacris receptis, qui ſunt foris, tabernis exuſtis properè abeunt. Hominẽ aliquando aiunt, nõ illũ quidem ex eorũ numero quibus nõ eſt adyto interdictũ, ſed planè profanum, cùm cœpta eſſet iam pyra incendi, præ curioſitate & confidentia ingredi auſum, ac ſibi illũ uiſum uidere Lemurum plena omnia: reuerſum tamẽ Tithorean, cùm quæ uiderat cuncta enarraſſet, ſtatim animam efflaſſe. His cõſimilia de Phœnice quodã homine audiui: Iſidi Aegyptiæ feſtos dies agitare, qua anni parte lugere ab ea Oſirin dicũt: ac per illos ſanè dies incipere Nilũ anniuerſario auctu excreſcere: quo fit ut incolarum turba dictitet, augeri Nilũ atq; impleri, lateq; ex eo arua irrigari Iſidis lachrymis. Eo ipſo tempore Romanum hominem, qui Aegyptum prouinciam obtinebat, quendam mercede conductum iußiſſe Iſidis adytum intrare, quod Copti erat: rediſſe illum, ſed mox ubi

quæ

quæ cõſpexerat expoſuit, è uita diſceßiſſe. Homeri igitur illud facilè exiſtimari poteſt nihil à uero abhorrere, Nõ poſſe cuiquã hominũ bene uertere, cui deos cernere perſpicuè cõtigerit. Abundat oleo Titborea, minus omnino quàm uel Atticus uel Sicyonius ager: colore & ſaporis bonitate anteit id, quod ex Hiſpania, quod item ex Iſtria mittitur. Hoc uaria incoquunt unguenta: hoc ipſi Cæſari munus gratißimum perfertur. A Tithorea uia altera Ledontem ducit: & hæc olim in urbium numero fuit: ſed hac ætate, rebus prorſus acciſis, oppidum relinquere Ledonti coacti ſunt. Eorum ad LXX. *ad Cephiſſum accolũt. Manet nomen uico, ubi domicilia habent, Ledon. Recepti et hi in Phocenſiũ conuentũ ſunt, ſicuti Panopenſes. Ab eo uico, ubi nunc ad Cephiſſum habitãt, quà ad ſuperiora iter eſt, abſunt priſcæ urbis ruinæ ſtadia* XL. *Nomen urbem accepiſſe tradunt ab homine indigena. Multas enimuero alias urbes magnis affecit calamitatibus ciuium ſuorum ſcelus. Sed funditus quidem perierunt, Ilium ob Alexandri in Menelaum contumeliam: Mileſij etiã urbis ſuæ excidio libidinem & fœdos amores Eſtiæi luerunt, dum ille modò in Edonis urbi cum imperio & poteſtate præſidet, modò ſe Darij conſiliarum gerit, nonnunquam uerò in Ioniam ſe recipit. Sic propemodum Ledontijs Philomelus ſacrilegij ſui piaculũ reipublicæ inflixit. Lilæa iter duntaxat abeſt unius uel hyberni diei à Delphis: per Parnaſſum cõtendentibus uiæ ſpatiũ eſſe conijci poteſt ſtadiûm* CLXXX. *Hanc ciuitatẽ, poſteaq̃ reſtituta eſt, alterũ è Macedonia infortuniũ oppreßit. Obſeßi uerò à Demetrio, cùm ad pacis cõditiones adacti oppidani fuiſſent, quin præſidiũ intra mœnia acciperent, recuſare nõ potuerunt. Neq; prius ea calamitate liberati ſunt, quàm de ciuibus unus, cui fuit*

nomen Patron, ad arma omnibus, qui militari eſſent ætate concitatis, uictos pugna Macedonas, pacto fœdere abire coëgit. Ei Lilæenſes ob tanti erga ſe meriti memoriã ſtatuã Delphis poſuerunt. Eſt Lilææ theatrũ, forũ, lauacra: deorum uerò templa duo, Apollinis unum, Dianæ alterũ. Signa recto ſtatu, Attici operis, è lapidicinis Pentelicis. Lilæan de Naiadibus unam, Cephiſsi filiam fuiſſe, & ab ea urbi nomen datum putant. Hic ſunt amnis ipſius fontes: erumpit è terra non omnibus locis quietus, ſed plerunq; meridiana maximè hora, cum ſonitu, & taurinis mugitibus perſimili uoce. Vtitur Lilæa cœli temperie anni tribus temporibus, uere, æſtate, & autumno: quò ſit hyems minus clemens, efficit Parnaſſus. Abeſt ſtadia fermè XX. *caſtellum in præcelſa rupe ſitum, nomine Charadra. Aquæ illic ſumma penuria homines laborant. Quod potent, è fluuio Charadro petendum. Labens is per decliuia, tria procul ſtadia in Cephiſſum influit. Nomen ſumpſiſſe oppidum à flumine crediderim. Sunt Charadræis erectæ ſub diuo aræ, ijs qui apud ipſos heroës appellantur: Gemellos alij eſſe exiſtimant, patrios alij heroas. Ager circa Cephiſſum, ſolũ omne Phocidis ubertate ſuperat, ferendis arboribus idoneus, frugibus fœcundus, & pabulo. Iurè itaq; tractus hic diligentiſsimè colitur. Hinc extitit eorũ ſententia qui ab Homero Parapotamios, id eſt, fluminis accolas, non eſſe ciuitatem, ſed Cephiſſo adiacentem agrum qui colerent nominatos eo nempe uerſu putarunt:*

Quiq; habitant propter Cepiſsi flumina amœni.

Sed eorum opinio cùm ex Herodoti hiſtoria, tum uerò ex ijs quæ de uictorijs Pythicis memorant, facilè arguitur. Amphictyones enim primi inſtituerunt Pythicos ludos, & in ijs Aechmæas Parapotamius pugilatu pueros uicit. Herodotus

item

item urbes Phocenſium enumerans quas Xerxes exuſſit, inter eas Parapotamios recenſuit. Non tamen ſunt ij ab Athenienſibus cum Bœotijs reſtituti: nam aduerſis ac duris rebus debilitati, et ad magnam pecuniæ egeſtatem redacti, in alias diſſipati ſunt ciuitates. oppidi ueſtigia nulla iam relicta, neq; omnino quo maximè loco fuerit, quiſquã iam oſtenderit. A Lilæa ducit Amphiclean, uia ſtadiũm L X. *Vrbis uocabulũ ciues ipſi immutarunt. Nam Herodotus ueterem famam ſecutus, Ophitean nominauit. Amphictyones decreto de Phocenſium urbibus deletis edito, Ophitean eius nomen prodiderunt. Incolæ hæc de ea memorant. Potentem quendam & factioſum hominem inimicorum metuentem inſidias, paruulum filium in ciſtam impoſitũ in eum locũ abdidiſſe, ubi tutum maximè fore confidebat: contra lupum in puerũ iam impetum facturum, prævalidũ draconem ciſtam ſpiris com plexum, puero præſidio fuiſſe: patrem cùm filium reuiſeret, à dracone puerum appeti ſuſpicatum, miſſo itaq; iaculo unà cum dracone filium etiam confixiſſe. Verùm ubi de paſtoribus cognouit à ſe pueri cuſtodem occiſum, cõmuni draconem & filiũ rogo cremaſſe, & adhuc locũ illũ buſti ueſtigia retinere: urbem certè de ſerpentis nomine Ophitean nuncupatam. Quod ſpectes illic dignum eſt adytũ, in quo arcana Libero Patri ſacra fiunt: acceditur certa ſemita: ſignum in conſpectu nullum. Narrant Amphicleñſes, & futura ſibi deo autore prædici, & cõtra morbos in promptu eſſe remedia, quòd & in ſomnis cùm ipſi, tum finitimi de morborum medelis moneantur: & ſacrificulus diuino afflatu inſtinctus, de futuris conſulentes certiores faciat. Stadia* X V. *ab Amphiclea abeſt Tithroniũ ſitũ plano loco oppidum. Nihil in eo ad memoriã inſigne. Ad Drymæan ſtadia interſunt* X X.

quo loco uiæ iungũtur quæ Drymæan, illinc ab Amphiclea, hinc à Tithronio deducunt. Lucus & aræ Apollinis intra Tithronenſium fines ſunt: delubrum etiam ſine ullo ſimulachro. Quòd ſi ad læuam flexeris, ab Amphiclea ſtadia fermè L X X X. *abeſt Drymæa: id ei nominis in Herodoti hiſtoria, Naubolenſes antiquiore nomine appellati. Origines referũt ſuas ad Phocum Aeaci filiũ. Habent Drimæi peruetus Legiferæ Cereris fanũ: ſignũ in eo è lapide ſtantis habitu. Theſmophoria ſacrum anniuerſarium faciunt. Elatea omnium, quæ in Phocide ſunt, urbiũ, exceptis Delphis, multò eſt maxima. Amphicleæ ex aduerſo ſita eſt; interuallo abeſt ab ea ſtadiûm* L X X X. *uia magna ex parte plana, molliter aſſurgit proximè ad Elateæ mœnia. Fluit per campos Cephiſſus: circa eum frequentes paſcuntur aues, Otides appellatæ: ſiue Tardæ ſint aues, ut nõnulli eas à Latinis appellari poſſe crediderunt. Inter ea quæ de Elateenſibus ad laudem cõmemorari poſſunt, ea minimè obſcura, quòd Caſſandri Macedonum regis exercitũ repulerunt, quodq; ſe Taxilo Mithridatis præfecto non dediderunt, quo merito ſunt à Romanis & libertate, & agri immunitate donati. Controuerſia eſt de eorum originibus. Ipſi quidem ſe eſſe affirmant inquilinos ex Arcadia. Elatum enim dicunt Arcadis filium quo tempore Phlegyæ cum exercitu Delphici Apollinis templum adorti ſunt, præſtò fuiſſe ad arcendam iniuriã, ac deinde cum ſuis copijs in Phocide permanſiſſe, ubi fuerit ab eo primùm Elatea munita. Inter Phocenſium urbes, quas Perſæ incenderũt, ipſa etiã Elatea numeranda. Ac multæ ſanè fuerunt ei ciuitati cũ reliquis Phocenſibus cõmunes calamitates: multas etiã propria ſua ipſius fortuna, dum à Macedonibus oppugnaretur, importauit. Factũ uerò eſt Olympiodori opera, ut Caſ-*

ſandro

ſandro & Macedonibus obſidio irrita fuerit. At Philippus Demetrij *filius ciuitatis principibus largitione corruptis, facilè multitudinē iniecto metu in ordinem redegit.* Interea Titus Flaminius *cum imperio ad Græciā liberandam miſſus, redditurum ſe* Elateenſibus *priſtinam rempub. per legatos edixit, modò ut à* Macedonib. *deficerēt: ſed ſiue uniuerſi populi uecordia, ſiue magiſtratuū ſuorū perſuaſu in* Philippi *fide permanētes, obſideri ſe à* Romanis *paßi ſunt.* Interiecto *dein tempore* Taxili Mithridatis *præfecti, et* Barbarorū *è* Ponto *obſidionem ſuſtinuerunt, quod factum* Romani *libertate data remunerati ſunt. Cùm uerò ætate mea* Coſtoboci *(latronum hæc manus fuit) excurſionibus in* Græciam *factis* Elatean *uſq; penetraſſent,* Mneſibulus, *comparata uoluntariorū cohorte, cùm ſtragem* Barbarorum *edidiſſet, & ipſe fortiter dimicans cecidit.* Idem *hic* Mneſibulus, *& alias de curſu uictor palmas tulit, &* Olympiade *quinta ac triceſima ſupra ducenteſimā, duplicati cum clypeo curriculi.* Erecta *eſt curſori* Mneſibulo *ænea ſtatua* Elateæ *in ipſa militari uia.* Forum *egregiè conſpicuum eſt: in eo columna cum* Elati *ſtatua. Mihi certè non ſatis conſtat, utrum honorem habitū uoluerint conditori ſuo, an uerò ſepulchro inſigne columnā illam impoſuerint.* Aeſculapio *templū erexere, in quo ſignū imberbis dei. Opus qui fecerunt, ijs nomina fuere* Timocles *&* Timarchides: *genus illis ex* Attica *terra.* In *extrema urbe ad dexterā eſt theatrū, &* Mineruæ *peruetus ex ære ſignū. Deā hanc opem ſibi tuliſſe aiunt contra* Taxili *copias.* Diſtat *ab* Elatea *ſtadia fermè* XX. Mineruæ *cognomento* Cranææ. Via *ipſa qua ad templū iter eſt, paulò accliuior, ſed ita ut qui progrediantur, ne aſcendere ſe quidē ſentiāt.* In *extrema uia uertex cōſurgit præruptus magna ſui parte, nō tamē*

late patẽs, aut ualde eminsẽ. In eo uertice templũ exædificatũ eſt, et porticus, in quibus cellæ per interualla, ubi et alij habitant deæ miniſtri, & is etiam qui ſacris præeſt. Eum ex impuberũ numero deligunt: prouident uerò religione ſumma, ut eo munere ſe abdicet, priuſquàm pubeſcere incipiat. Annis ferè quinq; perpetuis ſacerdotium terminatur, quo toto ſanè tempore uiuit apud deam. Et in ſolijs uerò ueterum more lauat. Simulachrũ fecerunt Polyclis filij, eo ſanè habitu, ut dea in pugnam uadere uideatur. Clypei eadem eſt forma, qua clypeus Mineruæ, quæ apud Athenienſes Virgo dicitur. Abas et Hyampolim ducit montana uia, quæ eſt ab Elateenſium oppido dextera. Ad eaſdẽ item urbes populari uia iter eſt eadem nempe, qua Orchomeno Opontem contenditur. Ab ea diuertentes modico admodũ itinere Abas perueniãt. Qui eam urbem incolunt, Argis ueniſſe in Phocidem terrã ſe dictitant: Lynceo & Hypermneſtra Danai filia Aban genitum coloniæ ducem: & antiquitus quidem ſacras duxerunt Apollini Abas. Oraculum illic Apollinis fuit: neq; uerò eadem Perſæ, qua Romani ueneratione ſunt deũ proſecuti. Abæis enim Romani ut legibus uterentur, dei cultu adducti, conceſſerunt. Xerxis uerò exercitus, ipſum quod Abis templum fuit, exuſsit. Et ſanè Græci, qui contra Perſas arma ceperunt, non eſſe quæ illi concremaſſent, deorum templa reſtituenda cenſuerunt, quò ſempiterna extarent inimicitiarum monimenta: eamq; ob rem in Aliartiorum finibus delubra multa, & apud Athenienſes Iunonis in Phalerica uia, Cereris in ipſo Phalero hac etiam ætate ſemiuſta oſtenduntur. Eandem olim fuiſſe faciem exiſtimo templi apud Abæos, euſq; donec Phocico bello pugna ſuperatos Phocenſiũ lectiſsimos quoſq; uiros, qui Abas cõfugerũt, et ipſos ſuppli-

ſupplices ignibus circundatis Thebani perdiderunt, et unà templum iam iterum poſt Perſicum illud incendium inflammarunt: quo factum, ut omniũ quæ igni corrupta ſunt ædificiorum, hoc ſit maximè ruinoſum. Nam quod reliquum fecerunt Perſarum flammæ, iam propè delctũ eſt, igne à Bœotijs immiſſo. Coniuncta eſt magno illi templo ædes alia multò inferior magnitudine, quã Apollini dedicauit Adrianus Imp. Simulachra tamen peruetuſta ſunt: & quæ ipſi Abæi ſtatuerunt, ex ære omnia, erecto ſtatu, Apollo, Latona, Diana. Eſt in eodem oppido theatrum & forum, utrunq; priſci operis. In uiam quæ rectà Opuntem ducit, reuerſos Hyampolis excipiet. Ipſum urbis nomen, quæ fuerint hominũ origines, & unde pulſi huc uenerint, indicat. Hyantes enim Thebis à Cadmo et eius copijs eiecti, huc ſe receperunt: & à finitimis iam tum ab initio Hyantum urbs appellata, peruicit temporis diuturnitas, ut Hyampolis diceretur. Incendit eam Xerxes, funditus euertit Philippus. Reliqua tamen adhuc ſunt, ueteris fori forma, & ſenatus habendi locus, non magnum utiq; ædificium: theatrum etiam non procul à portis. Adrianus Imp. porticum crexit, quæ de nomine autoris eſt nuncupata. Puteum unicum habent, neque aliam uel ad lauandum, uel ad bibendum aquam, niſi ex imbribus collectam nonnunquam per hyemem. Venerantur precipuo cultu Dianam: ei deæ ſua eſt apud ipſos ædes. ſignum quale ſit nõ habeo dicere: bis enim tantùm quotannis, & ſæpius nunquã, eam ædẽ aperire fas ducunt. Ex omni quidẽ pecudũ numero, quas Dianæ ſelegerint uictimas, eas neq; ullo morbo tẽtari, et cæteris pinguiores inter paſcendũ reddi autumant. A Chæronea in Phocidẽ non ea ſolùm uia ducit qua Delphos iter eſt, uel qua Daulidem, Panopeo interſito, &

ad uiam quæ Sciſſa dicitur,ſed altera etiam,aſpera illa quidem,et ſui maiore parte montana, Stirin, quæ Phocenſium urbs eſt,contenditur.Eſt ea longa haud minus ſtadiûm c.& xx.Qui eos incolunt fines,Athenienſes olim ſe fuiſſe prædicant, & cum Peteo Ornei *filio Athenis eiecto,ſe in ea loca ueniſſe,& ex eo Stirin urbem appellatam,quòd magna Petei comitum pars fuerit è Stirenſium curia,quæ in tribu cenſetur* Pandionide.In *ualde edito & ſaxoſo loco ſunt Stiritarum domus, ob eamq́; rem aquarum penuria æſtiuis menſibus laborant:puteos enim neq; multos habent,neq; ex illis aquam ſatis expetendam hauriunt.Lauacra tantùm ſuppeditat, ueterinis quidem potum. Nam homines ad potionis uſum aquatum deſcendunt ad fontem,qui ſtadia fermè quatuor infra oppidum è ſaxo alte exciſo erumpit, quo fit ut hauſturis illic deſcendendum ſit. Eſt* Stiride *Cereris cognomento Stiritidis fanũ è crudo extructum laterculo. Deæ ſignum è Pentelico lapide,et faces præfert. Adhæret ei alterũ ſignum ualde priſcũ uittis redimitũ.* * *quoſcunq;* Cereri *honores habent.Stiride Ambroſſum interſunt ſtadia* L x. *uia admodum plana: iacent enim inter montes campi.* Vites *cùm in campis,tum in toto Ambroſſenſiũ agro quamplurimæ.Perpetui inter uites eius fruticis ordines, quos Iones & reliqui Græci coccum,id eſt,granum:Galli qui ſupra Phrygiam ſunt, Gallogræci ſcilicet, patria uoce hys nominant.Magnitudo eadem ferè quæ ſpinæ albæ,folia nigriora & molliora quàm lentiſci: nam cætera lentiſco perſimilis.* Fructus *qualis ferè ſolani,erui magnitudine.Gignitur in huius plantæ fructu puſillum animal:id ſi maturo grano exilierit, uolucre iam libero fertur cœlo, culici ſimillimum. Verùm eas baccas,priuſquàm infectũ concipi potuerit,legunt.*

Eſt

Eſt tamen etiã beſtiolæ eius ſanguis, inficiendis lanis utilis. Sub ipſo monte Parnaſſo ſita eſt Ambroſſus: ulterius Delphi ſunt. Nomen oppido ab Ambroſſo heroë impoſitum putant. Thebani certè bello contra Philippũ ſuſcepto duplici muro urbem cinxerunt. Ad eum extruendum uſui ſunt uernaculo lapide: niger is eſt colore, materia oppidoquàm durus. Vtriuſq; muri ſtructura in ambitum lata eſt paulò minus quàm paſſum unũ: altitudo duorũ eſt paſſuũ, et amplius dimidij, ubi murus nondum eſt collapſus. Interuallum eſt inter utrunq; murum paſſus unius. Pinnæ, et turres, ac cætera quæ ad ſpeciem & ornatũ addi conſueuerunt, prætermiſſa, quòd eas munitiones ex tempore ad ſubitam ſolùm propugnationem ſubſtruxere. Eſt Ambroſſenſibus non magnum ſanè forum, & è ſtatuis marmoreis, quæ in eo fuerunt poſitæ, multæ effractæ ſunt. Iam Anticyrã flectentib. uia eſt accliuis primùm: qui ſtadia duo aſcenderint, eos plana excipit area. Ad uiæ dexteram Dictynnæ cognomento Dianæ templum exurgit: huic Ambroſſenſes deæ præcipuos habent honores: ſignum Aeginææ artis eſt, è nigro lapide. A templo Anticyram uſq; accliuis tota uia eſt. Priſcis olim temporibus Cypariſſum urbi nomen fuiſſe dicunt: & Homerum quidẽ in recenſendis Phocenſibus, recentius nomen memoriæ prodere uoluiſſe: fuiſſe enim tunc Anticyram cœptã appellari: nam Anticyreum, à quo urbi nomen, fuiſſe Herculi æqualem. Sita urbs eſt circa Medeonis ruinas. In huius uerò ipſius de Phocenſium rebus commentarij initio, expoſitum eſt à me, Anticyrenſes de ijs populis fuiſſe qui Delphici Apollinis templũ ſpoliarũt: ea certè de cauſa à Philippo Amyntæ filio ſedib. eiecti ſuis fuere. Eadẽ clade eos poſtea affecit Titus Flaminius Romani exercitus Imp. eo nempe no

mine, quòd illi ſe dicto audientes præbuiſſent Philippo Demetrij filio in Macedonia regnanti. Miſſus ex urbe cum imperio fuerat Titus ad ferendã contra Philippum Athenienſibus opem. Qui Anticyræ imminent montes ualde ſunt ſaxoſi. In his ellebo rum naſcitur: & nigrum quidem in uſum hominum uenit, aluum enim purgat: candidum, quæ eſt eius altera forma, ſtomachi moleſtias per uomitum leuat. Et hæc utiq; ad purgandũ corpus appoſita medela ex ellebori radice euenit. Sunt apud Anticyrenſes æneæ ſtatuæ in foro. In porticu modica Neptuni ædes ſelectis lapidibus extructa: interiorũ parietũ dealbatũ eſt tectoriũ. Signũ erectũ eo geſtu, ut altero pede in delphinũ aſcendere manu femori admota uideatur, altera tridentẽ geſtat. Gymnaſia duo habẽt: in altero lauacra ædificata: in eo quod ulterius eſt, ſuperiore multò antiquius, ſtatua ſpectatur ænea, indicante inſcriptione, eſſe illum Xenodamũ Pancratiaſten Anticyrenſem, qui uiros Olympicis ludis uiciſſet. Quòd ſi ea inſcriptio uera eſt, iudicari facilè poßit oleaſtrum accepiſſe Xenodamum Olympiade undecima ſupra ducenteſimã: atq; hæc una Olympias ex omnibus in Eleorum literis prætcrita eſt. Supra forũ fons eſt in puteo perennis aquæ: Solem arcet faſtigium columnis fultum. Paulò ſuperiore quàm puteus eſt loco, monimentum extructum è lapide uulgari: in eo ſepultos tradunt Iphiti filios, quorum alterũ è bello Troiano reducem, domi ſuæ mori contigerit: alter ad Troiam mortem oppetierit, cuius tamen ipſius oſſa domum fuerint reportata. Ad urbis dexteram ſaxum eminet, montis pars: erectum ibi fuit Dianæ templum. Deæ ſignũ, unum de Praxitelis operibus, dextera faces gerit, ab humeris pendente pharetra: canis ad læuam adſiſtit: ſuperat ſimulachrum illud maximæ cuiuſpiam

